





EXERCITIVM PERFECTIONIS ET VIRTVTVM RELIGIOSARVM

AVTHORE

R. P. ALPHONSO RODERICIO, Vallisoletano, Societatis IESV Sacerdote.

PARS TERTIA:

IN QVA DE VIRTVTVM AD STATVM RELIGIOSUM spectantium exercitio, & rebus aliis ad perfectionem mirè conducentibus agitur.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Kinckium, & Ioan. Crithii viduam.

ANNO M. DC. XXII.



Licentia R.P. Generalis

Claudius Aquauiua, Societatis Iesu Præpositus Generalis.

Cum tertium hunc tomum, cui titulus est, *Exercitium perfectionis & virtutum Religiosarum, à P. Alphonso Rodriquez, Societatis nostræ Theologo cōpositum*, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus relegerint & in lucem edi posse probauerint, facultatem damus, & typis mandetur, si ita iis, ad quos id pertinet, visum fuerit. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitos dedimus Romæ 12. Novemb. Anno 1607.

Claudius.

APPROBATIO CENSORIS.

Vidi & relegi partem tertiam exercitii perfectionis & virtutum religiosarum, auctore R.P. Alphonso Rodericio Societat. Iesu, Vallisoletano: nihilque in ea reperi quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus quoquo modo contrarium sit, imo vero multa, quæ ad eosdem stabiliendos conducāt, & spiritum Religiosorum accendant. Vnde dignissimam censeo quæ prælo subiiciatur. Datum Madriti, Anno 1608, die 8. Iunii.

Alphonsus de Toro.



LECTORI SALVTEM.

ESTO in prima & secunda operis huius parte materias nonnullas tractauerimus, ad religiosam vitam & professionem accommodatas; eas tamen quæ propriè & ex professo ad Religiosum spectant, nec non alias, quæ permagno nobis adiumento erunt ad finem & perfectionem, quam in Religione profitemur, consequendam, in hac tertia singillatim & magis in particulari deducimus. Atque hac de causa titulum ei damus, Exercitii perfectionis & virtutum Religiosarum. Hæ ipsæ tamen ita dispositæ & declaratæ sunt, vt etiam alteri cuilibet, cui propositum est virtutibus & perfectioni animæ suæ assequendæ incumbere, conducere queant. Quia primus de instituto & fine Religionis nostræ Tractatus materias complectitur generales, quales sunt, bonæ vitæ exemplum, zelus salutis animarum, insignis de nobis ipsis diffidentia, & infracta de Deo fiducia ac spes. Sic alienæ vitæ correctio, & propriæ correctionis desiderium, tum conscientiæ suæ rationem Confessario & Patri spirituali reddere (de quibus materiis in aliis tractatibus singillatim loquimur) ad omnes omnino pertinet. Et generaliter omnes aliæ virtutes, de quibus hac in parte agimus, etiam in omnibus statibus locum habent, partim superfluitates, ad quas contraria vitia inclinant, tollendo, partim quando per particulares status, quo quisque fungitur, obligationes, eas opere exequi prohibetur, saltem pio ac virtuoso voluntatis affectu possidendo. In Domino confido, fore, vt si Religiosus eas legerit, se excitaturus ipse sit, ad maiori cum feruore & diligentia, quæ statui & professioni suæ conformis sit, viuendum; secularis vero, quantum id vitæ status patietur, ad ipsum imitandum sit animandus; ita vterque quotidiè in feruore spiritus incrementum facturus, & sincerius maioreque cum vigore Deo Opt. Max. seruiturus sit.



ELENCHVS

Tractatuum, qui in tertia huius operis parte comprehenduntur.

INDEX CAPITVM, QVÆ IN TRACTATIBVS HVIVS TERTIÆ partis coninentur.

Tractatus Primus.

Tractatus Secundus.

Tractatus Tertius.

Tractatus Quartus.

VIII. De

Tractatus Quintus.

Tractatus Sextus.

Tractatus Septimus.

Tractatus Octauus.

FINIS CAPITVM.



EXERCITII PERFECTIONIS, ET VIRTVTVM RELIGIOSARVM

PARS TERTIA.

TRACTATVS PRIMVS,

DE FINE ET INSTITVTO SOCIETATIS IESV, DEQVE ALIQVIBVS MEDIIS, AD EVM CONSEQVENDVM PEROPPORTVNIS, QVÆ OMNIBVS VSV venire & prodesse possunt.

CAPVT PRIMVM.

Quis Societatis Iesu Finis, quod institutum.

1 Tim 4.16.



TTENDE tibi & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. In his duabus rebus, quas Apostolus eo loco affert, finis & institutum Societatis nostræ continetur; sicut id cum è nostris Constitutionibus, tum Bullis Apostolicis colligere est, in quibus legimus: *Finis huius Societatis est, non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare; sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Notanda autem vocula *impensè*, quæ quandam vehementiam, efficaciam, feruorem & intentionem denotat. Exigit ergo Societas homines, qui cum feruore, contentione, intensoque studio & impendio, vocationis suæ finem consequi procurant. Vbi notandum est, quemadmodum non salus solum nostra nobis curæ esse debet, verum etiam cum salute plena vitæ perfectio; ita ex instituto obligari nos, procurare non solum vt proximus saluetur; sed etiam vt in virtute & perfectione quotidie proficiat & crescat. Vnde etiam à R.P.N. Generali monemur, operam dare, non tam vt magnum pœnitentium numerum habeamus, quam vt ij quos habemus & dirigimus, magnos in virtutis studio faciant profectus. Nam, quo studio & diligentia in proprium profectum & perfectionem incumbimus, eo

Cap 1. Exã. § 1. & reg. 2. summarÿ.

Finis Societatis Iesu salutem & perfectionẽ suã & proximorum impensè quærere.

Claud. Aquauiua in instruct pro Confessar. 10.

proximi & alienum profectum & perfectionem nos curare oportet.

Hunc in finem fuit Societas exulceratissimis & desperatissimis his temporibus instituta. Videbat P. N. B. Ignatius Ecclesiam Dei hinc Religiosis Ordinibus, proprio in spiritu profectui, choro & cultui diuino ex toto vacantibus instructissimã, illinc vero illam ab hæresibus, peccatis & afflictionibus fractam & debilitatam gemere; hac de causa, à Spiritu sancto inspiratus & motus, hancce Religionem, cohortem hanc & sacrorum militum congregationem instituit, vt instar leuis armaturæ equitum (vti ipse loquebatur) semper parati & expediti stemus, tum vt hostilem impetum & vim repulsemus, tum fratres nostros, sicubi laborant, tueamur & adiuuemus. Hanc ob causam nos & à choro, & id genus officijs & obseruantiis, quæ ab hoc nos fine impedire possint, liberos & exemptos esse voluit. *Quoniam messis quidem multa, operarij autem pauci.* Quomodo ergo ipsi æquanimiter & siccis oculis videbimus, noster vt proximus pereat, in exitium ruat, & in infernales carceres detrudatur, cum nos & ei succurrere, & exitium auertere possimus? Quam rem S. Chrysostomus deplorans ait: Si quem cœcum in foueam præcipitem abire vides, ilicò eum, è commiseratione, manu porrecta à periculo auertis; cum ergo fratres nostros quotidie in proximo in infernalem abyssum præcipitandi periculo agere videamus, quomodo nos ipsi contineamus, quin ilico manum ijs porrigamus?

Ordo quisque in suo genere floret.

Lib. 3. Vitæ. cap. 15.

Societatis Iesu subsidiaria copia.

Matt 9. 37. Luc. 10 2.

Zelus animarum.

Homil. 6 ad popul.

Sic in historicis Ecclesiasticis legimus, etiam ipsos eremi incolas, quos ad solitudinem colendam Deus vocarat, cum Ecclesiam Christi à tyrannis & hæreticis afflictam & diuexatam, fideles autem doctrina & ope indigere cernerent; ad tempus quiete seposita, eremo egressos per vrbes circumcursasse partim hæreticos confutando, partim Catholicos cum instruendo, tum ad mortem constanter pro fide oppetendam animãdo. Sic fecisse legimus Magnum Antonium temporibus Imperatoris Constantini, & alium virum sanctum, Acepsemam nomine, qui sexaginta ipsis annis antea reclusus, nullum mortalium viderat, vel conuenerat; necnon alios permultos. Quorum vnus Aphraates nomine, egregium quoad hoc Imp. Valenti, Ariano responsum, ac simul facti sui rationem dedit. Mandarat hic Imperator, Christianos eijci non è templis solum & ciuitatibus, verum etiam è montibus, quia in illis suas hi instituebant supplicationes, cantabant hymnos, Deumque laudabant. Sanctus ergo hic vir, quietem propriam saluti posthabendo alienæ, speluncam, in qua morabatur, relinquens gregem Domini laboriose ac fideliter pascere & curare cœpit. Hæc agere dum nauiter pergit, quadam die ante Imperatoris palatium pertransiit: quem quidam de curialibus conspicatus, En, ait, iste est Aphraates, cuius tanta est apud orthodoxos authoritas & nomen. Aduocari statim eum iubet Imperator, rogatque, quo vadis? Cui vir sanctus, Oraturus abeo pro imperii tui incolumitate. Subinferenti Imperatori, satius te foret intra priuatos parietes orare, vt monachi solent; respondit Aphraates: Par quidem id esset, Imperator, vti ipse dicis, si modo id per te liceret; & feci sic toto eo tempore, quo Christi quibus pacificè & quietè pascuis suis frui licuit: at modo, cum hæ in præsentissimo versantur periculo, ne à lupis tollantur & deuorentur, per omnia loca me circumcursare & obire necesse est, quò discrimini & exitio eas subducam. Dic mihi Imperator: Si quæ virgo tenera in thalamo suo desidens, & in quiete operans, domum paternam ab incendio omnia depopulante vastari videret, quid eam facere debere æquum iudicares? Anne in otio quiescere, & ob teneram educationem in hac domus paternæ destructione dissimulare, eamque negligere; an vero aquam igni exstinguendo conquirere? Dices (credo equidem) postremum illud rationi congruentius atque æquius fore. Ita porro se res habet, Imperator, in hoc facto meo. quia enim tu sacrilego molimine in Patris nostri cœlestis domum ignem,

Eremitæ Zelo animarum feruentes.

S. Anton.

Euseb. p. 2. lib 6 c. 3.

Eremita 60. annorũ zelo proximi ad mũdum redit.

Melius orare priuatim nisi salus proximi aliud exigat.

Non dissimulandum in periculo proximi.

gnem, à quo destruitur, iniecisti; hinc nos, qui hactenus in solitudinis thalamo quieuimus, magna cum anxietate & trepidi currimus, imminens periculum auersuri, incendiumque ortum exstincturi.

S. Ioannes Chrysostomus Homilia, quam de cura salutis alienæ composuit, alia, eaque non ineleganti comparatione idipsum declarat. Etsi nautæ, inquit, qui mare hoc magnum, procellosum, & spatiosum nauigant, prosperum ventum fœlicemque cursum habeant, & ab omni periculo absint; si tamen alios in naufragandi discrimine versari, etiam procul dissiti videant, alienæ saluti propriam vtilitatem ac quietem posthabentes, & eorum compassione moti, ad illos adnauigant, & iam vicini suas in nauim illam anchoras iaciunt, vela contrahunt, & vncos, rudentes, & tabulas proijciunt, vt qui iam pereunt, aliquod horum arripientes, salutem inueniant. Hoc ipsum, inquit, nos par est imitari: omnes quippe in vasto & spatioso vitæ huius præsentis pelago, in quo multi fluctus, tempestates, scopuli & vada occurrunt (vnde plurimi etiam naufragio pereunt) nauigamus. Cum ergo, inquit, alium quempiam nauigantem, in maris huius vndis & tempestatibus periclitari, eumque iam fundum petere & mergi videbis: quamprimum negotia tua sepone, & proximo tuo, qua potes, opitulare. incipientis enim mergi necessitas dilationem haud patitur.

Nauta nautæ succurrit, & nos inuicem negligemus.

Ad hoc ergo, calamitosis hisce temporibus, Societatem hanc Deus Opt. Max. excitauit, vt particulari necessitati, quam tunc Ecclesia patiebatur, succurrendo, mederetur & opem ferret; idque maxima sua prouidentia & singulari clementia. Ecclesiasticæ historiæ Scriptores solerter notarunt, & aduerterunt, quo tempore in Anglia natus est Pelagius, vt suis orbem terrarum erroribus peruerteret & obscuraret, eo in Africa exortum esse fulgidum illum Ecclesiæ solem Augustinum, qui radijs & iubare doctrinæ suæ peruersi & scelesti illius hæretici tenebras dissiparet.

Pelagio Augustinum opposuit Deus.

Sic & curiose obseruat auctor vitæ B. P. N. Ignatij, quo anno infernale illud monstrum Martinus Lutherus, deposita iam simulationis larua, palam & aperte cruentum Catholicæ Ecclesiæ bellum indicere ac denunciare cœpit, suas blasphemias & hæreses per Germaniam spargendo (anno inquam partæ salutis Millesimo quingentesimo vigesimo & primo) eo; Ignatio in arce Pampelonensi crus, Deo permittente, glande traiectum fuisse, vt sic eum saluti restitueret, & è milite deuio & vano suum crearet ducem, & Ecclesiæ suæ contra nefaria Lutheri molimina protectorem & antesignanum constitueret. Vt hinc mira Domini cum prouidentia, tum clementia appareat, vtpote cui semper solenne fuit, Ecclesiæ suæ summè laboranti, & in maximis necessitatibus ac periculis constitutæ noua auxilia & suppetias submittere.

P. Ribadeneira lib. 2. cap 18. Vita B. P. Ignatij Cochleus. Surius. Frontanus, & alij.

B. Ignatius & Luther. simul cepére sed dispari gressu.

Idem auctor discursum & materiam hanc pluribus eo loco prosequitur, & ostendit, cum Albigenses & alij hæretici, effusis habenis & impotenter, Ecclesiæ Dei pacem turbarent, & vitiorum scelerumque vrticæ iam inualescentes bonam sementem, quam cœlestis seminator & paterfamilias seminarat, tantum non opprimerent, tum clementissimum Deum duos illos Seraphinos, & cœlestia luminaria, SS. Dominicum inquam & Franciscum, orbi labanti fulcimentum futuros, submisisse, vt partim per se, partim per filios & discipulos suos, hæreses pullulantes refellerent, errores eruderarent, peccata de mundo tollerent, mores prauos ac deformes reformarent, & admirabili vitæ exemplo & splendore doctrinæ, vniuersum terrarum orbem illuminarent & sanctificarent, vt sancti hi viri reipsa in vita præstiterunt, & eorum filij, vsque modo, indefesso conatu faciunt.

B. Dominicus & S. Franciscus Albigensib. oppositi.

Ac sicut Militares & Equestres Ordines eo Deus Opt. Max. tempore in Ecclesia sua excitauit, quo, quod ab inimicis suis his in locis opprimeretur, arreptis armis vique externa adhibita defendenda erat; ita est & de reliquis religionibus, ac præsertim

Militares ordines hostibus Ecclesiæ oppositi.

Societaté, qua de in præsens loquimur, sentiendum. Nam quo tempore Lutheri hæresis, quæ obedientiam Summo Pontifici abiudicabat, diuinissimi Sacramenti altaris veritatem negabat, & confessionem Sacramentalem oppugnabat, cœpit, eo ipso Societatem Iesu Deus excitauit, cui, Christi Vicario obedientiam præstare, imprimis propositum est, & cuius professi singulari quodam voto ad eam præstandam se obstringunt; cuique nihil magis curæ est, quam sanctissima hæc Confessionis & Altaris Sacramenta publicè asserere, & ad eorundem vsum frequentiorem, morumque correctionem plebem Christianam exhortari.

Obedientiã Summi Pōtificis, SS. Sacramenta Altaris & Cōfessionis odere Hæretici. Vrget Societas.

Atq; vt Generalis totius exercitus præfectus, cum iam acies inuicem committuntur, & confligunt, ex eminenti aliquo loco pugnæ euentum & vicissitudinē cum attentione speculatur, &, sicubi & si quando suos periclitari conspicit, quantocyus eò suppetias auxiliares destinat; modò ad dextrum aciei cornu equitum leuis armaturæ alam, modo ad sinistrum turmam quandam sclopetariorum submittendo: pari modo Redemptor noster Christus, generalis militiæ Christianæ Ductor & Dominus, semper hactenus, è summo cœlorum vertice, Ecclesiæ suæ necessitates dispexit, &, prout eam opus habere vidit, ita Doctorum suppetias, & auxiliares Religiosorum Ordinum copias, ad exercitum suum restituendum & reparandum, ei subministrauit.

Ecclesiæ laboranti suppetias mittit Dei prouidentia.

In quo singularis Domini prouidentia & misericordia mirificè relucet, qui cum manu vna plagam infligit, aut infligi permittit, alia medicamentum offert. Hic ergo Societatis finis est & institutum; & ad hoc nos Deus in illam vocauit, vti in Apostolica confirmationis eiusdem Bulla videre est, nimirum vt fidem Catholicam inter hæreticos propugnemus ac tueamur, inter Ethnicos vero ac Gentiles propagemus ac dilatemus, inter Christianos deniq; bonis operibus illam nauiter conseruemus.

Hæreticis, Gentilibus & Christianis debitores sumus.

CAPVT II.

Quàm sit hoc animarum conuertendarum studium excellens, quantiq; meriti ac valoris.

Zeli animarum præstantia.

HOC saluti animarum incumbendi studium ac propositum tam sublime & eximium est, vt propter hoc vnum ipse vnigenitus Dei filius cœlo descenderit, & homo factus sit: & illud ipse opere executurus, Apostolos selegerit, eos è piscatoribus piscium piscatores hominum constituendo. Nam, vt Sanctus Dionysius Areopagita ait, *Omnium diuinorum*, & operum, *diuinissimum est cooperari in salutem animarum.* Et magnus Chrysostomus, *Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ, vt animarum salus:* docente nimirum & palam asserente Apostolo, *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et Ezechiele Propheta, *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus? & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Omnes enim vellet Deus saluari & conuerti: proinde qui ei in hoc opere cooperatur & adiuuat, rem præstat omnium quas homo in hac vita agere potest excellentissimam, Deoque gratissimam. *Etsi*, ait Chrysostomus, *immensas pecunias*, vniuersas Salomonis opes, omnes Crœsi thesauros *pauperibus eroges plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam.* Et sanctus Gregorius, *Maius*, inquit, *est miraculum prædicationis Verbo atque orationis solatio peccatorem conuertere, quam carne mortuum suscitare.* Quin imo maius illud est, plurisque à Deo ducitur, quam cœlum terramque condere. Id ita esse patet ex rei vtriusque compendio: cœlos enim & terram creare, pluris Deo non constitit, quam verbum vnum proloqui: *Ipse dixit,*

De cœlest. hierar. c. 3.
Hom. 2. & 40. super Genes.
1. Tim. 2. 4.
Ezech. 18. 23
Hom. 3. in 1. ad Corinth.
Lib 13. Dialog c. 17. & hom 29.
Dignitas vnius animæ.
Gen. 1.

Psal. 32. 9. Psal 148. 5. *& facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Sed animarum saluatio maiori fuit pretio comparanda: non enim verbo, sed sanguinis & vitæ impendio ei stetit.

Redemptio facilior creatione.

Quanti porro apud Deum pretij & valoris sit animarum se conuersioni impendere, aperte declarat Ioannes Euangelista, aut ipse potius Christus, verbis iis quæ de seipso locutus est, dicens, *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam pro hominibus, vt iterum sumam eam,* vt & ipsi resuscitentur, mecumque in perpetuum viuant. Notant hoc loco Patres, non dixisse Dominum, vt quidem posset, *Propterea me diligit Pater,* quia in *principio omnia per me creauit;* sed tantum, propterea se à Patre diligi, quod vitam pro animarum salute exponeret; vt hoc pacto nos doceret, nullum hoc ipso opus Deo esse acceptius vel gratius.

Ioan 10. 17.

Christus à Deo diligitur ob Zelum animarum.

Eodem quoque in sensu exponit S. Thomas id, quod ante paulo idem Dominus de se dixit: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis,* dicens, non solum eum dicere voluisse, Ego cognosco Patrē meum plena cognitione, sicut ipse nouit me (quia id iam ante dixerat, vt est ex vndecimo S. Matthæi capite videre, vbi ait, *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius*) verum etiam, sicut si in mundo filium bene moratum rationem roges eius quod agit, is respondet, Ego cognosco patrem; perinde ac si diceret, Ego eius velle, lubitum ac voluntatem pernoui; ita Christum Redemptorem non multo ante dixisse, se, sicut bonum pastorem pro ouibus suis animam positurum; & iam, tamquam si rogaretur, Domine cur vitam tuam tam pretiosam pro re tam vili & exigui momenti offers? respondere, *Ego agnosco Patrem,* quasi diceret, Ego Patris mei voluntatem & lubitum, quin & eius erga oues has amorem perspectum habeo; hinc meam ipse vitam libenter pro iisdem impendo, quod hanc Patris mei voluntatem & velle esse sciam.

Ioan. 10. 15.

Matth. 11. 27.

Christus redemit animas, quia illas diligebat Deus.

Ioan. 10. 11.

Hoc ipsum porro & nos emouere debet, ad libenter nos in animarum salutem impendendos, quod scilicet nouerimus Dei id velle & beneplacitum esse, & eum, qui huic operi se deuouet, diuinæ maiestati percarum esse, ab eaque amari.

Zelus animarū Deo gratissimus.

Ad hoc quoque propositum expendit & ponderat Chrysostomus id, quod Redemptor Iesus S. Petro alias dixit, cum tertio petens, num se diligeret, tertio etiam ei respondit: *Si diligis me plus his, pasce agnos & oues meas:* quasi ei diceret, Amorem illum, quo te in me affici dicis, volo opere exequaris, & re ostendas, meque in hoc salutis animarum, quas sanguine ego meo asserui, negotio adiuues.

Serm de B. Philogono, & de Natiuit. Dom.

Amor Deo exhibendus in zelo animarū.

Adhæc, operis huius excellentia & sublimitas, & quam Deo id sit acceptum, etiam ex ingenti, quæ ei respondet, mercede & corona perspici poterit. Rei huius testis primo erit ipsemet Christus: quem ob hoc opus, quod videlicet vitam suam pro hominibus exposuit, Apostolus à Patre ait exaltatum, glorificatum, & super omnia creata eleuatum. *Propter quod,* inquit, *& Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Idem quoque de eo testatur Psalmista Dauid; *De torrente,* inquit, *in via bibet, propterea exaltabit caput.* Et Isaias Propheta, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Quia inquam pro peccatoribus vitam exposuit, & magnos eorum causa labores & ærumnas perpessus est, propterea eum Pater æternus adeo exaltauit & glorificauit.

Maxima merces zeli animarum.

Philip. 2. 8.

Psal. 109. 7.

Isa. 53. 10.

Christi gloria ex Zelo animarū.

S. Gregorius exponens illa Apostoli Iacobi verba, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum; ait, si qui hominem à corporali morte liberat, qui, tametsi hodie non moriatur, cras fortasse tamen moriturus est, magnam mercedem & præmium meretur; ecquod ille præmium & coronam merebitur, qui animam à morte sempiterna vindicat, & in causa est vt in æternum glo-

Dat Galenus opes, quid erit medico animarū.

ria fruatur, nunquam vt ea possit excidere? Hinc S. Scripturæ satis non fuit, dicere eos, qui Christum aliis prædicant, & proximum viam salutis edocent, vitam æternam adepturos (*Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*;) verum insuper addit, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*; & in cœlo ceu sol quidam & Luna micabunt. Et per Ieremiam Prophetam ait Deus: *Si separaueris pretiosum à vili*, animas inquam, quas ego tanti facio, à peccati vilitate, sordibus & scoria segregaueris; *quasi os meum eris*, quod tantundem valet, ac id quod vulgo dicimus, Oculos & vitam meam non æque caram habeo, mihi oculis ipsis est carior. Tali ergo modo Deus afficitur erga eum, qui animarum conuersioni & à peccatis auersioni quoquo modo insistit. Anima siquidē pretiosum quid est in oculis Dei, hinc animabus succurrere & mederi, tāti ab eo fieri solet.

Ecclés. 24. 31. — *Dan. 12. 3.* — *Ierem. 15. 19.* — *Doctorum aureola.*

S. Catharina Senensis, si quem concionatorem per plateas incedentem cerneret, ilico domo egrediens, vestigia & locum, quem is in terra calcarat, magno pietatis sensu osculabatur. Rogata vero cur hoc faceret; respondit, Deo reuelante, se scire quanta esset animarum in gratia Dei agentium pulchritudo & decor: hanc ob causam tāti se facere, & felices ducere eos, qui earum conuersioni insisterēt, vt quem illi pedibus pressissent locum, ei os suum ipsa infigere, & terram quam calcassent, osculari non detrectaret.

Concionatorum dignitas.

Ad hanc porro dignitatem & altitudinem nos Dominus euexit, idcirco nos ad Societatem vocauit & traxit; hic noster est finis & institutum, vt nimirum Dei in re omnium altissima ac diuinissima, ipsa inquam animarum saluatione & conuersione simus cooperatores. Vnde & ait Apostolus, *Dei enim adiutores sumus*; &, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Dei adiutores sumus. — *1. Cor. 9.* — *1. Cor. 4. 1.*

Est hoc ergo officium Apostolicum, officium, ob quod ipsemet Deus de cœlo descendit, & sanguinem suum ac vitam impendere non dubitauit; officium denique, propter quod filij Dei vocamur. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Qui enim huiusmodi sunt, sunt veri pacifici, & beati esse in Euangelio dicuntur, & proinde filii Dei vocandi. Nam S. Hieronymus, Theophylactus, & alii eius loci interpretes, pacificos vocandos censent, non tantum eos qui secum ipsi pacem habent domitis iam & expugnatis passionibus, vel qui pacem inter proximos conciliant, verum etiam illos, qui pacem & amicitiā inter Deum & homines faciunt, doctrina inquam sua peccatores conuertendo, eosque Deo reconciliando. *Beati* ergo hi *pacifici*, quia *Dei filij vocabuntur*:

Pacifici qui pacem inter Deum & peccatores conciliant.

Hoc namque ipsius filii Dei officium ac munus fuit. Vnde de eo ait Apostolus: *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*: idcirco namque Dei filius de cœlo descendit in terram, vt homines Deo reconciliaret, pacemque & amicitiam inter Deum & homines faceret. Hinc etiam illi recens nato accinuerunt Angeli *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Coloss. 1. 20. — *Christus descendit vt peccatores ad Deum reduceret.* — *Luc. 2. 14.*

I. *Considerāda Ministeriorum nostrorū excellentia.*

Hinc porro ad vtilitatem nostram elicere debemus, primo, insignem erga ministeria nostra affectum & amorem, cum ea adeo excellentia, ita Deo accepta, & proximo ita vtilia sint.

II. *Vilitas nostra.*

Secundo, magnam nostri confusionem, quod nos Deus ad tam altum & sublime opus vocarit, cum tamen ipsi eo indigni simus; adhæc quod videam ne quidem de me ipso solo bonam me rationem dare posse, Deum nihilominus aliorum salutem & perfectionem insuper meas in manus consignasse, credidisse.

Qui se negligit, quomodo alios curabit?

Est hoc salutare quoddam & vtile consilium, quod nobis vir ille Apostolicus B. P. Franciscus Xauerius, vtpote veteranus miles, & hac in re exercitatissimus, quadam in Epistola, quam ad Patres Fratresque Lusitanos misit, suggerit. Ait ergo: *Moneo vos fratres carissimi, vt dum munia & ministeria vestra honorabilia, quæ habetis, exercetis & bonam famam & opinionem, quam de vobis mundus concepit,*

recola-

Deus te exaltat, tu te humilia.
Psal. 78.16.

recolitis, id nonnisi ad confusionem vestram fiat, iuxta illam Prophetæ sententiam, Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. Ad quanto altiorem statum & officium te Deus euocauit, tanto magis te humilies oportet.

P. Anton. Natalis.

Sublimitas status ad humilitatem nō elationem nos impellat.

Quare quidam de primis priscisque Patribus, scientia æque ac virtute insignis, cum hinc eminentem illum Societatis finem consideraret, illinc vero seipsum intueretur, ita se aiebat confundi, dum nimirum suam insufficientiam, & ad hunc finem ineptiam videret, vt non solum ob suam ad tam sublime munus vocationem non superbiret, verum etiam causa id esset propriæ confusionis, & sui amplius humiliandi occasio. Sic porro & nos facere par est: & sic si fecerimus, nihil plane nobis oberit sublimis, ad quem euecti sumus, status, nec magnæ & præclaræ sanctitatis, quam de nobis mundani conceperint, opinio, vti nec honor, quem propterea nobis deferent.

III.
Attende tibi & doctrinæ.
Cap. 4. & 5.

Tertio, discere hinc debemus proprio profectui serio, feruenter, & ex animo incumbere: nam, vt cum proximo agamus, eumque in perfectione promoueamus, solidum & ingens ante virtutum fundamentum iaciamus oportet, vti postea suo loco dicemus.

Capvt III.

Studium hoc & propositum omnibus in genere Socijs proprium est, atque adeo omnes, etsi Sacerdotes non sint, magnam in eo partem habent.

Qvoniam vero nonnemo animo cadere & contristari forte posset, sibi persuadens eum, quem diximus, finem ad solos Sacerdotes, eosque qui confessiones excipiunt, ac populum pro concione docent, & hæc ministeria immediate circa proximũ obeunt, spectare; hinc ad eorum qui in officiis temporalib. & exterioribus famulantur & adiuuant, consolationem, paucis hoc loco demonstrabimus, finem hunc & studiũ, plane esse omnium quotquot in Societate agũt, nec ad solos Sacerdotes & scolasticos pertinere, vt nimirum omnes norint ad quid labores ipsorũ, quicumq; demum ij sint, referantur, simul ẽt eorum valor & meritum; itaq; amplius ad eosdem suscipiendos animentur. Omnes ergo quotquot sumus, vnũ corpus, vnã solidam Religionem, & congregationẽ constituimus, totius vero huius corporis & cõgregationis finis est is, quẽ iam supra diximus, nimirũ, non solũ sibi, & proprio profectui ac perfectioni, per Dei gratiã attẽdere, verũ ẽt saluti & perfectioni proximorũ.

Vt autem finem hunc Religioni nostræ proprium, consequi & adipisci possimus, necesse est alios esse prędicatores: alios cõfessarios, alios professores, alios quoq; coadiutores, qui in exterioribus ministeriis coadiuuent. Quemadmodũ in bello ad cõsequendã de hoste victoriã, necesse est alios in acie confligere, alios ad impedimenta manere: & hi illis ad acriter confligendũ, & victoriam referendam auxilio sunt: nec minore digni præmio, quã qui reipsa manum conserunt, sed, vti ait Dauid, *æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuidẽt.* Et addit eo loco Scriptura: *Et factũ est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & quasi lex in Israel vsq; in diem hanc* Nec immerito: quia omnes pariter vnum faciunt exercitum & ad victoriam obtinendam tam hi necessarij sunt, quam illi: neque enim illi præliari possent, nisi hi impedimenta pugnantium asseruarent.

In militia variæ functiones.
1. Reg. 30. 24.
Alter alteri in bello necessarius.

Simili modo in nostro proposito se res habet: Omnes quotquot sumus, vnũ corpus, vnũ exercitũ, vnã congregationem & aciẽ militum Christi, ad istuc animarũ cõuertendarũ opus, congregatorũ constituimus: nec posset hic cõcionari nec ille cõfitentib. aures dare, nec alius in schola docere, aut alius lectioni suæ incumbere, si non esset qui tẽporalia curaret. Vnde qui hisce intendit, etiã suo modo concionatur, conciones excipit, animas lucratur, & omnis

Fratres sunt Patrum Coadiutores.

victoriæ

victoriæ & fructuum qui colliguntur, particeps est.

Serm. 14. de sanctis: prima de conuers. S. Pauli

Paulus vestes seruando plus sæuit quam lapidantes

Quare bene S. Augustinus ait, Paulum, dum Stephanum prothomartyrem lapidantium vestimenta asseruaret, magis eũ lapidasse quam alij omnes, quod omnium vnus ipse vestes custodiret. Non satis ei fuit, inquit, suis eum manibus lapidare, sed, *vt esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta seruabat, magis sæuiens omnes adiuuando quam suis manibus lapidando.* Si ergo in malo locum habere constet, potius in bono locum habere dicendum; quia ad remunerandum Deus est, quam ad castigandum pronior.

Tom. 3. Epistolar.

Omnia operata in Societate tendũt ad animarum Zelum.

Q. D. M. Auila quadam in Epistola, quam ad duos Sacerdotes in Societatem nostram propediem ingressuros scripsit, ipsis, quãuis iam tum in sæculo naui operarij essent, & Societatem quæ hoc ipsum profitetur, ingrederentur, suadet, vt de proximo iuuando non magnopere laborent, neue se inquietent, quod ministeriis huc tendentibus non applicentur. Et eam dat rationem, quam ipsi iam ante dedimus: *nam quidquid in Societate fit, inquit, etiam lances lauare & tergere, est animarum conuersio: demum, quoniam Religioni huius finis est proximi animabus prodesse, & ab eius conseruatione & incremento, magnum earum commodum & bonum dependet,* hinc quidquid ad huius *Societatis conseruationem & augmentum dirigitur & ordinatur, esto id etiam vilissimum & abiectissimum sit, est animas conuertere; & magna ipsum consolatione obeundum est.*

Coadiutores sunt participes omnium bonorum quibus cooperantur.

Adeo vt (quoniam corporis huius & Religionis membra omnes sumus) vnusquisque officium & ministerium suum rite obeundo, ad fructum & vtilitatem, quæ in ea fit, concurrat & cooperetur, ac proinde omnium conuersionum & bonorum operum, quæ in vniuersa Societate fiunt, particeps. Quod expresse de Coadiutoribus temporalibus in Constitutionibus suis B. P. N. declarat. Quare suo quisque officio contentus & quietus esse debet, atque adeo vt singulare Dei beneficium interpretari, quod corporis huius Societatis, in qua ipsi tam optabilis cultus exhibetur, & animæ ita sedulo iuuantur, membrum sit. Adeo vt quidquid in Societate fit, sit animas conuertere, etiam coquum, ianitorem, æditum, &c. agere, quia finis eiusdem est animas conuertere; hinc quicumque Societatem adiuuat & cooperatur, huic fini cooperatur.

Gratulemur nobis de tam excellenti vocatione Societatis.

Ostendam id etiam multo euidentius: si enim soli illi qui prædicant, confessiones audiunt, & immediate cũ proximo agunt, hanc sibi gloriam vindicarent, & illis solis attribuendus esset fructus, qui in proximo fit, magnam sane Superiores præ aliis in Societate dolendi desolationisque occasionem haberent: hi namque minus quam reliqui particularibus his ministeriis possunt intendere, puta Generalis & Prouinciales; qui satis habent quod agant, dum prouincias suas visitant, ad litteras missas respondent, negotiaque occurrentia debite pertractant, adeo vt illis, ad bono commodisq; proximorum attendendum tempus non supersit. Magis tamen Superior ad proximi salutem conuersionemque confert bene suo officio fungens, & super omnes operarios, suæ curæ concreditos, vigilanter excubans, vt suas quique rite & prout oportet partes exequantur; quam si quasi aliquis de turba confitentibus aures daret, & conciones ad populum haberet.

Superior nil agendo omnia agit.

Architectus & Dux plus præstat quam operarÿ & milites.

Quemadmodum operis alicuius præfectus, artifex, & superintendens, dum procurat & aduigilat, omnes vt munia sua debite legitimeque adimpleant, plus in eo præstat, quam priuatus aliquis operarius: & dux in bello plura facit, dum suis agenda cauendaque præscribit, quam si vt gregarius miles manum cum hoste consereret: imo vero solus facit id, quod omnes adiuuet ac dirigat: itaque ei vni victoria ascribitur. Ita pariter apud nos, is qui sacrarium curat, qui ianitorem agit, qui alia officia domestica obeunt, non minus animas conuertunt, quam aut concionator, aut confessarius; quod ad hoc eos adiuuent, & opem præstent, dum hoc eos onere

leuant,

leuant, quo in hisce ministeriis se commode occupent, quibus alioquin vacare & intendere non valerent.

Vnius corporis plura membra. Omnia se inuicem iuuant.

Hoc est esse vnum corpus, & omnes corporis huius membra Quemadmodum corporis alicuius membra, non idem omnia officium habent, sed suum vnaquæque proprium: & sicut quo vnumquodque membrum fungitur officio, non eo sibi soli fungitur, sed pro toto homine: neque enim pedes propter se solos ambulant, nec sibi soli manus operantur, nec os pro se tantum comedit, sed propter totum hominem: atque ita de cæteris: pari modo in hoc mystico Religionis corpore se res habet. Vtitur autem hac eadem similitudine & comparatione Apostolus, etiam ad eundem finem, dum de Ecclesia Christi loquitur. *Sicut,* inquit, *corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt. Nam si dixerit pes, Quoniam non sum manus: si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, num ideo non est de corpore?* & eiusdem membrum? an non id ita fieri oportuit? Nam *si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit,* & ita, vt vnum alterius ope indigeret; *nec oculus dicere posset manui. Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij.* Ad eundem, inquit Paulus, plane modum in mystico Ecclesiæ corpore res se habet: Nam *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores,* alios Prælatos & Superiores: aliis dedit gratiam curationum, aliis genera linguarum. Necesse est autem diuersa in Ecclesia esse officia & varios gradus: sed omnia sunt vnus & idem spiritus, vniuersaque ad eundem finem, proximi scilicet vtilitatem, diriguntur.

1. Cor. 12. 12.

Membra omnia corpori necessaria.

In Ecclesia varia officia.

In religione quæque alterius indiget opera.

Ita porro & in Religione vsu venit. Non omnes enim possunt esse oculi, non omnes linguæ, vel aures: id est, non omnes Superiores esse, non omnes concionatores & confessarii, oportet sint in corpore etiam manus & pedes: nec dicere possunt oculi manui, neu caput pedi, Opera tua non egeo. omnia enim hæc officia ad finem hunc assequendum necessaria sunt, ac proinde eum, qui in Societate fit, fructum nemo non Sociorum facit.

II. Secundo, omnes omnino socii, id est tam Coadiutores, quam Sacerdotes, ad animarum salutationem adiuuant, & adiuuare debent, non solum eo modo quo diximus, & bonæ sanctæque vitæ exemplo, quæ (sicut infra declarabimus) primarium quoddam & perefficax ad hoc medium est, verum etiam verbis, pios, bonos, & ad salutem animarum conducentes, in familiari cum proximis colloquio conuersationeque sermones intermiscendo Quod vnum est de mediis, per quę multa in proximo bona fieri solent. Vnde etiam B. P. N. in septima Constitutionum parte, in qua de proximi iuuandi mediis agitur, hoc velut primarium ac præcipuum assignat, & quidem ponit id vt generale, quo omnes omnino Socii vti, procurare debent, esto etiam Laici sint & Coadiutores, & horum eo loco speciatim meminit.

Cap 8. Coadiutores 1 Socios iuuando 2. Vita exemplo & piis verbis animas lucrentur.

7. p Constit. c. 4. §. 8.

Vt autem id melius intelligeremus & opere exequeremur, etiam in Regulas ipsum retulit. *Omnes,* inquit, *pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promouere, & consilio ac exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem excitare.* Adeo vt non concionator solum & confessarius, sed & obsonator, procurator, & ianitor, & qui exeuntium socius & comes est, dare operam debeant, bonis vt colloquiis & sermonibus proximum iuuent, statim de rebus animæ salutaribus cum eo agendo; cum illo quidem de pio vsu rosarij; alium monendo vt iuramentis abstineat, hunc, vt ad cōfessionem veniat; eum qui paulo prouectior est, vt quotidie vesperi conscientiam suam ante somnum examinet. Et sic constat multos fratres Coadiutores, magnum in eis quibuscum conuersabantur, bonis suis colloquiis & sermonibus piis fructum fecisse, multosque ad peccatorum confessionem faciendam induxisse, denique permultas Deo animas asseruisse, & fortasse plures, quam

c. 6. Exam. §. 4. Reg 42. Commun.

Colloquia spiritualia proximum mire iuuant.

non pauci concionatores & confessarij.

III. *Oratione proximus efficaciter iuuatur. Cap. 9.*

Tertio, suis item orationibus ad animarum conuersionem omnes cooperantur: quod sane inter media ad hoc conducentia non postremum est, vti infra dicemus. Etiam hoc medium omnium est & vniuersale. Sępe putabit concionator, confessarius, & is qui ad moribundos iuuandos vocatur, quod ipse fructum faciat; & eum fortasse facit is qui eius est socius, eum per feruidas preces Deo commendans; vel coquus, qui pridiana concionis vespera disciplinã & flagella subiit, Deum precatus vt aliqua per concionem anima conuerteretur. Quam multos concionatoribus sacris spirituales filios Coadiutores & laici auferent, & sibi vindicabunt! Hos quidem illi suos esse putant; sed in die iudicij apparebit non esse ipsorum, sed Coadiutorum & Laicorum: & Ioseph verum pueri patrem non esse, sed tantum putatiuum (*& putabatur filius Ioseph*) Videntur quidem esse filij spirituales cõcionatorum vel confessariorum; putantque homines conuersi illos patres suos spirituales esse: at postea apparebit, eos nonnisi à lacrymis atque oratione fratris alicuius Coadiutoris prognatos esse. *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* Qui prorsus videbatur sterilis & infrugifer, plurimos post se trahet filios: & contra, qui patris dicebatur nomine, multosque habere filios videbatur, fortasse ne vnum quidem proprium habere inuenietur. *Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum:* si enim feceris quod debes, fieri potest, vt pluribus spiritualibus filiis circumcingaris, quam celebres concionatores & confessarij; teque postea miraberis tantis filiorum manipulis vallari, *& dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens:* ego non sum prædicator, non confessor, non doctus; *& istos quis enutriuit?* quis eos mihi dedit? Dicam: Oratio, suspiria, lacrymæ, & gemitus. *Desiderium* quippe *pauperum exaudiuit Dominus.* Oratio humiliantis se penetrat cælos: *Deus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Hoc vnum est, quod tam multos filios dat ei qui videbatur sterilis, & patris nomine non appellabatur.

Coadiutoribus multi salutẽ debent, quam Concionatoribus acceptam ferunt.

Luc 3.23.

1. Reg. 2. 5.

Isa 54. 1. Gala. 4. 27.

Orationib. fratrum multi cœlo gignuntur. Isa. 49. 21.

Psal. 9. 38.

Ps. 144. 19.

Hoc concionatores & confessarios sæpe recogitare debere, dicebat B. P. Franciscus Xauerius: primo quidem, vt fratribus suis se non præponerent, sibi persuadendo plus illos se præstare & operari: deinde, vt hoc pacto maiori inter se omnes vnione & caritate connectantur.

Lib 6. c. 16. Vita. Concionatorum frænum.

Adhæc habent & aliud in hoc commodum & bonum Laici, scilicet, quod cum ipsi fructum & lucrum aliquod in animabus eo quo diximus modo, faciunt, securiores sint quam aut prędicatores, aut confessarii & Lectores Scholastici: propterea quod concionator & Lector sæpe in magno euanescendi superbiendique agant periculo; confessarius vero dubius semper sit, malene an bene procedat.

Securiores sunt fratres, quam Sacerdotes.

Huc accedit, quod magna ministeria & munia hęc solicitudines & impedimenta inuoluant: ita quidem, vt non raro homo, quo iis rite perfungatur, sui ipsius obliuiscatur, ac seipsum & proprium profectum negligat. At Coadiutores secure rem suam agunt, meritumq; & quæstus eorum in tuto est: quia ab hac vanitate, necnon ab hisce curis anxiis & scrupulis plane liberi sunt. Adeo vt semper aliqua in lucro nostro partem habeant, & non raro etiam potissimam & maximam; dispendij vero nostri minime participent; sed id totum nostrum sit, totum nobis obueniat. Vtinam vero interdum non contingat, vt concionator vanam gloriam metat, Coadiutor vero omnem fructum & profectum qui fit, ad se trahat (quia non bona, sed iniqua hæc esset partitio) sed omnes laboris nostri fructu gaudeamus, omnia ad maiorem Dei gloriam semper faciendo.

Coadiutores à Vanitate & Solicitudine liberiores.

Coadiutores solius lucri non autem dispendij participes sunt.

(∴)

CAPVT IV.

Quam ad hunc finem necessarium sit, solidum antè virtutum fundamentum ponere.

DVo illa, quæ iam exposuimus, sibi videlicet prodesse, & proximum iuuare, vnum & eundem in Societate finem constituunt. Ita namq; hæc inuicem coniuncta & connexa sunt, vt vnum ad aliud referatur, & primum adiuuet secundum, & illud ad hoc necessarium sit. Vnde videmus diuersa à Societate ad suorum in spiritu profectum directionemque media adhiberi, ab iis quæ vsurpantur in aliis Religionibus, quarum institutum & finis proprius non est proximo succurrere. Atque hinc B. P. N. Ignatius dicere solebat se, si duntaxat Dei cultum & priuatum commodum nostrum respexisset, nonnulla in Societate ordinaturum fuisse, quæ tamen, quod salus proximi sibi curæ esset, neque omnino negligenda videretur, ex eiusdem Dei amore, plane instituere nolebat.

Societatis exercitia ordinata ad salutem proximi.

Lib 5. c. 10. Vita.

Et si sui solius tantum, & non etiam proximi ratio sibi habenda fuisset, dicebat, quod nudo corpore, ac plumis pendentibus deformi, & luto commaculatus, in publicum prodisset, vt & ipse hoc schemate mundum exploderet, & ipsum mundus. Sed ardens proximos iuuandi, quo ęstuabat, amor, hunc humilitatis affectum in eo suffocabat, & in causa erat, vt ea se auctoritate & decentia tractari haberique sineret, quam & officium, & personæ, qua fungebatur, dignitas requirebat; atque extraordinarias illas mortificationes non vsurparet.

Lib. 5 c. 3.

B Ignatij Zelus animarum, externas humiliationes tēperauit.

Atque adeo, si naturalem suam inclinationem, ductum & propensionem secutus esset, ac ad spiritualem, quem è cantu chorali capiebat, profectum, tantum respexisset, chorum se ait in Societatem inductu-rum fuisse; sed idcirco eum inducere noluisse, quod didicisse se à Domino diceret, eum in longe aliis ac cæteri Religiosi solent, ministeriis & exercitiis opera nostrorum vti velle.

Lib 5. c. 5.

Exercitiis aliis intenti choro vacare non possumus.

Et quoniam Societati propositum est, non modo in suiipsius profectum, verum etiam alienum incumbere; hinc ita nobis media ad proprium profectum & salutem necessaria proponit, vt hæc ipsa nos etiā ad proximum iuuandum disponant & habiliores reddāt, & ita nos proximo iuuando curandoq; intendere cupit, vt hæc ipsa ministeria quoddam sint ad nostri ipsorum profectum adaugendū medium: atq; adeo ipsi nobis persuadeamus, per ea nos, si bene iis fungamur, in virtute & perfectione etiam proficere & crescere posse. Adeo vt quæ proximis impendimus ministeria, velut quædam ad profectum nostrum conducentia media, nobis accipienda sint; & gratia, & auxilium, quod ad proficiendum & crescendū nobis dat Deus, non sint nisi in ordine ad proximū; vt sic ei melius prodesse & succurrere possimus: &, nisi serio ei rei totos nos impenderemus, mereremur, vt donorum diuinorum in nos influentium fons & riuus tandem exaresceret: quia propter hoc ille fluit, & hæc est gratia vocationis.

Zelus animarum & profectus noster se inuicem iuuant.

Deus nos pascit in ordine ad salutem aliorum Cap. 6.

Sicut, dum Iosephum Deus ita extulit, & ad locum Regi proximum in Ægypto euexit, & tot bonis donisque eum cumulauit: non id tam eo fecit, vt ipse sibi auctoritatem magnam consequeretur, nec tam in proprium eius emolumentum, quam in fratrum & populi sui vtilitatem. *Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos* Sic & nos ad hunc statum Deus euocauit, tantisque deinde in eo nos afficit beneficiis, in solam gratiam vtilitatemque proximi & fratrum. Atque hanc ob causam luci nos & ciuitati, quarum omne bonum & commodum in aliorum vsum cedit, comparat.

Non tam nobis quam proximis vocati sumus.

Gen 45. 5.

At iam de harum partiū singulis aliquid separatim dicamus, etsi semper in ordine ad aliam. Quod ad primam attinet, certissimum est, vt quis proximum serio iuuare & prodesse queat, ante omnia requiri, vt seipsum serio iuuet, promoueat, & prosit.

Qui sibi nequam cui bonus?

Hac de causa Apostolus istud primo loco, veluti cæterorum fundamentum, ponit, dicens, *Attende tibi.* Primo itaque sibi necesse est vnumquemque attendere, deque proprio profectu serio sollicitũ esse. Nam Deus Opt. Max. tali modo spiritualia & gratiæ opera ordinare ac dirigere solet, sicut opera naturæ ordinare consueuit, in quib. est *attingens à fine vsq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Vtq; se tam illorum, quam horum auctorem esse ostendat, eundem in operibus gratiæ ordinem seruari vult, qui in naturalibus seruatur, in quibus, vt aiunt Philosophi, *omne simile generat sibi simile.* Nam præter causas generales, quales sunt Sol & cæli, videmus ad rerum naturalium productionem etiam aliam causam agentem immediatam eiusdem speciei requiri, vt hac ratione introduci queat forma, quæ ad alia subiecta transfundatur. Ita ignis vnus alium producit, vna lux aliam.

1. Tim. 4. 16.

Idẽ auctor naturæ & gratiæ Deus.

Sap. 8. 1.

Fortes creantur fortibus.

Pari modo fit in reb. spiritualibus; nam vt humilitatis, patientiæ, caritatis, aliarũq; virtutũ forma aliis imprimatur, vult Deus, vt causa immediata, qua ipse ceu instrumento vtitur, puta concionator vel cõfessarius, sit humilis, patiẽs, & caritate æstuãs.

Virtute praditus sibi gignit similem.

Adhæc, sicut in rebus naturalibus planta, verbi gratia lactuca, semen non producit tum, cum iam parua est, sed postea cum iam perfecta est, & plene excreuit, semen incipit emittere, vt sic ex ea aliæ species producantur & multiplicentur: ita in rebus spiritualibus & gratiis Deus hominem vult ante prouectum esse, magnum in virtute progressum fecisse, & in virũ perfectũ excreuisse, vt spirituales Deo filios deinde progignat, & cum Apostolo dicere queat, *In Christo Iesu per Euangeliũ ego vos genui.*

Paruuli nõ generant, sed prouecti.

1. Cor. 4. 15.

Idcirco Societas ante omnia studet & enititur, vt sui primo super seipsos attendant, deque proprio profectu maxime solliciti sint, atque in hoc eos primo solide firmiterque fundare cupit. Hanc ob causam tantæ & tam continuæ in Societate adhibentur probationes, biennium videlicet probationis in ipso ingressus principio, ante studiis iis deinde absolutis, rursus eos ad incudem reuocat, & denuo ludum subire cogit, adhuc integrum eis probationis annum dans: vt, si forte studia litterarũ & speculationes scholasticæ, spiritum deuotionis nonnihil extinxerint & imminuerint, ipsum reaccendãt tũ, cum iam cũ proximo illis est conuersandum, ita vt de spiritualibus agere sine spiritu non præsumant.

Probationes Societatis plurimæ.

Sine spiritu de spiritualibus quis aget!

Quin etiam postea adhuc semper nouitij esse & manere videmur; tot annos quippe professio nostra differtur, vt quasi vita tota in nouitiatu & probationibus consumi videatur, antequam Societas aliquem vt dignum se operarium auctoret & pronunciet. Quod ideo fit, quia magna illi postea negotia cõmittenda sunt; multis proinde experimentis eum ante necesse est probari, atque exacte explorari, quanti sit ponderis & valoris, &, quoniam rebus altis & eminentibus applicandus est, nimirũ vt alios nõ solũ bonos, sed & perfectos faciat, hinc ipsum ante oportet perfectum esse.

Tota fere nostra vita Nouitiatus est.

Perfectus sis vt perfectos reddas.

Vnde apparebit quam grauiter errent & fallantur ij, quibus hæ probationes & periclitationes nimis quam longæ videntur, quique sibi nonnunquam persuadent omne tempus, quod hisce probationibus impendunt, inutiliter consumi, iam tum concionari, & cum proximo conuersari gestientes: qui cum in oratione pauxillum deuotionis ardentioris, aut piam aliquam cogitationem sentiunt, statim se concionari aliis arbitrantur.

Vanitas eorũ qui præmature erumpere gestiunt.

Deplorat hoc S. Ephrem Abbas, & hunc non tam spiritum Dei, quam superbiæ & vanitatis esse asserit. *Venisti*, inquit, *vt in Religione docereris & instrueretis: at vixdum discere incepisti, & iam alios docere gestis: Antequam docearis, docere appetis, priusquam discas iura legesq; ferre ambis, antequã syllabas iungere noueris, philosopharis, priusquã corripi sustineas, corripis, priusquã consiliũ ab aliis tibi datũ admittas, tã aliis consulere & monere præsumis.*

Serm de vita & exercit. monast.

Spiritus vanitatis, non Dei docere antequam didiceris.

Egregie rem hanc pertractat in Pastorali suo S. Gregorius, ipsamque obuiis quibusdam comparationib declarat. *Admonendi sunt isti, vt considerent quod pulli auium si ante pennarum perfectionem volare appetant,*

3. p. pastor. admonit. 26.

Similia pre iis qui prodire gestiũt.

tant; vnde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur. Admonendi quoq; *sunt vt cōsiderent quod structuris recentibus necdum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur.* Sinendæ namq; sunt structuræ siccari, & parietes primo solidari, vt quod superimponetur illis onus, ferre queant. *Admonendi* denique *sunt, vt considerent quod conceptas soboles fœmina, si prius quam plenè formentur, proferant, nequaquam domos, sed tumulos replent.* Necesse proinde solidum amplumque virtutis & mortificationis ante fundamētum poni, quam cum proximo agatur. quod si desit, maius longe erit defectuum periculum, quam spes profectus: citius quippe suum nobis affricabunt malum, quam nostrum illis bonum communicemus

Conuersatio proximorum imperfectis periculosa.

Inde est, inquit S. Gregorius, quod ipsemet Christus, esto ipsissima Patris æterni esset sapientia, eamque ipse in primo conceptionis suæ instanti tam perfectam habuerit, ac postea in ætate virili, antè trigesimum tamen annum non prædicarit, & primo in desertum concesserit, ieiunaturus, aliasque corporis asperitates exerciturus, & diaboli tentationem experturus: vt suo nos ipse exemplo edoceret, quanta ad hoc sublime ministerium præparatio & perfectio requiratur: ipse namque hisce præuentionibus & præparationibus neutiquam opus habebat.

Christi mora & præparatio ante doctrinam.

Diligenter autem eo loco ponderat, quod de illo ætatis annum duodecimum agente, & Ierosolymis manente Euangelista scribit: *Inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Aduerte, inquit, & attentè considera, quod Iesum duodennem in templo inter Doctores parentes inuenerint, non docentem, sed audientem & interrogantem. Decere scilicet eum, qui in virtute adhuc puer, tener & imperfectus est, vt alios docere, & ante tempus in tam arduum & eminens ministerium se ingerere non præsumat: cum ipse id ætatis non alios docere, sed tantum audire & interrogare voluerit, etsi alioquin ipse esset is, qui omnem hisce Doctoribus scientiam & sapientiam, vtpote qui verus Deus erat, dabat.

Luc. 2. 46.

Christus duodennis audit & interrogat, non docet.

Inde etiam factum est, ait idem Gregorius, quod cum postea Apostolos & discipulos suos per totum terrarum orbem Euangelium prædicaturos misisset, ipsisque omnem quæ ad hoc requirebatur, virtutē perfectionemque dare potuisset, hanc tamen ipsis tunc non dederit; nec eos ita debiles & imperfectos prædicare permiserit, sed dixerit eis, *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Vt hoc pacto ostenderet, quam nos necesse sit solidum ante in virtutibus, humilitate, & mortificatione fundamentum ponere, vt postea in arenam ad cum proximo conuersandum egressi, ipsum & magno ipsius bono ac compendio, nullo vero nostro dispendio facere possimus.

Apostoli ad Spiritum sanctum se præpararunt & disposuerunt.

Luc. 24. 49.

Huic item proposito adaptat S. Bernardus illud quod in Canticis Sponsus ait: *Soror nostra parua est, & vbera non habet;* nondum lacte ea turgent, vt eo filios aliquos lactare possit. Hæc namque ipse verba de Ecclesia, qualis ea ante Spiritus sancti aduentum erat, exponit, aitque eam tunc paruulam fuisse, nulla vbera & lac ad vllos filios spirituales alendos habuisse, quoadusque veniret Spiritus sanctus, qui suis Apostolos & discipulos donis & gratiis quam abundantissimè adimpleuit, magnamque illis lactis copiam instillauit. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis magnalia Dei,* multaque hominum millia ad Christum conuertere.

Cant. 8. 8.

Act. 2. 4. & 11.

Si ergo insignem in animabus fructum facere, si Deo filios spirituales enutrire velis, vbera tua te oportet bono lacte plenissima & turgentissima habere; vnum quidem multiplici virtute, alterum sana salutarique doctrina.

Vbera duo virtutis & doctrinæ.

S. Hieronymus illum Ecclesiastæ locum, *Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent,* exponens, prædicatores nubibus assimilat: nam, vt nubes aquam in se continent; eaque terram irrigant; ita prædicatores aquam doctrinæ

Eccles. 11. 3. Idem dicit Hieron. Isa. 1. & Psal. 35. in illud:

Veritas tua vsque ad nubes.

Euangelicæ in se continent, eaque aridos hominum animos irrigant. Quin & comminatorium illud flagellum, quod vineæ suæ Deus ob peccata & præuaricationem intentat apud Isaiam, dicens, *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem;* hoc in sensu exponit, aitq; vnum è maximis & grauissimis, quibus populum suum castigare solet Deus, flagellis esse, cum verbi sui imbrem inhibet, nullos inquam mũdo prædicatores mittit, aut, si quos mittit, ij sint huiusmodi, vt nullũ prædicatione sua fructum faciant. Cum ergo hæ nubes aqua cœlesti repletæ erunt, tunc poterunt, ait Hieronymus, pluere, & aquam suam per terram effundere, ac dicere, *Audiat terra verba oris mei, concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina:* tunc & terram feracem reddere, id est hominum corda mollire & mouere poterunt, vt humectata bonorum operum fructum ferant.

Isa. 5. 6.

Concionatores instar nubium doctrina cœlesti populos irrigant.

Deut. 32. 1.

Atsi nubes inanes sint & euanidæ, nec aquam contineant, quid fiet? Illud ipsum, quod in Canonica sua S. Iudas Apostolus ait, *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Nam vti nubes aqua vacuæ, quod leues sint, nulloque pondere aut substantia degrauentur, facili negotio à vento huc illucque raptantur: pari modo, nisi virtutibus, humilitate, & mortificatione plenissimus & instructissimus sis, vanitatis, æstimationis propriæ, reliquarumque passionum & affectuum mundanorum turbo te velut nubem inanem & pondere destitutum, aliorsum quam par est, abripiet. Ac proinde ad nihil aliud tibi seruiet, quod nubes sis, altaque ministeria & officia obeas, quam vt ob eadem magis euanescas, atque ab omni vanitatis vento abripiaris.

Iud. 2. 12.

Concionatores vani vt nubes sine aqua ventis luduntur.

S. Augustinus de diuitibus loquens, *Difficile est*, inquit, *vt non sit superbus qui diues est: nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam.* Quidquid est creatum, suum progenerat vermem, à quo corrodatur & destruatur: vestes tineam ac blattas, lignum teredinem, triticum curculionem: *Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum: & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici,* at diuitiarum vermis, isque ab alijs vermibus prorsus differens, ijsque multo pestilentior, est *superbia*.

Quis diues humilis? Lib. 50 homil hom. 13. & lib de verbis Domini super Matth ser. 5.

Omne creatum suum habet vermem.

Diuitum vermis superbia.

Si ergo diuites sæculi, quod opibus se circumfluere & auri multum possidere, ac magni propterea ab hominibus fieri colique vident, in tanto superbiendi & euanescendi discrimine versantur; quanto maius erit periculum eorum, qui & nubes esse, & longe supra terram elati esse debent, eam tum irrigando, tum bonis complendo, quique, quod tam sublimia obeunt ministeria, ab omnibus, tam magnis quam paruis coluntur, honorantur, & magni fiunt, & eo quidem honore & reuerentia, quo nullus dari maior fingiue potest?

Maius concionatorib. periculum à superbia.

Nam, Chrysostomo teste, maior sacerdotibus debetur reuerentia, quam Regibus, quam Principibus, denique quam patribus qui nos secundum carnem genuerunt: hi namque nonnisi vitæ quæ secundum mundum est, auctores sunt, sacerdotes vero ac patres spirituales Deo nos viuere faciunt. Nullus enim maior excogitari potest honor, aut existimatio, quam opinio sanctitatis. Reliquis illis reuerentia quidem exhibetur exterior, interius vero sæpenumero contemptui sunt & parui ducuntur: hi vero honorantur vt sancti. Magno ergo humilitatis fundamento opus est, ad huius honoris & æstimationis pondus desuper incumbens ferendum.

Lib. 3. de Sacerdot.

Sacerdotũ suprema dignitas.

Patres terrenos superant.

Reuerentia coluntur interiori.

Superbia namque & vana gloria vermis est, qui opera bona deterit, ac prorsus destruit; in iis porro quæ honoratiora ac sublimiora sunt, maius est, ne hic vermiculus enascatur genereturque, periculum. Atque idcirco primum, quod in statu sacerdotali continetur periculum, teste eodem Chrysostomo, est, pestilens illa vana gloria, quæ inter omnes scopulos & præcipitia, quæ Poetæ comminiscuntur, maximè minax & terribilis est.

Vana gloria in magnis magis timenda.

Vbi supra.

CAPVT

CAPVT V.

Vt proximo prosimus, nobis ipsis obesse, aut salutem propriam negligere non debemus; quin imo propterea impensius in proprium profectum incumbendum.

Eccles. 29. 27.

RЕcupera proximum, ait Sapiens, *secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Hic Societatis finis & institutum est, & regia, qua in eadem procedendum est via. Duobus autem modis quis à via hac regia deflectere potest; vel ad dextram declinando, dum nimirum planè & totum se ab omni cum proximis commercio & conuersatione, quo proprio studeat profectui, dimouet, vel ad sinistram, dum ita proximis se impendit, vt suiipsius obliuiscatur. Ambo porro hæc extrema vitiosa & periculosa sunt; quocirca nonnihil de iis singillatim loquemur, vt medium in quo virtus consistit & perfectio, deligamus, neu ad dextram, vel ad sinistram deflectamus.

Extrema duo vitiosa.

Vt autem ab extremo quod magis periculosum est, incipiamus, quando scilicet ita serio nos proximo iuuando impendimus, vt nostri ipsorum obliuiscamur: ab illo vt caueamus exactè nos in Euangelio Saluator Iesus commonet, dicens, *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nulla quippe compensatione eius iactura & amissio reparari compensarique potest. Vnde & rationi consentaneum est, & caritas ipsa exigit, vt ob nullas demum occupationes & negotia animam quis suam curare negligat, inque eius perfectione exornatuque flauescat: nam benè ordinata caritas à seipsa debet incipere.

Matth. 16. 26.

Prior sit tibi cura tui.

Hinc etiam illud ante omnia Propheta à Deo postulabat, *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me:* vbi bonitatem primo loco nominat. Nemo enim per speciem iuuandi amandique proximi, suipsius obliuisci, aut curam rei propriæ seponere debet; quia insignis id error foret.

Psal. 118. 66.

Bonitatis sit præcipua cura.

Vnde etiam Seneca Gentilis, eos qui aliorum causa semetipsos negligunt, assimilat puteis limpidam aquam dantibus aliis, fœces & cœnum in se retinentibus.

Cribra farinam demittunt, siliquas retinent.

Nicolaus autem Pontifex quodam in decreto alia euidentiori idipsum similitudine declarat. Ostendens namque Sacramenta diuina à malis posse Sacerdotibus administrari (quod hi sibi solis noceant) eos qui huiusmodi sunt, similes esse ait faci accensæ quæ dum aliis prodest & illuminat, sibi vni nocet, ac seipsam destruit ac consumit.

Aliis seruiendo consumor.

Egregie rem hanc pertractat S. Bernardus, explicans illud è Canticis, *Oleum effusum nomen tuum.* Duo eo loco adfert opera, quæ Spiritus sanctus in nobis operatur: Vnum, quo nos primo in virtutib. ad proprium nostrum bonum, fundat; & hoc vocat infusionem: alterum vero, quo nobis dona, & gratias, ad vtilitatem & profectum proximi cõmunicat, quod effusionem appellat, quod non aliter ea nobis det, quam vt eadem deinde in alios effundamus, & communicemus.

Serm. 78. in Cant. Cant. 1. 2.

Atque primo debere fieri infusionem, ac postea effusionem: Primo inquam hominem in se debere recipere, & virtutibus plenum ac locupletem esse, deinde easdem in alios effundere ac distribuere. Et scitam elegantemque ad id demonstrandum adducit similitudinem: *Quamobrem*, inquit, *si sapis, concham te exhibebis, & non canalem.* Illud porro inter canalem & concham siue craterem discrimen est, quod ille quo aquam tempore recipit, eodẽ transmittat, nihil vt eius sibi retineat: at concha quæ circumsecus clausa est, primo seipsam replet, ac posteaquam plena est, quod sibi super est, foras diffundit ac communicat; idque sine vlla sui iactura ac minus habentia. Sic tu, non canalis, sed concha esse allabora.

Infusio sit prior Effusione.

Concha sis non canalis, da quod superest, nec tibi subtrahe necessaria.

Ne autem, inquit Bernardus, à me proficisci

ficiſci credas; id quod hic dico, atque ideo
minoris id apud te ſit ponderis, noris id
totum à Spiritu ſancto prouenire, qui ali-
bi per Sapientem ſic loquitur, *Totum ſpiri-*
Prou. 29.11.
tum ſuum profert ſtultus, inſtar canalis: *ſa-*
piens differt & reſeruat in poſterum, ac pri-
mo ſeſe adimplet inſtar conchæ. Sed, prò
dolor, planè ſecus hodie fit: nam *canales*
multos hodie habemus in Eccleſia, conchas
vero perpaucas: per pleroſque namque, vt
Plerique hodie dicũt & non faciunt.
canales, verbi Dei aqua pertranſit, cordi-
um arua irrigat, eaque vernantia, viridia,
ac fertilia reddit: ipſis interim aridis & ſine
omni prorſus fructu manentibus.

Tantam illi (ironicè loquitur) carita-
tem habent, vt effundere geſtiant, ante-
quam quid collegerint, & nihil ſibi reti-
nentes, multa dare & elargiri velint aliis:
ad loquendum promptiores & habiliores
ſint, quam ad audiendum: docere cupiunt
In charitate ordo ſeruandus.
quæ nondum didicerunt, demum regere
& gubernare alios, qui ſe ipſi regere neſ-
ciunt. Non eſt, mihi crede, hoc caritas:
nullus enim caritatis gradus anteponen-
dus eſt ei, quam aſſignat Sapiens, *Miſere-*
Proximus ſum egomet mihi.
re animæ tuæ placens Deo. Ante omnia
quis propriæ animæ miſericordia debet
Eccleſ. 30. 24.
moueri, Deo placere & ſeruire omnimo-
dis procurando: poſtea vero de iuuandis
curandiſque aliis laborare.

Quod ſi non habeo niſi parumper olei, quo
3. Reg. 17.12.
vngar, putas tibi debeo dare, & remanere
inanis? Seruo illud mihi, vti reſpondit alia
vidua, *& omnino niſi ad Prophetæ iuſſio-*
nem non profero. *Si inſtiterint rogitantes*
Alijs tribue, ne tu egeas.
aliqui ex his, qui forte exiſtimant de me
ſupra id quod vident in me, aut audiunt
aliquid ex me, putantque habere me quod
effundam in alios, reſpondebo illis, *Ne for-*
tè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad
vendentes, & emite vobis: nefas enim eſt,
me inopem & vacuum manere, quo tibi
conferam: *non vt alijs ſit remiſſio*, ait A-
1. Cor. 8. 13.
poſtolus, *vobis autem tribulatio: ſed ex æ-*
qualitate non eſt illa bona caritas. Satis
eſt te proximum tuum diligere, ſicut tei-
pſum, hoc eſt enim mandatum Chriſti,
Proximum dilige vt te ipſum.
dicentis, *Diliges proximum tuum ſicut tei-*
pſum. Atque hoc ſibi vult illud Apoſtoli,
Ex æqualitate. Ne ames ergo illum am-
non ſupra te
plius quam teipſum: de proprio nihil de-
Matth. 22. 39.
perdas profectu, quo proximi profectui ac
commodis attendas: nec tui curam negli-
gas quo cures alios: quia inordinata ea ca-
ritas erit.

Pſal. 62.6.
Dicebat Pſaltes, *Sicut adipe & pingue-*
dine repleatur anima mea, & labijs exul-
tationis laudabit os meum. P. imò te abun-
dare & redundare oportet, vt dein ex a-
Heb. 2.1.
bundantia cordis os loquatur. *Propterea,*
ait Apoſtolus, *abundantius oportet obſer-*
uare nos ea quæ audiuimus, ne forte pereſ-
fluamus; ſed vt nobis ipſis ea ante omnia
Abundemus antequam diuidamus.
ſeruemus; ad ſummum vſque quidem re-
pleri debemus, ſed non accepta omnia alio
transmittere.

Adeo porro nobis proprius profectus &
Plus ſibi attendat cui cum alijs agendum.
bonum, proximi iuuandi gratia, negli-
gendus non eſt, vt etiam propterea dili-
gentiores, & in bono noſtro curando na-
uiores nos eſſe oporteat. Magnis namque
virtutibus inſtructos nos eſſe oportet, &
bene mortificatos, vt cum mundanis ho-
minibus agamus, ne ſuos illi nobis næuos
& contagia affricent, & prius nos ipſi ad
prauos ſuos mores & conſuetudines per-
trahant, quam nos illos ad noſtros. Nam,
Eccleſ. 13.1.
teſte Sapiente, *qui tetigerint picem, inqui-*
nabuntur ab ea manus eius, niſi eas oleo
Caue ne ſeducaris ab his quos reducere vis.
ante immerſerit: pari modo nos, vt cum
mundanis conuerſemur, neceſſe eſt ſem-
per Deo plenos, & orationi immerſos in-
cedere. quod ni faciamus, merito timere
debemus ne manibus noſtris pix tetra ad-
hæreſcat, dum ipſi nos poſt ſe trahunt, ſua-
que nobis mala & conſuetudines vitioſas
Oſeæ 4.9.
affricabunt; *& fiat ſicut populus, ſic Sa-*
cerdos.

Lib. 5. c. 11. Vitæ.
B. P. N. Ignatius inter alia, quorum
commonebat eos qui cum proximis age-
bant, hoc inprimis monitum dabat (vti in
Caute ambula quia in medio luporum agis.
eius vita legere eſt) perſuaderent ſibi vide-
licet, non agere ſe aut conuerſari cum ho-
minibus perfectis, ſed inter homines pa-
rum ſanctos, ac ſæpe etiam iniquos & do-
loſos, & *in medio nationis prauæ & per-*
uerſæ, vt loquitur Apoſtolus, ambulare.
Magni autem momenti hocce documen-

ßum eſt, vt hoc pacto cautè, circumſpectè, & præmuniti incedamus, ne quæ videbimus mala & ſcandala nobis adhæreſcant, & noxiam animabus peſtem afflent.

Antidotis virtutum præmuniantur, qui cum peccatoribus infectis agunt.

Solent medici, & ij qui morbidos, ac præſertim lue contagioſa laborantes, adeunt, multa penes ſe odoramenta, & vim mali coercentia antidota habere, ne morbi ad ipſos clanculo proſerpat contagio, & quæ ex ægro corpore promanat exhalatio, vapor, & fetor ipſos inficiat. Cum ergo nobis cum lue contagioſa, quæ niſi multis magnarum virtutum, orationis & mortificationis præſeruatiuis inſtructi ſimus, facili negotio nos inficere & afflare poſſit, côuerſandum ſit, facilè apparet, quam bono ſanoq; ſtomacho eſſe confeſſarius & operarius quilibet debeat, cui aſſiduè putriſcentia & fœtentia conſcientiarum vulnera vlceraque, manib. quodammodo & cominus pertractanda ſunt: ne, dum peccatorũ purulentiam & vomicam in confeſſione coram inſpicere cogitur, menti ea poſtmodum obuerſetur, & prauarum cogitationũ & motuum auditorum ideis memoriæ recurrentib. æſtus animũ in diuerſa rapiant.

Confeſſariorum periculum à pænitentibus.

Quare bene nonnulli eſſe nos debere aiunt ceu fluuios quoſdam, qui tanto in mare impetu inferri dicuntur, vt ipſum tranſeuntes medium, natiuum aquarum ſuarum dulcorem retineant, nulla vt iis ſalſedo ex aqua marina admiſceatur.

Impetus fluuios à ſalſedine ſeruat marinâ.

Lib. 3. de Sacerd.

Chryſoſtomus oſtendens quales eſſe debeant Sacerdotes, quibus in mundo cum proximo conuerſandum eſt, illorum animos non minus intactos & integros eſſe debere aſſerit, quã erant corpora trium illorum puerorum Babyloniçorum, vt ſcilicet in medio ignis conſtituti non ardeant. Ambulamus namque inter flammas, non ſarmentitias, aut ſtuppeas; ſed valentiores & potentiores, quam fuere fornacis Babyloniæ. Hinc quippe prorumpit flamma quædam inuidiæ; inde alia ambitionis; illinc tertia carnalis: alia deniq; prauorum de te iudiciorum & murmurationum. Talem porro te eſſe oportet, vt in harum flãmarum medio non comburaris. Et, quoniam ignis, vbicunque locum reperit, eo ſe ingerit & proſerpit, & ipſum quod corripit, tametſi pulchrum foret, fœdat & fuligine inficit. Hinc Sacerdos Dei ita communitus & armatus eſſe debet, ait ſanctus ille ſcriptor, vt ne fumus quidem ad ipſum pertingat. Vt ergo nos non ſolum tot tamque immenſæ flammæ non adurant, verum etiam ne fumus quidem illarum aſperſa fuligine denigret aut coinquinet, neceſſe eſt nos valde circumſpectos & præmunitos incedere.

In medio ignis non ſum æſtuatus.

Flamma varia peccatorum.

Vel à fumo & odore ignis tibi cauendum.

Monet huius rei nos in Euangelio Redemptor ipſe, dum nos ſicut lux eſſe iubet, *Vos eſtis lux Chriſti.* Quod egregiè declarat S. Auguſtinus, dicens, *Lux etſi per immunda tranſeat loca* & ſterquilinia, *non inquinatur*, nec inficitur: quin potius eadem exſiccat, purificat, tetrumque ab iis fœtorem pellit, nullam vt malam impreſſionem in ſe recipiat: ſic nos per maleolentia hæc peccatorum & peccantium fœtidorum & immundorum fimaria & cloacas ita tranſire debemus, nihil vt nobis ſordium adhæreſcat: at potius eos purificemus, exſiccemus, & olidum ab iis fœtorem tollãmus, quemadmodum lux ſolis facere ſolet.

Oculi præcedãt greſſus.

Matth. 5. 14.

Tract. 4. in Ioannem.

Lux non inficitur ſed fœda purificat.

Hanc ob cauſam magna ſemper nobis eſt in ſpiritualibus noſtris exercitiis diligentia & cura præferenda: in oratione inquam, examinibus, lectione ſpirituali, pœnitentia, & mortificatione. Ordinariam proinde orationem, quæ in Societate ad hoc propoſitum, ad maiorem noſtri in ſpiritu profectum præſcripta eſt, nunquam omittere debemus; quod ipſum etiam magni eſt faciendum.

Oratio ordinaria nunquam omittenda.

Diabolus namque, videns neutiquam ſe nos à proximis iuuandis auocare poſſe (quod noſter ille ſit finis & inſtitutum) omnimodis allaborat, vt huic rei nos totos ita impendamus & immergamus, vt ob eam noſtri ipſorum obliuiſcamur, &, quæ ad noſtrum profectum & conſeruationem neceſſaria ſunt media, prorſus ea negligamus. Nam ſicut, flumen dum alueo ſuo egreditur, quoſcunque pertranſit agros, eos fœcundat, omneſque eorum ſordes, eas conuertens, in ſe attrahit: ſic & dia-

Diabolus vult nos proximis ſeruire neglectis nobis, vt tandem cum proximis pereamus.

& diabolus nos sordes vellet contrahere, dum immoderatè & sine discretione nos proximorum curationi suadet insistere, quod etiam communis quædam solet esse tentatio; vnde quoad hoc maxima præmunitione & præparatione instructos nos esse oportet. Cum præsertim præcipuum, quod ad hunc ipsum proximos iuuandi, magnique inter eos fructus faciendi finē, adferre possumus; medium sit, vt de nostri ipsorum profectu inprimis soliciti simus, sicut inferius dicemus.

Tentatio communis Alueo ne egredere. *Cap. 8.*

Cum vero plura negotia nobis tractanda occurrunt, tunc magis ad orationem recurrendum, Deiq; auxilium est per preces requirendum, quo illa prout oportet peragantur. Sicut fecisse legimus sanctos omnes, atq; inprimis S. Dominicum, qui ita tempus suum distribuebat, vt die toto proximis curandis incumberet, noctem vero Deo & precibus dedicaret. Hac de causa adeo magnus & excellens doctrinæ eius fructus existebat: noctu quippe disponebat & præoccupabat, quod ipsi per diem agendum erat, & ante negotia sua cū Deo concludebat, quā ea cū hominib. pertractaret.

Auctis negotijs multiplicetur oratio. *S. Dominici ordinata charitas.*

Ipse quoque Saluator Iesus huiusce rei præclarum nobis exemplum dedit, vtpote quem toties integras noctes in montibus locisque desertis orando traduxisse Euangelistæ prodiderunt. Per diem namq; varia obibat loca, Euangelium prędicaturus, docturus, ægros & à dæmonibus possessos curaturus; noctu vero vigilabat, *& erat pernoctans in oratione Dei* Non quod ipse, vti notat Ambrosius; isthoc adminiculo & subsidio opus haberet, sed duntaxat vt suo nobis exemplo præluceret.

Christus in oratione pernoctat. Luc 16 12. *In eum locum.*

Tum vero magis hoc nobis est obseruandum, cum domo sumus absentes: vt ad oculos videre est in Regulis eorum, qui Missiones obeunt, in quibus id speciatim praescribitur. *Caueant ne consueta in Collegijs ac domibus orandi & examinandæ conscientiæ exercitia imminuant.* Non sine ratione autem dicitur, *caueant*: quia reuera singulari quadam cautione & cura excubandum est, ne in hoc, dum extra domum peregrinamur, deficiamus: cū enim domi sum, tum quod occupationes eius sint moderatiores; tum quod campanulæ signo ad orationem & examen vocer: tum etiam quod alios idipsum agere videam, non possum idipsum non facere: at quando quis domo abest, & hinc ipsum extraordinariæ & graues occupationes obruunt & defatigant; illinc campanulam, à qua vocetur, non audit, nec eorum, à quibus adiuuetur, sed potius eorum qui impediant & distrahant, exemplum videt; nisi sedula super se aduigilet sollicitudine & diligentia, sæpenumero spiritualia sua exercitia seponet.

Reg. 26. *Foris magis cauendum ne oratio imminuatur quia maius periculum minus subsidium.*

Hanc ob causam nullis aliis suas Societas Missiones committere debet, quā quos longo vsu experientiaque probarit. Hinc R. P. Franciscus de Borgia dicere solebat, nunquam sibi Missionem, quam adornabat, magis placere, quam cum magnum ea illi dolorem afferret. Inde porro hic ipsius dolor oriebatur, quod eos ab se viros foras ablegare cogeretur, qui ijs erant dotibus instructi, quales ad huiusmodi expeditiones requirebantur, & quales ipse in iis requirebat. Nam longe pluribus præsidiis & armis opus est ad egrediendum, quam domi manendum.

Missiones probatis committendæ. *Lib. 4 c. 8. Vitæ.* *Missiones bonæ quæ Superiores affligunt, quia optimos ijs abstrahunt.*

Quocirca Missiones iis maximè committendæ sunt, & quadrant, qui quatuor votorum Professi sunt, qui iam bene probati esse, & in virtutis studio satis prouecti existimantur. Quanquam ne hos quidem continenter & diu in iisdem agere conuenit, sed suis temporibus domum redire se recollecturos ac restauraturos; ne per tot tamque intensas occupationes spiritus offocetur, & paulatim excrescat.

Missiones fere Professis committenda. *Quamuis & hi se subinde recolligent.*

Hinc colligere possumus, quid, si ita de ministeriis spiritualibus, ad animarum iuuamen institutis loquamur, scilicet ob illa orationem, examina, reliquaque ordinaria exercitia, proprium & priuatum nostrum profectum concernentia, omittenda non videri (quia bona & ordinata caritas non est, seipsum negligere, & suum profectum seponere, quo alterius commodis ac saluti intendatur) quid inquam sit de corporalibus & exterioribus occupatio-

Si spiritualia moderanda, quanto magis temporalia.

pationibus, de officiis & negotiis temporalibus dicendum; idque tam in sæcularibus, quam Religiosis; quia ad omnes omnino homines hæc doctrina pertinet, & eā sibi quisque pro statu suo applicare potest?

Numquam enim quis ita in occupationes externas, esto etiam eæ bonæ sint, & ad officium suum referantur, effundi, aut immergi debet, vt propterea salutis suæ obliuiscatur; & Religiosus orationem, examen conscientiæ, & quidquid demum aliquomodo ad profectum suum & passionum mortificationem spectat, earum causa omittat. Nefas enim est omittere quod maius est, ob id quod minus: semper quippe præponere & preferre debemus id, quod nostri ipsorum priuatum commodum vtilitatemque concernit: atq; ea demum cū Dei, tum Superiorū nostrorū voluntas est.

Superiores nolunt vt te negligas inordinato amore proximi.

Nec studiosus & scholasticus spiritualia exercitia, propter studia & lectionem, debet aut penitus omittere, aut parui ducere: parū quippe illi proderit, euadere in virum doctum, si boni Religiosi mores non addiscat. Atque eo magis, quod seria ordinariorum exercitiorum spiritualium obseruantia non tam impeditura sit, quam mirificè collatura, vt naturalis ingenii lumen Deus adaugeat & illustret, ad maiores in studiis progressus faciendos.

Doctrina virtuti cedat, imo ab ea iuuatur.

Albertus Magnus apud discipulos suos frequenter dicebat (quod & in initio Summæ casuum, quam edidit, scriptū reliquit) plus in diuinis scientiis feruenti oratione & deuotione, quam contentiore studio profici: atq; ad hoc propositum adferre solebat verba illa Salomonis, *Optaui & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Hinc etiam Sanctus Thomas de Aquino, qui illius sub disciplina studuit, tantopere in omni scientia eminuit, & tantam ingenii est subtilitatem adeptus: qui quidquid sciret, magis se oratione id, quam humana industria & studio profitebatur assecutum.

1 p. Lib 5. c. 45. histor. S. Dominici

Oratio plus iuuat doctrinam quam studia.

Sap. 7. 7.

1. p. Lib. 3 c. 37. hist. prædicator.

S. Bonauentura cum Parisiis Theologiam magna omniū satisfactione & plausu, insigni quoque doctrinæ opinione ac nominis fama profiteretur; atque eo ipso tempore libros etiam aliquot eruditos ederet, quos omnes obstupescerent, die quadam eum S. Thomas Aquinas, qui eodem tempore viuebat, eique familiaris erat, adijt, petijtque sibi libros quos volebat, ostendi. Duxit illum in cubiculum suum Bonauentura, ostenditque ei paucos aliquot libros communes in mensa positos, quos se legere dicebat. At cum Thomas illos sibi potissimè libros, è quibus res adeo profundas & mirabiles hauriret, petiisset exhiberi; Bonauentura, ostendens illi oratorium, in quo crucifixi Iesu effigiem, quæ aspicientibus pietatem moueret, habebat, Hi, inquit, sunt omnes libri mei, Pater, & tibi persuadeas velim, hunc primarium meum librum esse, è quo, quidquid aut doceo, aut scribo, quam copiosissime haurio: & ad huius magistri pedes multo me magis profecisse, maioremq; veræ sciētiæ lucem esse assecutum (ad hos in meis dubiis habendæ lucis causa confugiendo) nec non Missas audiendo & seruiendo, quam ex omnibus libris & exercitiis litterariis. Quibus auditis Thomas, erga sanctum hunc virum magis affici, & in maiori eum honore habere cœpit.

p. 2. lib 1. c. 2. Chron. Mino.

S. Bonauentura ex imagine crucifixi plus hausit quam è libris.

CAPVT VI.

Cauendum nobis est & aliud quoddam Extremum: nimirum, per speciem nobisipsis attendendi, omnem proximi curam abijcere.

DIcet fortasse quis, si tantum sit in proximo curando periculum situm, huiusmodi me periculis vltro exponere nolo, sed ab iis quam possum longissimè me subducere, deque mei vnius profectu ac salute sollicitus esse cupio: magis quippe mei teneor curam gerere, quam aliorum; neue æquum est me, quo alios lucrer, salutis propriæ periculum adire. Hoc alte-

Proximi cura non negligenda.

alterum est extremum, ad quod quis à regia instituti nostri via potest deflectere. Cui obiectioni, vti & priori, etiam in Euangeliis clarè respondetur, in parabola scilicet de talentorum distributione.

Matth. 25. 14.
Luc. 19. 15.
Parabola Euangelica de talentis.

Pater quidam familias omnem inter seruos suos substãtiam dispertitus, vni quidem quinque talenta, alij duo, tertio denique vnum tantum dedit. Primi accepta talenta bene impendentes, totidem alia superlucrati sunt, atq; idcirco ab hero laudẽ & præmium retulerunt. At qui vnum duntaxat acceperat, illud in terram defodit, ac venienti domino, & accepti rationem deposcenti, respondit, *Domine scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: & ideo timens abij, & abscondi talentum tuum in terra*, ne ipsum amitteretur: *ecce habes quod tuum est*: en talentum integrum, vt à te illud accepi. Cui deinde Dominus: *De ore tuo te iudico serue nequam sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsura vtique exegissem illam?* Et adstantibus dixit. *Tollite itaque ab illo talentum, & date ei qui habet decem talenta*, qui ad quinque accepta alia quinque superlucratus est; quia illi maiori mercede & ampliori gloria donabuntur: *& inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & strider dentium.*

Luc. 19. 21.
Matth. 25. 28.

Lib. de fide & operibus c. 17.

Parabolam hanc ad nostrum propositum exponit S. Augustinus, eamq; à Christo ad instructionem & documentum eorum prolatam censet, qui, quod inertes & socordes sunt, dispensatoris partes in Ecclesia Dei agere, nec proximum iuuare volunt, Deo se dicentes alienorum peccatorum rationem reddere nolle. Pigri huius serui, inquit, exemplo sapiant: quia aliam eius condemnationis causam non legimus, quam quod cum talento accepto non sit negotiatus, nec aliquid ei superlucratus. Neque enim id ipse perdidit, vel malè impendit: quin imo diligenter & cautè asseruauit, sub terra defodiens, ne id ipsi furto surriperetur.

Lib. 1. Offic. c. 3.
Silentium otiosum damnatur.
Dan. 13. 35.
Negotiosum laudatur.

Hinc etiam Ambrosius ait, *Videamus, ne rationem reddamus pro otioso silentio: est enim & negotiosum silentium*, quale fuit castæ Susannæ, quæ plura præstitit silenter ingemiscendo, quam si locuta fuisset: nam tacendo quoad homines, loquebatur cum Deo: *& est silentium otiosum:* & illud malum est. Proinde, sicuti Deo verborum otiosorum, ita etiam silentii huius otiosi reddenda ratio est. Tunc autem id otiosum est, quando, cum proximum verbis nostris iuuare & prodesse possumus & debemus, ipsum non facimus. A nobis vero potissimum & præ cæteris Deus huius silentij rationem deposcet: quia hoc talentum nobis concredidit, hoc alios iuuandi officium & ministerium Societati iniunxit, atque ideo non tantum proprij profectus à nobis rationem exiget, qualem exacturus est ab ijs, quibus solum se ipsos curare propositum est; verum etiam quæret, quomodo in proximis iuuandis lucrandisque operam impenderimus. Qui si nos comperiat talentum receptum abscondisse, & terræ infodisse, & ipsum à nobis auferet, & nos, vti seruum illum nequam & pigrum, castigabit.

Societati Iesu cura proximi demandata.
Orationi & animarum zelo vacandum.
Matth. 26. 39.

Quocirca vtrumque curare & cordi habere, nec vnum propter aliud omittere nos par est: sed imitari exemplum Redemptoris nostri Iesu Christi, quem in ipsa passionis nocte, ab oratione surgentem discipulos suos adiisse, ac rursum ab iis ad orationis locum rediisse, Euangelista commemorat. Vt nimirum ab oratione surgentes, ad cum proximo agendum, eumque iuuandum egrediamur, ac rursus statim ad solitudinem, & orationem repetendam redeamus.

Serm. 57. & 58. in Cant.
Cant. 2. 10.

Præclare punctum hoc pertractat S. Bernardus, exponens illa sponsi ad sponsum verba, *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: haud dubium*, inquit, *quin ad animarum lucra* Sed quid hoc sibi vult? An non is ipse sponsus est, qui ante paulo in eodem capite, tam sedulo studioseque inhibebat, ne dilectam quis expergefaceret? *Adiuro vos filiæ*

Cant. 2. 7. *filiæ Ierusalem, per capreas ceruosq́ camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Quomodo ergo iam illam compellat, non modo vt surgat, verum etiam properet? Momenti spacio, & simul quodammodo, vetat, ne quis sponsam excitet, & statim eam hortatur vt surgat & festinet. Quid sibi vult repentina hæc voluntatis & consilij sponsi mutatio? Putasne, ait Bernardus, leuitate aliqua sponsi id factum esse, & eum ante aliquid voluisse, quod postea noluerit? Nequaquam, sed ad necessarias illas vicissitudines & mutationes, quas facere nos interdum oportet, alludere voluit, vt nimirum à somno & quiete orationis & contemplationis, ad actionis necessariæ laborem proximi iuuandi causa, alternatim transeamus.

Sponsa quiescere & surgere iubetur.

Ab orationis otio ad actionis laborē transeundum.

Magnus quippe Dei amor otiosus esse nequit; ignis enim est, ac proinde alios eodem amore succendere & inflammare gestit: atque idcirco non modo contemplationis quietem relinquit, & orationem interrumpit surgens, verum etiam festinat: vt ingens & accensum proximos iuuandi desiderium hac ratione declaret. Hinc ergo est, ait S. Bernardus, quod cum vix paululum in sponsi sinu sponsa requieuisset (læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me) eam excitet, & ad alia vtiliora peragenda emittat. Vtiliora dico; quia melius, vtilius, & coram Deo dignius est, simul etiam aliis curandis attendere, quam solum nostri ipsorum profectum & vtilitatem curare.

Amor vt ignis otiosus non est.

Cant. 2. 6.

Zelus animarum vtilior contēplatione.

Neque vero tum primum sponsa hoc modo à sponso excitata est: nam & alias idem ipsi contigit. Volebat nimirum sponsa contemplationis quiete & deliciis semper frui, & suauissimis sponsi sui amplexibus & osculis continenter innatare, vnde eadem etiam enixe petit, dicens, *Osculetur me osculo oris sui* at respondet ei sponsus, *Meliora sunt vbera tua vino*; significans illi, quod & filios progignere debebat, ac proinde hos ei negligendos non esse, sed curandos. Recordare te esse matrem, & habere filios, illos tibi esse lactandos & educandos; atque ad eos sustentandos & curandos sæpe tibi amplexum, quietem, & delectationem esse seponendam.

Bern. serm. 41. in Cant.

Cant. 1. 1.

Cuius rei symbolum & figura nobis fuit Iacob, cui, dum formosæ Rachaelis, sed sterilis, amplexibus & osculis frui sperat, pro ea Liam lippam, sed fæcundam, suppositam fuisse Scriptura narrat. Sic & hoc loco, dum sponsa ad optata ac deliciosa sponsi sui oscula & amplexus aspirat, matris ei officium, & filiorum educatio commendatur, diciturque ei, *Quia meliora sunt vbera tua vino:* fructus quippe prædicationis & conuersationis cum proximo, necnon animas Deo lucrari, melius tunc est, & magis Deo placet, quam deliciosa vini contemplationis suauitas.

Etsi Lia non æque sit formosa ac Rachael, at est fæcundior, & sua fæcunditate nimis quàm Rachaelis venustatem supplet & compensat. Esto vita contemplatiua actiua sit perfectior; quando tamen cum contemplatiua hæc actiua coniungitur, vti sunt docere & iuuare proximum, & animas Deo conuertere, tunc multo ea perfectior est, quam contemplatiua sola.

Vita mista contemplatiuam superat.

Hoc in sensu explicat Chrysostomus illud S. Pauli, ad Romanos scribentis, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratrib. meis, qui sunt cognati mei secundum carnē.* Quod videlicet Apostolus aliquantisper à suauissima Iesu Christi conuersatione & commercio sequestrari, operaque sua amorosa ad tempus seponere vellet, quo proximorum saluti comparandæ insisteret. Atque hoc quodam modo erat, propter illos anathema fieri à Christo. Hinc & Doctores omnes fatentur, illud supremum quendam summumque caritatis actum fuisse.

Lib. 1. de cōpunct.

Rom. 9. 3.

Cōtemplatio animarum lucro postponēda.

Adeo vt, quæ videtur iactura & dispendium, nonnisi insigne sit lucrum & compendium. Vnde nobis persuadeamus necesse est, nullam nos, esto proximorum curationi & commodis attendamus, in proprio profectu aut re nostra iacturam passuros; quin potius permultum propterea lucratu-

Zelus animarū perfectionem promouet.

creaturos,& maius in virtute & perfectione incrementum ac progressum facturos. Elegantes aliquot similitudines ad hoc illustrandum & confirmandum adfert Clemēs Alexandrinus:

Lib. 1. stromat.

Similia quatuor
1. Puteus.
2. Culter.
3. Ignis.
4. Scientia.

Quo plus, inquit, aquæ è puteis hauritur, eo illam & meliorem dant & limpidiorem: & è contra eadem, cum non educitur, limosa, putiscens & insipida fit. Culter vsu ipso nitescit ac splendet; in vagina vero reconditus manens, & sine vsu, sordes & rubiginem contrahit. Ignis, quod multa adurat & accendat, adeo nihil de vi sua deperdit, vt potius maior fiat & increscat. Ita quoque in scientiis humanis eum qui alios docet, videmus docendo multa addiscere, atque hoc modo homines magnam sibi Doctrinam ac varias scientias comparare.

Eodem vero modo se res habet in scientia hac spirituali & diuina: eo magis, quod verbum Dei sit gladius anceps, ex vtraque parte acutus, tum aliis, tum sibi secans. quod enim alios doceo & prædico, eo & ipse opus habeo: quin & docentem me conscientia statim remordet, suggerens, Cur ipse non facis, quod aliis prædicas? Væ illis qui dicunt, & non faciunt.

Concionatores.

Et cum in confessionibus aliorum lapsus audimus, & aduertimus, ex iisdem discere debemus caute circumspecteque ambulare, & Deum ex animo rogare, vt potentem manum suam à nobis non amoueat: simul etiam immensas ei gratias agere, quod in pares nos culpas incidere non permiserit.

Confessarij.

Dum hunc & illum ad bene moriendum disponimus, efficax id nobis occasio & stimulus est, ad horam mortis semper præsentem in memoria habendam, & ad tali modo vitam instituere studendum, vt semper & vbiuis ad illam parati ac dispositi simus.

Moribūdis vacantes.

Dum carceres & Nosocomia adimus, dum inimicos inuicem conciliamus, ad vitæ huius miserias melius cognoscendas, hæc nos opera velut manu ducunt, necnon ad beneficium vocationis, quo ad statum Religiosum nos benignissimus Deus è mundo vocauit, pluris faciendum.

Opera pietatis exercentes.

Denique omnia nostra exercitia & functiones adeo non occasio sunt ad in peius proruendum, vt potius quidam velut excitatores & adhortatores sint, nos, ad studiosius & maiori cum conatu in virtutem & perfectionem incumbendum adhortantes,

& His similes inde

ad perfectionem iuuantur.

Huc accedunt eximiæ ac multæ illæ misericordiæ, quas quam copiosissime Dominus præstat iis qui ita nauiter & impigre proximo operam suam dedicant. Si opera misericordiæ corporalis exercentibus, tanta in Scriptura promissa merces legitur, quæ non manebit eos, qui spiritualis misericordiæ opera proximo impendent? vtpote quæ tanto prioribus maiora & digniora sunt, quanto corpori anima antestat & potior est.

Opera misericordiæ spiritualia maiorem misericordiam merentur.

Quare merito de his capi & intelligi posse ait Chrysostomus, id quod in Euangelio legimus: *Date, & dabitur vobis.* Nec non illud quod apud Sapientem, *Anima quæ benedicit* (id est proximo benefacit) *impinguabitur*; *& qui* spiritualiter alios *inebriat* amore ac desiderio rerum cœlestium, *ipse quoque* à Deo diuinarum consolationum vino *inebriabitur*.

Luc. 6.38.
Prou. 11.28.

Nonnulli hos assimilant eleemosynariis Principum, quibus magna argenti vis in egenos distribuenda datur: quibus, si multa effundant, etiam multa vicissim conferuntur. Hæc tamen comparatio (vt verum fatear) nequaquam id quod volumus adæquat, nec vsquequaque per omnia respondet: quia eleemosynarius, si modo fidelis sit dispensator, prorsus nihil sibi reseruat, nec propterea quod aliis multa dat, inde ipse fit locupletior. Verum ij qui spiritualibus ministeriis proximo opitulantur, dum quid aliis dant & locupletant, ipsi pariter ditantur, & substantiam suam adaugent. quocirca alii melius & adæquatius eos puerorum regiorum nutricibus comparant, quibus de sua mensa Rex cibos & alimenta subministrat, quæ deinde eo quod sibi superest ac redundat, teneros regulos enutriunt. Pari modo, qui Regis cœlestis filios educare & alere student, iis ipse de mensa sua regali ac diuina escas & alimenta tam copiose & abunde suppeditat;

Qui proximos iuuant, melius nutricibus quam Eleemosynariis comparantur.

Ex abundantia tribue proximo,

tat: vt, cùm ipsis plus quam satis sit, ac datis redundent, de hac abundantia ac copia in filios suos spirituales non pauca queant effundere.

Quam similitudinem D. Petrus Chrysologus verbis eleganter complectitur: *Vt enim infantis regij nutrices delicatis cibis pascuntur, vt purissimum lactis fontem alumnis suis propinent: sic supremus ille Rex verbi sui ministros, licet immeritos, propter filiorum suorum alimoniam, cœlestis suæ mensæ cibis pascit & nutrit, quo delicatius illos lactare & pascere valeant.*

Operariis Deus plura largitur ... proximis iuuabunt.

Nostrum porro, præ aliis Religiosis, est semper hoc ipsum præ oculis habere: nam proximi curationem & opem Deus, velut efficacissimum quoddam ad in spiritu priuatim proficiendum, medium nobis est elargitus; quod hoc proprie nostrum sit instituti ac finis. Vti expresse id declarat Bulla Iulii Tertii, vbi cum instituti nostri finem, & erga proximum exercenda ministeria Pontifex Summus proposuisset, subiungit, *Curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, quoad vixerit, ante oculos habere.*

Zelus animarũ mediũ nostræ perfectionis.

Bulla instituti Iulij III.

Quia sicut proprius nonnullarum Religionum monachalium profectus situs est in choro sedulo frequentando, in sua clausura bene seruanda, in statutorum, ieiuniorum, & asperitatum obseruantia: ita noster profectus & perfectio in eo consistit, vt ministeria nostra ad proximo subueniendum instituta, legitime debitoque modo obeamus: quia ad hoc nos vocati sumus, sicut illi ad alia.

Zelus animarum vocatio nostra.

Vnde etiam ipsi non immerito de proximo dicere possumus, quod olim de Philippensibus Neophytis Apostolus, *Gaudium meum, & corona mea.* Et de Thessalonicensibus, *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* In quem locum sic commentatur Ambrosius, *Manifestum est, quod perfectio discipulorum, gaudium & perfectio magistri est* & gloria.

Philip 4. 1. 1 Thess 2. 20.

Perfectio proximi gloria nostra.

Nouerimus ergo oportet, omne nostrum meritum, profectum, & perfectionem in hac vna sitam esse. Adeo vt, quamuis solitudo & recollectio cellaris, necnon mirifice erga orationem affici, in Societate nostra permagni fiant; si quæ tamen oratio & solitudo ab ministeriis proximo debitis nos auocat, insignis quædam est in Societate dæmonis tentatio.

Quicquid à zelo animarum nos auocat, tētatio est.

Si vel in sæculo ageremus, vel aliam Religionem, cui hoc propositum non esset, profiteremur, à bono spiritu profectum, & quædam perfectio credi posset, diutius ac frequentius orationi insistere, ac solum nostri ipsorum curam gerere: at hic in Societate, bonus id spiritus non est, sed mera tentatio, & dæmonis in Angelum lucis sese transfigurantis, ac per propriæ salutis curandæ, atque præsentis periculi deuitandi speciem, ab instituto te tuo ac fine auocare machinantis illusio.

Quæcumque à fine abstrahunt, bona non sunt.

Oratio Societatis, nostræ esse debet vocationi conformis, vt nimirum ab ea ad proximum adiuuandum paratiores & promptiores surgamus, & cum S. Iob dicamus, *Si dormiero, dicam, Quando consurgam, & rursum exspectabo vesperam.* In oratione namque disponere & comparare nos debemus, ad instituti nostri ministeria melius & accuratius obeunda, atque eo futura melior oratio est, quo ad hæc magis dispositus ab ea surges; quanto etiam magis in amore Dei proficies, tanto incensius esse debet tuum Deo animas lucrifaciendi, vtque & alii pariter tecum eum ament, enitendi procurandique desiderium.

Iob. 7. 4.

Oratio & charitas animarum zelo subseruiat.

Religiosus quidam feruens, & zelosus Dei seruus, cum multos annos indefesso labore in Indorum cõuersione laborasset, & iam parum se in quiete & vacatione à labore recolligere vellet, quo maiori diligentia & accuratius ad bene moriendum se disponeret, in Hispaniam rediit, atque ibi se ab omni cum proximo conuersatione & commercio sequestrauit. Hic quoties orationi insisteret, videre sibi videbatur Christum Iesum in cruce fixum, qui suaui ac blanda quadam expostulatione ipsum reprehendens, diceret,

P. Alfonsus de Roza. Ordinis S. Francisci.

Quietem propriam animarum lucro postponamus.

Cur

Cur me in hac cruce reliquisti, tuamque iam quietem & consolationem sectaris? Qua voce admonitus, & visione Christi mire permotus, ad intermissam animarum culturam reuertit, in qua permultis deinceps annis nauum & infractum se operarium præstitit.

Capvt VII.

Aliquot suggeruntur remedia iuuandæ pusillanimitati non nullorum, qui quod suiipsorum perditionem & damnationem timeant, proximos iuuare refugiunt.

Vt pusillanimitatis tentationem, qua timidos aliquot & scrupulosos dæmon vexare solet, persuadentes sibi suam se animam præsens in discrimen vocare, dum aliorum curare proponunt, radicitus è cordibus nostris euellamus; ante omnia veritatem quandam, inprimis necessariam, maximique momenti, quæque ad hoc ipsum inprimis nos adiuuabit, nouerimus, nobisque persuadeamus oportet: nimirum quo loco nos Deus collocabit, eo securiores ac tutiores nos fore, quam quo nos ipsi fore putabamus. Dum enim, Superiore iniungente, in publicũ & forum prodimus, dum fœda & spurca pœnitentium in confessionibus scelera audimus, tutiores ac securiores erimus, quam si ex proprio nutu & decreto, in cubiculum nos abdentes, hisce nos ministeriis, prolabendi periculum veriti, subduceremus. Quia forsitan in cubiculo à prauis & obscænis cogitationibus impugnaberis, & inardesces; & in ministeriis illis fieri potest vt securior sis & quietior: quia enim te in illis Deus constituit, hinc ipse etiam te custodiet & proteget. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Bona, inquam, voluntate Dei, qui ea nobis mandat, iisque nos applicat, velut vmbone & clypeo circumdamur ac protegimur.

Veritas maxima. Tutior es in periculo cum Deo, quam tecum extra illud.

Deus quo te loco statuit, hoc & protegit.

Psal. 5. 13.

Vnde præclare S. Basilius: *Nolito putare,* inquit, *ideo te castum, & à carnalibus tentationibus immunem fore, quod te in solitudinem recludas, & ab hominum consuetudine sequestres.* Falleris: quia non est hæc castitatis assequendæ ratio. S. Hieronymus in solitudine interiori, procul ab hominibus agebat, olera & herbas comedebat, & mira asperitate corpus suum atterebat; de se ipse tamen queribundus scribit, sæpe se putasse Romanis choreis & plausibus interesse, cumque frequentibus ora pallerent ieiuniis, cum corpus rigidum & exhaustum vix spiritum traheret, cum caro exsuccida & prope emortua esset, voluntas nihilominus à malis concupiscentiis incendebatur, & ad illicitos appetitus impotenter rapiebatur. E contra Abbas Helias tam rarum à Deo castitatis donum, vti refert Palladius, erat consecutus, vt quadraginta annos trecentis monialibus tanta animi pace & quiete præfuerit, quanta, si viris, nimirum sine vlla ad libidinem tentatione, motu, & castitatis periculo.

In Constit. monast. c. 6.

Ep. ad Eustoch.

Sola solitudo ad castitatem non sufficit.

In histor. Lausiac. sect. 32.

Deus suos seruat in periculis.

Tam integris vestibus, & saraballis illæsis, tres illi pueri in fornace Babylonica ambulabant, vt nullum illis flamma nocumentum inferret, & capillus capitis eorum non adureretur: regios vero ministros, qui ab fornace procul dissiti erant, sibique, ne ab igne violarentur cauebant, flamma non vstulauit modo, sed & deuorauit. Potens est enim Deus, in mediis flammis illæsos & intactos seruare illos, qui ex eius amore in easdem se dedere.

Dan. 3. 94.

Quin potius flammæ ipsis fuere velut flores vernantes, & paradisus deliciarum, in quibus Deum laudabant & benedicebant. Ita contingit iis, qui ex eiusdem Dei amore, diuinique honoris & gloriæ zelo, in medio fornacis Babiloniæ mundi huius igne ambulant: quia vbi alij comburuntur & penitus consumuntur, hi Deum suum laudant,

Fœlix quẽ faciũt aliena pericula cautum.

laudant, benedicunt, magnasq; ei gratias agunt, quod ipsos ad Religionem vocarit: & vnde alij suis perditionem & condemnationem animabus arcessunt, inde hi euidentiorem vanitatis mundanæ cognitionem æque ac detestationem, maioremque boni quod in Religiosa vita habent, æstimationem hauriunt.

Rom. 8.28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Iis inquam, qui ex amore Dei, & superiorum voluntati parendi desiderio, his ministeriis vacant, omnia in bonum conuertuntur, itaque sugunt mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Vbi namque adest animus fidelis, Deoque placendi auidus, vbi homo non intruditur, neue se ingerit, sed legitime ad hæc ministeria vocatur, & debite eis applicatur, nulla ibi est animo cadendi, sed magna potius fiduciæ in Deum collocandæ occasio, sperandiq;, quod, quandoquidem his ipsemet nos applicarit, gratiam quoque dabit eadem sine læsione & periculo obeundi.

Qui vocat conseruat.

Vt autem huic veritati magis credamus, ac proinde ad munia nostra obeunda maiorem fiduciã & animos concipiamus, quoddam hic medium, atq; ipsum efficacissimum, quod in Societate ad hũc finem habemus, omissis in præsentiarum aliis plurimis, producam; particularem inquam Religionis nostræ gratiam. Est hoc primarium quoddam ac maximæ consolationis punctum, cum quoad subiectum quod tractamus, tum quoad alia plurima deseruiens.

Gratia peculiaris Societatis.

Vnaquæq; Religio particularem quandam à Deo gratiam & auxilium ad eum perfectionis gradum, ad quem eius sectatores vocati sunt, assequendum accepit. Neq; enim ad statum aliquem, aut finem hominem Deus vocat, quin simul conuenientia media, vires & gratiam, quæ ad finem illum & perfectionem, ad quam eum vocat, obtinendam necessaria sunt, simul ei concedat.

Omnes religiones peculiarem gratiã habent ad suũ finem assequendum.

Qui vocat ad finem, dat media.

Hanc D. Thomas conclusionem egregie tum è sacra Scriptura, tum è naturali ratione comprobat: quia *Dei perfecta sunt opera.* Quocirca, si quam Deus ad certum aliquem finem, Religionem instituit, ei quoq; media & auxilia ad eum finem obtinendum necessaria, dare debet: imperfectum alioquin Dei opus foret. Sicut ad oculum in omnibus rebus naturalibus diuinam eius maiestatem facere videmus; vt, quando potentiam ad aliquid concedit, simul etiam conuenientia conferat media, vt illa potentia ad actum suum cogi queat; nam, iuxta Philosophorum axioma, *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.* Eodem prorsus modo fit in rebus supernaturalibus, & iis quæ sunt gratiæ, neque enim minus eæ esse perfectæ debent, imo potius perfectiores, quàm naturales. Vnde cum aliquam Deus Opt. Max. Religionem ad finẽ quempiam instituit, omnia quoque media & auxilia necessaria, vt qui eiusdem Religionis sunt, eum consequantur, ei elargitur. Atque hoc vocamus gratiam Religionis.

4 d.24. q.1. art.2. ad 1.

Deut.32.4.

Cui dat Deus potẽtiam, dat media vt illa in actũ exeat.

Gratia Religionis.

Ac sicuti singulæ Religiones ab inuicem diuersæ sunt, suumque vnaquæque procedendi modum, & particularem finem & institutum sanctum habet: ita etiam singulis particularem Deus gratiam & auxilium ad finem illum, ad quem eas instituit & ordinauit, obtinendum contulit. Adeo vt Religiones omnes in hoc conueniant, quod gratiam Religionis vnaquæque habeat, particulare inquam quoddam Domini auxilium & opem, ad perfectionis statum, ad quem institutæ sunt, consequendum oportunam. Hæc porro gratia ea harum vnicuiq; particularitate distribuitur, quam finis quem habet, necnon media, quæ ad eum consequendum ei concessa sunt, exigunt. Ita Monachis Carthusiensibus particularem Deus gratiam dat, ad clausuram, solitudinem & abstinentiam suam seruandam. Hieronymianis vero, ad attentam in choro diuinorum officiorum recitationem: atque ita de cæteris Religiosis Ordinibus.

Omnes Religiones habent gratiã sed quaque diuersam iuxta suũ finem.

Cum ergo Societas Iesu particularis quædam sit Religio, auctoritate Sedis Apostolicæ in Ecclesia Dei ad animarum iuuamen & curationem potissimum instituta: hinc Deus nobis, ad finem hunc conse-

consequendum, particularia & propria quædam media suggessit; quorum etiam in confirmationis eius Diplomate ipse summus Pontifex meminit: qualia sunt verbum Dei prædicare, confessiones audire, docere, Christianæ fidei capita rudibus per catechesin tradere, spiritualia exercitia præscribere, dissidentes inuicem conciliare, carceres & nosodochia adire, aliaque id genus. Adeo vt, sicuti Societas Religio est ad hunc finem, animarum inquam cõuersionem à Deo vocata; ita etiam ad hęc ipsa ministeria & munia vocata sit, vt illorum adminiculo finem hunc assequatur. Est hoc inprimis notandum, quia maximæ consolationis est.

Societatis media.

Neque solum finis, verum etiam quæ in proximorum curationem impendimus media & ministeria, instituto nostro propria sunt, nobisque conuenientia, idq; per Regulam, à Vicario Iesu Christi approbatam & confirmatam, quemadmodum è Bulla, qua institutum nostrum approbauit Pontifex Iulius Tertius, liquido patet. Adeo vt Societatem Iesu professi, ex vi regulæ suæ, sint & confessarii & professores scholares; nec tantum ministeria spiritualia, verum etiam opera misericordiæ corporalia, quæ proximo Societas impendit; qualia sunt carceres visitare & nosocomia, ex regulæ & instituti præscripto, exercere teneatur, vti ex eadē Bulla patet.

Finis & media nobis propria.

Vt ergo ad rem ipsam iam veniamus, hinc sequitur Societatē particulare quoddam à Deo auxilium & gratiam, ad finem hunc, animarum inquam conuersionem, ad quem potissime eam instituit, assequēdum accepisse, & quidem per media vocationi & instituto nostro propria, quæ ad hoc ipse nobis dedit. Atq; hæc est particularis Religionis huius nostræ gratia. Adeo vt particulari quadam ratione nobiscum Deus concursurus, & particulare quoddam robur & efficaciam hisce mediis sit, ad finem hunc assequendum additurus: quia hæc est gratia particularis huius Religionis Societatis Iesu.

Ita autem se id habere, singulis diebus (quæ Dei bonitas & misericordia est) reipsa experimur. Quid enim in causa esse putas, quod cum quis è Societate concionator in Missionem aliquam, & quidem interdum ætate iuuenis, & nonnisi nuperrime studiorum cursu confecto, destinatur; talem is in tota aliqua gente animorum motum concitet, vt vniuersi ad peccatorum homologesin faciendam magno feruore & tam frequentes accurrant, vt iam sacrosancta Paschatis solennitas instare videatur? tales is ibidem inimicos conciliet, quos ante alij permulti, nequidquam tentatis omnibus, pacificare non potuere: idem quoque publica flagitia & scandala de populo tollat, quæ ante nec brachium sæculare, nec auctoritas Prælatorum impedire valuit. An tuæ id virtuti & doctrinæ, ac talento & gratiæ concionandi putas acceptum referendum? Nequaquam: quia non est hoc aliud, quam particularis Religionis gratia: quod enim id eius sit institutum, & illa media ad hoc ipsum proportionata, hinc particulari quodam modo ad illa Deus concurrit, & singularem quandam energiam & efficaciam iisdem indit, vt suum finem consequantur.

Gratia peculiaris Societatis Iesu iuuat eiusdem operarios.

Non nobis Domine, non nobis.

Digitus Dei est hic.

Contrarium vero (quod euidens rei huius est probatio) videmus in nonnullis qui Societatem deseruere; Etenim hi cum in ea agerent, alas habere & volare videbantur, gratis auribus & animis ab omnibus audiebantur, & insignem in populo fructum faciebant; rati vero se etiam in sæculo volare, & eundem facere fructum posse, frustrati sua spe fuere: nam quod hæ alæ essent gratia Religionis, hinc, cum eandem reliquere, etiam alas exuerunt, plaeque se implumes in sæculo esse comperrerunt.

Gratia Dei sum id, quod sum.

Apostatæ deseruntur à gratia.

Illustre quo ad hoc propositum, exemplum nobis suggerit liber primus Machabæorum. Cum enim quidam è populo Israel viderent, Machabæos generosa multa in bello facinora edere, & sæpius licet cum Gentibus collata manu, semper superiores euadere, & vix aliquot suorum amissis, luculentas victorias reportare, ac propterea nomen eorum toto orbe celebrari; hanc

illis

illis gloriam inuidentes, & parem ſibi cupientes, inſuper ambitione acti, dixerunt ad inuicem, *Faciamus & ipſi nobis nomen inclytum*, vt celebremur in Gentibus. Quo dicto, colligunt copias, & aduerſus hoſtes Iſrael expeditionem mouent. At non pro eo ac putarant, res ipſis ſucceſſit; ſed cum confuſione ad propria reuerti coacti ſunt. Hoſtes quippe eos adorti, turbatis ordinibus, & bis mille cæſis, reliquos in fugam compulerunt. Cuius rei rationem Scriptura etiam ſtatim ſubnectit: Ideo, inquit, hi cæſi & fugati ſunt, & vincere ſperantes, è contra victi ſunt, quia *non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael.*

Non in pluribus beneplacitum eſt Deo.

1. Mach. 5. 62.

Nullam ergo ſuperbiendi, aut quidquam nobiſipſis attribuendi occaſionem habemus, ſed omnia hæc tum Deo, tum Religioni ipſi attribuenda ſunt. Dominus quippe *idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti*, non litteras, non talentis quæ accepimus, *ſed ſpiritu*, quem ipſe nobis communicat. Quod enim hoc noſtrum ſit inſtitutum, tuque Religionis huius membrum, tecum Deus hic concurrit, tibique particularem dat gratiam & auxilium, ad magnum in proximis fructū faciendum, vtq; illis ſubueniendo, non ſolum tibiipſi non noceas, verum etiam hac via magis in virtutis ſtudio & perfectione creſcas, & progreſſum maiorem facias. Atque hæc eſt particularis Religionis huius gratia, & particularis eiuſdem effectus. Hæc qui conſiderat, nullam prorſus animo cadendi, aut puſillanimitatis occaſionem habet.

Nil tuum, omnia Dei & religionis.

2. Cor. 3. 6.

Spiritus operatur in ſingulis prout vult.

Qui Deum conſiderat magno eſt animo.

Solerter quoque aduertit S. Bernardus, quod, cum ſponſus ſponſam à ſomno contemplationis ad actionem ſurgere iuberet, non dixerit, *Vade*, ſed, *Veni, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Quod non parum nos animat & corroborat. Per hoc namque ſignificat, quod non temere nos ſinat ire prout volumus, ſed nos ipſe pro libitu conducat, & per hoc medium ad ſe trahat. Ad hæc ergo miniſteria nos mittit, non vt nos à ſe ſeparet, ſed ſibi magis coniungat. ad ipſum imus, ipſe nos conducit, nobiſcum incedit, ipſe noſter eſt comes. Vnde timendum non eſt, ne propterea ſimus aliquam iacturam in ſpiritu facturi; ſed magna è contra concipienda ſpes & fiducia, maius inde lucrum & prouentum meliorem ſecuturum.

Serm. 18. in Cantic.

Cant. 2. 10.

Operationes non ſeparant, ſed coniungunt nos Deo.

Non damnum ſed lucrum inde referemus.

Regis cuiuſdam filius ſeruos ſuos ad audax aliquod facinus aggrediendum excitaturus, dixit eis, *Nolite timere: ego enim ſum qui præcipio vobis, roboramini, & eſtote viri fortes.* Si ergo tu Domine mihi præcipias, vt hiſce me miniſteriis & obſequiis impendam, vtque ſerio proximos curem, quomodo timere potero? Securior & tutior ſane in medio muliercularum laſciuarum ero, earum confeſſiones excipiens, & eis prædicans, dummodo tu me hiſce officiis applices, quam ſi meo ex arbitrio ac lubitu, intra domeſticos parietes concluſus exiſtam: tu namque Domine, id mihi iniungis, tu eis vt vacem, imperas. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

2. Reg. 13. 28.

Obedientia vbique ſecura.

Pſal. 22. 4.

Hinc etiam facile apparebit, quam grauiter in Religione errent nonnulli, qui, proprium ſecuti arbitrium ac velle, dicunt, Si tali in loco eſſem, ſi tali officio aut miniſterio applicarer, quietus fore, & Deo maius in eo obſequium præſtiturus mihi videor; hac vero in domo, hoc in miniſterio plane inquietus ſum, & nullam conſolationem inuenio; atque adeo videor, ſi diutius in eo maneam, nullum omnino profectum facturus. O intolerabilem errorem & illuſionem! Quomodo ibi bene tibi putas fore, vbi tute te cupis ingerere? ibi vero male, vbi te Deus conſtituere vult? Vtinam vero, quæ hinc ſecuta ſunt mala, non reipſa iam ſæpe eſſemus experti. Nouimus ſiquidem quoſdam, quibus, cum non contenti eſſent iis officiis & habitationis locis, in quibus Deus & Superioris voluntas ipſos conſtituerat, temereque alia ambirent, Superiorum voluntas & iudicium ſuiipſorum iudicio vt condeſcenderet procurando, ſtolide ſibi perſuadentes, maius ibi ſe Deo obſequiū, & in proximo fructum facturos; tam male hęc quam deſiderabant & ambiebant, mu-

Quies in eo quod Deus mandat, non quod tute elegeris reperietur.

Electionis propriæ periculum.

 tatio

ratio cessit, vt ad oculum viderint & confessi sint, merito se ob eandem à Deo castigari. Cauere sane & timere debemus, ne pro lubitu atque ex arbitrio nostro, habitationis locum, aut aliquem denique gradum nobis desideremus: sed in omnibus simpliciter nos Deo, per medium obedientiæ, dirigi & conduci sinamus: vbicunque enim locorum nos ipse constituet, in eo & melius viuemus, & tutiores ac securiores erimus.

Obedientia fructus.

CAPVT VIII.

De primo medio ad fructum inter proximos faciendum: bona inquam & sancta vita.

IAm generalia aliquot media, ad proximum iuuandum conducentia, de quibus in septima Constitutionum parte B. P.N. loquitur, prosequemur, omissis aliis particularibus, quæque Sacerdotibus propria sunt: de quibus in quarta earum parte agit. Et quamquam quæ in præsens dicturi sumus, ad proximi promotionem vtilitatemque potissime referantur, talia ea nihilominus erunt, vt simul etiam ad nostrum proprium bonum & perfectionem spectent. Nam, vti initio dicebamus, tam duo hæc in Societate inuicem coniuncta sunt & sororiant, vt, quod proximo iuuando conueniens medium est, simul etiam nobis perficiendis sit opportunum, &, quod ad nostram est vtilitatem inuentum, non minus in proximi commodum cedat. Quamobrem quod hic dicturi sumus, erit huiusmodi, vt in genere omnibus valde prodesse queat.

7.p.Constit. cap. 4.
4.p.Constit. cap 8.
Zelus animarum & perfectio propria se inuicem iuuant.

Primum autem quod eo loco proximis iuuandis perficiendisque medium B. P. N assignat, est bonæ vitæ exemplum *Et primo quidem confert bonum exemplum totius honestatis ac virtutis Christianæ*, vt non minus bonis operib. *imo magis, quam verbis, eis ædificationi esse, quibuscum agitur, curent.* Bona enim & sancta vita, quodque homo primo sibiipsi profecerit, & rem propriam promouerit, primarium & efficacissimum est ad multum inter proximos fructum agendum, medium. Quemadmodum quæ arbores magis sibi excreuerint, plus hæ Dominis suis fructuum ferunt; pari modo prædicator & confessarius, qui magis sibi ante profecerit, magis etiam aliis, quos tractabit, proderit.

Bona vita ædificat proximũ.
Simile.

Medij huius momentum & necessitas inde primo colligitur, quod certissimum sit, bonæ vitæ exemplum longe esse ad hominibus persuadendum efficacius ac potentius, quam quæcunque haberi queant verba aut conciones. Vnde etiã Iesus Christus, Redemptor orbis, viam ad cœlum docere primo cœpit operibus, ac deinde verbis. Ait quippe Lucas, *Cœpit Iesus facere & docere.* Primo triginta voluit annis laborare & facere, vt triennio doceret.

Exemplum efficacius verbis.
Christi exemplum. Act. 1. 1.

Hanc etiam ob causam Ioannem Baptistam in desertum concessisse ait D Hieronymus, *vt Christum prædicaret Ego vox clamantis in deserto.* Quærit hic sanctus Doctor, quomodo Ioannes desertum elegerit ad prædicandum; cum illud magis, ne quis ab vllo mortalium videatur vel audiatur, quam ad prædicandum conuenire videatur. Ac respondet: Idcirco huic officio Christi prædicatorem & præconem desertum locum delegisse, vt homines, nouum vitæ genus in prædicatore hoc videntes, eum inciperent admirari, & ad agendam pænitentiam, vitia deserenda, prædicatorisque ipsius imitandi studium excitarentur. Sciebat vtique Ioannes exemplum esse medium ad auditores commouendos, fructusque in ipsis edendos, longe quam verba & voces, potentius & efficacius. Vnde etiam de eo in Euangelio legimus. *Erat lucerna ardens & lucens*; quia ardens sibi in amore Dei, simul etiam ingentem ad proximum, vitæ suæ adeo admirabilis exemplo, lucem ac splendorem emittebat.

Epist de Vera Circumcis.
Ioan 1. 23.
S Ioannes in deserto efficacius concionatur.
Ioan 5. 35.
Lucerna ardens sibi, lucens proximo.

Tritum ac cuiuis notissimũ est illud Senecæ dictũ: *Longũ iter est per præcepta, breue &*

Lib. 1. Ep. 16.

ne & efficax per exempla: quia homines amplius oculis quam auribus credunt. Aliam rei huius rationem dat S. Bernardus: *Sermo,* inquit, *viuus & efficax, exemplum operis est, plurimum faciens suadibile, quod monstratur factibile,* dum nimirum ipsum opere præstari, & executioni mandari auditores vident ab eo ipso qui faciendum monet; quo viso, etiam ipsi maximopere ad illud exequendum animantur.

Serm. de S. Benedicto

Quod factum videmus fieri posse credimus.

Tanta quippe est, teste S. Augustino, hominis infirmitas & imbecillitas, vt quā difficillimè ad bonum aliquod faciendum se applicet, nisi ante eius in alio exempla videat. Hanc ob causam permagni refert, inquit, vt ipse Euangelicus doctor & prædicator bonus sit, vt auditores habeant quod imitentur. Vnde etiam Apostolus sic suos auditores compellat. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Lib. 3. contra Ep[...]scoporum Grammat. c. 6.

Ad bonum infirmi sumus, nisi exemplo iuuemur.

1. Cor. 4. 16.

Huc accedit, quod dum homines prædicatoris & magistri sui vitam & mores, doctrinæ, quam docet, respondere & conformes esse vident, statim sibi persuadent, præcepta eius ex intimis animi visceribus proficisci, magnamque ea proinde ad mouendum & persuadendum vim habere: at, si quando vita ab doctrina discrepat, parum posse quidquid dicitur. Quare egregiè S. Basilius & Chrysostomus ostendunt, eum, qui aliter viuit ac docet, non verum, sed fictitium & falsum prædicatorem ac doctorem esse, ac velut histrionem agere. Sicut enim histriones modo Regis, modo Dynastæ, modo opulenti alicuius personam agunt; Rex tamen, Dynasta, aut opulentus non sunt: ita etiam ille, qui nonnisi verbis docet & prædicat. Scitè quidem repręsentas humilitatem, non tamen es humilis; scitè mundi & honoris omnis contemptum prædicas, nondum tamen planè mundum & honorem sæculi spreuisti: quare histrio es & mimus, non prædicator Euangelicus.

Qui facit, quod dicit ex propriis loquitur.

Homil. 24

Homil. 1 instit. Apost. in illud: Cœpit Iesus.

Concionatores vani, 1. histrionibus comparantur.

Hos ipsos eodem loco Basilius etiam comparat pictoribus: quia sicut hi, esto sint deformes, egregiè nihilominus hominis alicuius pulchritudinem in tela vel tabula delineant; ita prædicatores nonnulli, esto ipsi sint superbi; scitè tamen humilitatem norunt depingere, & præclara multa de eadem documenta adferre: esto cholerici & impatientes, patientiam nihilominus suis delineare coloribus nouerunt; esto garruli & vagi, multa de silentio ac recollectione solitaria elogia depromere.

Ibidem.

2. Pictorib.

S. Augustinus vero similes hos esse aït terminis illis saxeis, qui in agris fixi, digito quà eundum sit viatorib. demonstrant, ipsi nihilominus fixi loco suo manent. Tales, inquit, fuerunt Scribæ illi & Pharisæi, qui Magis viam in Bethleem ostendentes, ipsi eodem proficisci noluere, imo ne pedem quidem mouerunt.

Serm. 34. de tempore.

3. Terminis agrorū.

S. Hieronymus explicans hæc verba Salomonis, *Abscondit piger manum sub asella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit,* per pigrum hunc optimè ait intelligi posse prædicatorem, qui quæ docet, facere detrectat, & ori manus, verbis opera non adaptat.

Prou. 26. 15.

4. Pigro Salomonico.

Gregorius Nazianzenus denique, eum, qui non etiam verbis prædicat, vna manu animas dicit quodammodo auocare, alia à se pellere; vna manu exstruere, alia destruere.

5. Ei qui vna manu destruit quod altera extruxerat.

Hi sunt Pharisæi illi & Scribæ, quos Christus in Euangelio reprehendit, dicens, *Væ qui dicunt, & non faciunt:* qui nec verbis suis mouent, neu fructum aliquem faciunt.

Concionatores mali.

Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum: tales sunt prædicatores Euangelici & Apostolici, quique vitæ suæ honestæ exemplo egregiè in animabus fructificant. Nam, quoniam sanctitas supernaturale quid est & diuinum, hinc & omnes naturaliter iis venerationem & reuerentiam plusquam humanam deferunt, eosque non ceu homines, sed velut Angelos, intueri, audire, ac suspicere videntur. Hinc ea quæ dicunt, velut cælitus demissa accipiunt, per eadem mirè mouentur, animoque suo intimè insculpunt. Hac de causa Apostolus vineæ dominicæ operarios rogat, vt se irreprehensibiles & inconfusibiles præstent, & ex-

Matth. 5. 19.

Boni Concionatores.

Sanctitatis opinio venerationē & efficaciā præbet.

1.Tim.2.15. Tit.2.7.

emplum sint fidelibus in castitate, charitate, ac reliquis virtutibus, vt sic doctrina eorum potens & efficax sit, ad eos qui foris sunt confutandos, & conuertendos.

Bona vita Deus plura tribuit media iuuandi proximos.

Bona itaque & sancta vita præcipuum est ad proximos iuuandos medium. Primò quidem propter exemplum, vti iam ostendimus: secundò, quia, vt DEVS nobis ceu instrumentis vtatur, ad multum inter proximos fructum colligendum, permagni refert nos in virtute & mortificatione insignes iam progressus fecisse.

10. p. Const. §.2.

Beatus P. N. in decima Constitutionum parte, de Societatis conseruatione & incremento, necnon de mediis, quæ nobis ad spiritualem finem, propterquem instituta est (animarum videlicet conuersionem) consequendum mirificè conducent, loquens, ait, media, quæ instrumentum Deo arctè coniungunt, ipsumque disponunt, quo melius à diuina manu dirigatur (qualia sunt media bonitatis & virtutis) ad hoc esse efficaciora, quam, quæ quem erga homines disponunt (vti sunt literæ, aliaque dona naturalia & humana) ac proinde iis præcipuè niti nos debere & comparandis insistere. *Omnes*, inquit, *in virtutum solidarum, ac perfectarum & spiritualium rerum studium incumbant, ac in huiusmodi maius momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet.*

Plus gratiæ quam naturæ tribuendum. Reg. 16. Summarij.

Cuius rei ratio manifesta est. Si enim humanum res hæc finem haberet, & ad hominem referretur, humana media & prudentia satis essent ad ipsam læto exitu concludendam: at finis, quem in ea spectamus, supernaturalis & diuinus est, scilicet hominum corda concitare, animas DEO creatori lucrifacere, easque è peccatis educere. Neque vero nostrum est sanctitatem in animabus creare & ingerere, sed eius, qui in ipso mundi primordio dixit, *Fiat lux* & facta est lux. Omnis quoque nostra doctrina, omnis prudentia, omnis diligentia & industria, atque adeo quæcumque naturalia & humana adhibere possumus media, nullam prorsus habent cum fine hoc proportionem. Solus Deus est, qui in cordibus lucem creat, & verba vitæ dat: quin imo tota instrumenti vis & efficacia ad fructum aliquem in animabus faciendum, à DEO duntaxat prouenit. Illa proinde media, quæ DEO nos arctius coniungent & vnient, aptiora nos & efficaciora instrumenta facient, ad animas conuertendas: quo enim Deo magis vniti & coniuncti erimus, eo gratiarum eius ac donorum cœlestium influxus melius intra nos ipsos recipere, itaque eos in alios transfundere poterimus.

Ad finem supernaturalem media quoque supernaturalia adhibenda. Gen.1.3.

Omnia à Deo, ergo illi maximè iungimur.

S. Dionysius Areopagita, loquens de sanctitate & perfectione, quam Sacerdotes & ministri Euangelici, per quos suam Deus substantiam & sanguinem cupit dispensari, præferre debent, eos ait esse debere primo sanctos in se, vt sic sanctificent alios; perfectos, vt perficiant proximum; tantam quoque Dei habere lucem & cognitionem, itaque illuminatos esse, vt etiam alios illuminare, lucemque suam vicinis communicare possint; ita denique amoris diuini æstuare incendio, vt æstum suum etiam aliis afflare & eundem amorem in corde proximi accendere queant. Nam, vt benè ait Gregorius, *Qui non ardet in se, non incendit alios.*

Sacerdotes sancti perfecti illuminati & feruentes sint.

Vnde etiam sanctus ille vir, F. Thomas de Villanoua, Archiepiscopus Valentinus, sæpe dicere solebat, *Quomodo de corde frigido ardentia scintillare poterunt verba?* Tum vero verba tua in proximo amorem Dei accendent, quando è corde æstuante, & amoris diuini flammis accenso prosilient. Tunc quoque per hunc mundum ignem illum sparges ac diffundes, quem Dei filius in terram venit mittere. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Tunc deniq; plus vnum proderit verbum, quam alia centum.

Cap. 8. Vitæ eius.

Ignitum eloquium tuum. Luc.12.49.

Scripsit olim Plato veritatem quandam, in qua plus dixit, quam sciuit. Quemadmodum,

Plato in Ione seu de Poesi.

modum, inquit, magneti ea ineſt virtus, vt ferro quod tangit, virtutem attractiuam quam habet, imprimat; adeo vt ferrum, cui magnes affrictus eſt, non minus alterum ad ſe ferrum trahat, quam ipſemet magnes. (quam lapidis huius virtutem ſummopere eſt S. Auguſtinus admiratus, dum eius rei experimentum coram videret: vidit enim ab annulo ferreo, cui magnes affrictus erat, alium annulum attrahi, & ab hoc rurſus alium, & à tertio quartum, vt omnes hi catenam quandam in aere efficerent, e mirabili hac cohæſione connexam.) ita homines, inquit Plato, à Deo tacti, hanc virtutem habent, vt etiam alios ad Deum attrahant. Si ergo verba noſtra non ſapiant: nec redoleant homines à Deo tactos, quomodo ad Deum alios poterunt attrahere? Si amoris diuini ignis in corde tuo non ardeat, quo alios modo poteris incendere?

Concionatores ſint attractiui inſtar magnetis.
Lib.21. de ciuit.c.4.

Etiam ſæcularis Rhetorices magiſtri docent, nihil eſſe, vt quem moueat orator, potentius, melius & efficacius, quam ſi ipſe antea verè in animo motus & concitatus ſit. qui enim alium ad lachrymas mouebo, ſi me ipſe oculos ſiccos videat habere? quomodo dolentem auditorem faciam, ſi nullum me vultu dolorem, nullum triſtitiæ ſenſum videat præferre? quomodo ad indignandum excitabo, ſi me indignari non oſtendam? Pari modo, quomodo ad mundi contemptum alios mouebit aut concitabit, qui verè & ex animo mundum non contempſit? quodmodo affectum erga mortificationem alijs ingenerabit, qui eum ipſe non habet? quomodo denique alios faciet humiles, qui humilis non eſt? Nihil adurit, niſi ignis, nihil humectat quam aqua; nulla res alij colorem indere poteſt, quo ipſa careat. nemo quippe dat quod non habet. itaque quod ipſe non habes, quomodo id alijs dare aut imprimere velis?

Affectum Orator in ſe primo excitet.

Carbo non ignitus nil accendit.

Eris ceu inanes bombardæ, quibus pila ferrea ingeſta non eſt; hæ ſiquidem aerem duntaxat fragoribus ac tonitru complent, muros autem nec deijciunt, nec hoſtem. His ergo aſſimilantur concionatores verborum pleni, affectu vacui: qui nonniſi inanes verborum bombos & ſtrepitus cient, &, vt loquitur Apoſtolus, *quaſi aerem verberant*; neminem vero proſternunt, nullius cor ſauciant, quia nulla ijs ineſt pila, nulla inquam ſubſtantia, nulla vis, nulla virtus, aut ſpiritus. hæc autem ſunt, quæ reliquis robur & efficaciam ſuppeditant.

Simile.

1. Cor. 9. 26. Concionatores aerē verberantes.

Concionandi talentum non conſiſtit in verbis, non in artificio & ſucco rhetorico, non in ſublimibus aut ſubtilibus conceptibus. neque enim hoc modo concionabatur ipſe Gentium Apoſtolus, & vas illud à Deo ad mundi conuerſionem electum; ſicut id ipſe de ſe ad Corinthios ſcribens, teſtatur: *Et ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti: non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Et deinde: *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute DEI:* ne ipſa mundi conuerſio humanæ aut eloquentiæ, aut ſapientiæ, ſed vni Dei virtuti aſſcriberetur; *non*, inquit, *in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux CHRISTI.* Sic priſci illi, ſanctique Patres, vti hiſtoria Eccleſiaſtica & Tripartita, magna ſane ipſorum laude, ſcribit, tum ſanctè concionando, tum bene conſulendo, ſolebant ſine omni affectatione, & argumentorum rhetoricorum artificio alios edocere; ſed, ceu prudentes quidam medici, prout conſcientiarum auditorum ſuorum infirmitates id exigere videbant, ita verborum medicamenta applicare. Tales porro & conciones noſtræ & ſpirituales diſcurſus ſint oportet. non prædicamus, vt prædicemus nos ipſos, ſed Deum. *Non enim*, inquit Apoſtolus, *noſmetipſos prædicamus,*

1. Cor. 2. 1. & 4.

Concioni fructum non dona naturalia ſed virtus tribuit.

1. Cor. 17.

Hiſtor. Eccleſ. p. 2. lib. 2. c. 6. Sanctorum concionandi ratio.

Deum prædica non te. 2. Cor. 4. 5.

dicamus,

dicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum. Certissimum sanè est, concionatores illos, qui nonnisi suam eruditionem, eloquentiam, & elegantioris idiomatis cognitionem in concione ostentare satagunt, perexiguum concionando fructum facturos. Primo quidem propter eam causam quam diximus: auditores namque, quibus vel mica salis aut iudicij est, haud difficulter intelligunt eum, qui hoc modo prædicat, ijs quæ dicit, sibi adulari & applaudere, ex ijsque voluptatem se captare, magis se disertum & eloquentem, quam fructus apud auditores suos faciendi cupidum ostendere volendo.

Concionatores vanã laudem aucupantes.

Secundò, quia omnem hæc ipsa elegantiæ consectatio fructum demetit, & quo dicturus quis est elegantius ac floridius, eo minus est vtilitatis allaturus. Verissima namque est illa Rhetorum sententia, *Iacet in oratione sensus, in qua verba laudantur.* Id est, homines, tum negligunt attendere rebus, dum verba audiunt florida & compta (hæc namque debitam sententijs attentionem suffurantur) neue tunc ea quæ sibi dicuntur, spectant, propterea quod, quomodo eadem dicantur, attendant. Si ergo etiam rhetores in oratore id carpunt, & vitio vertunt, quanto potius in Euangelico id est concionatore reprehendendum, cui ad animorum salutem & vtilitatem duntaxat respiciendum est?

Res negligitur dum verbis attenditur. Quintil. lib. 8.

Vnicuique, ait Apostolus, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem:* sic & donum concionandi à Deo nonnisi ad vtilitatem proximi datur. Hinc etiam semper in hanc suos prædicator oculos conijcere debet. Vnde bene S. Hieronymus Nepotianum monet: *Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.* Bonæ inquam concionis indicium est; non audientium applausus, neu vt dicant, *Nunquam sic locutus est homo*, vel hem, quam præclarè & quam rara protulit! quam benè ea dixit! sed eorum compunctio & lacrymæ, necnon morum correctio & vitæ mutatio.

1.Cor. 12. 7. Vtilitas est finis Concionatoris. Epist. 2. ad Nepotianum. Ioan. 7. 46. Lachrymæ fructus bonæ concionis.

Et in hoc vno ipsum prædicandi talentum situm est; quod scilicet hominem vt instrumentum Deus deligat, ad corda auditorum commouenda, vtque verborum eius adminiculo & vi homines meliora persuadeantur, malum vitæ præteritæ statum ad animum reuocent, de commissis doleant, & ex corde toto ad Deum conuertantur.

Concionator instrumentum Dei ad animas reducendas.

Hinc R. D. M. Auila dicebat, *Prædicare non est, hora spatio de loco superiore de Deo loqui; sed vt hinc inde de auditoribus quidam, qui dæmon ingressus est, Angelus factus egrediatur. In eo ipsum concionandi talentum consistit.* Et alius quidam Dei seruus illam demum bonam & fructuosam concionem dici posse dicebat, postquam auditores capite demisso cogitabundi ac subtristes incedunt, inuicem non loquuntur, ne quidem intuentur. Hoc quippe signum est, quemque ex ea aliquid quod ad rem suam propriè faciat, domum referre.

Concionatoris talentum est animus conuertere.

R. P. N. Franciscus Borgia cum in Cantabria concionaretur, potissima auditorum pars non capiebat ea quæ diceret, cum quod frequens esset auditorium, & omnes cathedræ vicini esse non possent, tum quod linguam Castellanam Cantabri non intelligerent. Nihilominus miram omnes attentionem summo silentio præferebant, quam etiam lacrymis testabantur. Rogati vero nonnulli, cui in concione quam non intelligerent, lacrymarentur, ideo se flere responderunt, quod sanctum quendam Ducem viderent; tum vero magis, quod quasdam in intimis animarum penetralibus Dei voces & inspirationes sensibiliter perciperent, quæ, quidquid è suggestu concionator dissitus proloqueretur, ad se deferrent, & singula sensa illius exponerent.

P. Borgia monet pro concione absentes & eos qui non intellegebant.

Alias cum Cardinalis Henricus, Lusitaniæ infans (qui deinde ad Lusitanorum regnum euectus fuit) hunc ipsum Borgiam rogaret, vt ad populum exhortationem faceret, & ille se ob corporis ex itinere defatigationem excusaret; retulit Cardinalis, Nolo prædicet, satis mihi est vt suggestum ascendat, itaque à populo vni-

Lib. 2. c. 21. Vita Cardinalis Henricus P. Borgiam vult concionari & ta exora-

uerso plo-

uerſo videatur is qui quidquid habebat, ex Dei amore deſeruit. Hoc igitur prædicat ac loquitur, & maiorem haud dubiè in animabus fructum cauſatur, quam plurima verba & voces, ipſum inquam exemplum, & vitæ ſanctimonia. Hoc proinde nobis procurandum eſt, huic præcipuè nobis eſt ſtudio intendendum, vt Deus Opt. Max. ad animarum conuerſionem nobis, tam concionatoribus, quam confeſſarijs, & omnibus omnino, quibus proximos curare propoſitum eſt, vtatur.

Zelus animarum operariorũ ſcopus.

Capvt VIIII.

De ſecundo proximi iuuandi medio, oratione videlicet.

7 p Conſtit. c. 4.

Altera proximo ſubueniendi ratio, quam B P N adfert, eſt oratio: *Iuuatur etiam*, inquit, *proximus ſanctis deſideriis & orationibus.* Nam, quoniam hocce animarum lucrificandarum & conuertendarum negotium ſupernaturale eſt; hinc orationibus, lachrymis, gemitibus magis ipſum conſequimur & peragimus, quam verbis & vocibus.

Oratio præſtat verbis.

Sic magis ad victoriam de Amalecitis relatam contulit, maioremque in ea partem habuit Moyſis oratio, quam vniuerſæ bellatorum haſtæ & gladii. Nam quam diu Moſes manus in altum ſuſtollebat, vincebat acies Iſraelitica, cum dimittebat, vincebatur, vnde poſtea neceſſe fuit manus eius, vtrimque vnam, à duobus viris ſuſtentari ac ſuffulciri, vt ſic ſemper ſublimè elatæ exſtarent: atque ita demum penes Iſrael victoria ſtetit. Hac ratione ſuos populus Dei hoſtes debellabat.

Et armis.

Exod. 17. 12.

Hoc item Madianitæ viſis illuſtribus Hebræorum victoriis, veriti, ad inuicem dixerunt, *Ita delebit hic populus omnes qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere*, ore ſcilicet, id eſt orationibus ore fuſis: ſicuti hunc locum exponunt & intelligunt Sanctus Auguſtinus & Origenes.

Num. 22. 4. Bos ore herbas carpit, nos oratione animas lucrabimur.

Serm. 93 de temp Homil. 13 ſuper Numer.

Si porro victoria de hoſtibus corporalibus (ad quam tamen vires noſtræ, & potentia humana aliquatenus proportionatæ videntur) à Deo nonniſi orationum adminiculo concedatur; quid erit de victoria de inimicis ſpiritualibus, deque animarum errantium conuerſione dicendum, in qua humana media, vires & induſtriæ tam parum poſſunt, atque adeo exiguæ ſunt, vt nullam prorſus cum tam ſublimi fine proportionem habeant. Iſtuc quippe negotium ſolis eſt orationibus & gemitibus apud Deum conficiendum: hæ Deum placare, & veniam delictorum, necnon vitæ emendationem ab eo conſequi debent.

Si Victoria corporalis oratione indiget, quanto magis ſpiritualis!

Quæſt. 149. ſuper Exo.

Exod. 32. 10.

Medii autem huius valorem & efficaciam ſerio ponderat & declarat S. Auguſtinus ſuper illa Dei ad Moyſen verba, *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos* Cum filii Iſrael vitulum conflatilem adoraſſent, & Deus eos exſtirpare vellet; Moyſes populi patronum apud Deum & ſequeſtrum agens, ſic eum compellauit: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? Ne quæſo dicant Aegyptii, callide eduxit eos vt interficeret in montibus, & deleret è terra quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens, Multiplicabo ſemen veſtrum, ſicut ſtellas cæli, & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro & poßidebitis eam ſemper.*

Moyſis argumenta ad perſuadendum Deo.

Reſpondit autem Deus, *Dimitte me*, quia eos delere & exterminare de mundo volo. Quid eſt hoc, Domine? cur dicis, *Dimitte me?* quis te aut tenet, aut detinere poteſt? quis manus tuas vincire? (*Voluntati enim eius quis reſiſtit?*)

Rom 9. 19.

Quomodo ergo dicis, *Dimitte me?* Hic, ait Auguſtinus, orationis robur & efficaciam videbis, & quantum apud Deum

Moyſes oratione tenuit iram Dei.

ea possit & valeat. Hoc scilicet sanctificare ipse voluit per illud, *Dimitte me.* Quod nec verbum est imperantis (si enim præceptum & imperium foret, seruus non obediendo malè ageret) nec petentis, vel orantis (neque enim hoc à seruo suo Deum petere decebat) sed indicare voluit orationes iustorum iræ Dei posse reluctari, eumque iratum placare.

Ierem.7.16.

Sanctorum orationes obsistunt iræ Dei.

Idem censet sanctus Hieronymus, scribens super illud Ieremiæ Prophetæ, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi.* ait ergo, *ostendit quod Sanctorum preces Dei iræ possint resistere.* Manifestè & apertè idipsum declarat Psalmographus, dicens: *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos,* & brachium eius in ictum libratum, oratione fusa retinuisset: *placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.*

Psal.105.23

Exod.32.14.

Oratio Aaronis placat Deum.

Idem quoque contigit in seditione & murmuratione illa populi contra Moysen & Aaron, per occasionem mortis Core, Dathan, Abironis, eorumque sequacium, exorta: cum enim hanc ipsis imputandam dicerent, iratus est Dominus populo suo, eumque plane delere voluit, iam tum quatuordecim millibus, eoque amplius interfectis. statim ergo vt Aaron Pontifex pro populo orare, & Deo incensum adolere cæpit, *plaga cessauit.*

Num.16.48.

Sap 18. 20.

Oratio est scutum & propugnaculum.

Hac de causa Sapiens orationem vocauit scuti nomine, sic loquens: *Sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati:* Quo autem loco hic legitur deprecari pro populis, alia lectio præfert, *propugnare pro populis:* etenim orare est velut pugnare. Quam *bonum scutum* ait etiam Ambrosius, est oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repelluntur!

In orat. funebri de obitu Valentiniani Imperatoris. tom.5.

Deus cupit oratione placari.

Quin etiam Deus ipse intentatum flagellum suis è manibus gaudet excuti, & reperiri hinc inde aliquem, qui se ponat inter medium ad vindictam eius auertendam. sicut benignus aliquis pater, esto filio suo comminetur, adeo tamen in eum animaduertere non vult, à quo ne feriret, retineretur, quin imò interdum aliquos amicos aut notos subornat, & dat opera paratos habet, qui sibi baculum aut flagellum de manu extorqueant: ita Deus Optimus Maximus, qui plus quam pater aut mater est, tanto nos amore prosequitur, vtpote filios suos, & qui tam caro illi stamus (sanguinem quippe & vitam ad nos redimendos impendit) vt in nos nollet animaduertere, sed gratum illi foret, si quis amicorum se mediatorem interponeret. quin imò tales interdum conquirit, ac summopere dolet & conqueritur, cum desunt qui iræ suæ per orationem obsistunt. Per Ezechielem namque sic expostulat: *Et quæsiui de ijs virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam, & non inueni.* Et alio loco, *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Quo loco Sanctus Hieronymus ait, Quemadmodum murus inimicorum incursionem frangit & impedit, & sicut iisdem obuiam prodiri solet, vt iis resistatur: *ita Dei ira Sanctorum precibus frangitur:* quia Dei maiestas libenter illis obsecundat & condescendit.

Quærit Deus qui eum placent, ne puniat.

Ezech. 22. 30.

Ezech 13. 5

Preces Sanctorum iram Dei frangunt.

Idipsum quoque conqueritur Isaias: *Non est*, vti solebat, Domine, *qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Nullus est iam Iacob, qui cum DEO luctetur, cumque eo velut in duello decertans dicat, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* DEO siquidem id est quam gratissimum. Hinc ad oculum patet, quantum sit orationis iustorum & amicorum DEI robur & efficacia, quia ad brachium eius retinendum, illiusque iræ resistendum nimis quam potens est.

Isa.64.7.

Gen.32.26.

Orationis robur.

Hinc

Deo gratus sit qui Deo gratos reddere vult.

Hinc melius intelligetur, & magis confirmabitur id quod superiori capite dictum est; quanti scilicet ad fructum in proximo faciendum referat, sanctos & amicos Dei nos esse: quamque merito dixerimus, bonam & sanctam vitam primarium quoddam ad hoc medium esse. Qui enim inimicos dissidentes inuicem conciliare volet, gratus & acceptus sit oportet illi, cuius mediatorem agere, & quem alteri reconciliare studet: si enim displiceat, ad iram & indignationem eum prouocabit potius, quam ad inimico ignoscendum.

Sanctitas proximo mire prodest.

Gen. 18. 20.

Abrahami zelus pro proximo.

Abraham fit audacior ex conuer-

Tantum porro ad bonum proximi promouendum valet bona & sancta vita, vt, quamuis aliam pro eo orationem non faceremus, aut nullum aliud ei obsequium præstaremus, quam quod insigniter sancti & boni esse studeremus; hoc vnum illi iuuando maxime prodesset & conferret. Declarat hoc inprimis historia illa quam in Genesi legimus. Cum ciuitates illas impias, Sodomam & Gomorrham ob nefanda scelera Deus subuertere vellet, ecce Abraham eius iræ se murum objicit & ait, *Nunquid perdes iustum cum impio? non est hoc tuum, nequaquam facies iudicium hoc. Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul?* Dixitque Dominus ad eum: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Respondensque Abraham ait: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis, quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque vniuersam vrbem?* Et ait, *Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque.* Rursumque locutus est ad eum: *Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies?* ait, *Non percutiam propter quadraginta.* *Ne quæso*, inquit, *indigneris Domine, si loquar, Quid si inuenti fuerint triginta?* Notandum autem est, eum initio nonnisi sensim numerum priorem imminuisse, per quinarios tantum descendendo: iam vero DEI benignitatem & beneficentiam aduertendo, audaciam sumpsisse per denarium descendendi, à quadragenario vsque ad tricenarium. Respondit ergo Dominus, *Non faciam, si inuenero ibi triginta*; propter hos parcam vniuersis. *Quia semel*, ait, *cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti?* ait, *Non interficiam propter viginti.* *Obsecro*, inquit, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Non delebo propter decem.* Sed cum ne decem quidem inuenirentur, quinque illas ciuitates Deus igne sulphureo deleuit. Vnde sole meridiano clarius patet, quantæ ad alios iuuandos & sanctificandos vtilitatis sit bona & sancta iustorum vita. Quam enim Sodomitis profuisset, si decem saltem iusti inter eos reperti fuissent.

satione Dei.

Iustorum præsentia seruat impios.

Ierem. 5. 1.

Vnus iustus totum potuisset seruare regnum.

Alias cum Ierusalem castigare, & regnum Iudæ in manus Chaldæorum DEVS tradere vellet, qui ipsum euerterent, & vastarent, atque adeo omnes incolas eius in ore gladij absumerent, idque ob enormia quæ in diuinam eius maiestatem scelera admiserant; ante per Ieremiam ait, *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem*, qui nimirum in Deum æque ac proximum fidelis sit; *& propitius ero ei*, id est, illius ob causam parcam ciuitati ac regno, & flagellum & exterminium, quod ei intentaui, auferam.

Vnde non sine ratione exclamat Sanctus Hieronymus, in eum locum scribens; *Vide*, inquit, *quanti Deus faciat vnum virum iustum: cum non solum pro decem iustis, qui in ciuitate reperirentur (sicut olim ad Abraham dixit) sed si vel virum inter innumeros impios inuenerit, miserturum se dicat eorum, & flagellum quod promerentur, auersurum*

Ingens ſanè amor eſt, quo viri iuſti virtutem Deus proſequitur, cum illius intuitu tot nefarios peccatores tolerat, & iis veniam commiſſorum indulget. Magni ergo faciendi ſunt, quotquot in communitate & Republica ſunt iuſti: vtpote qui magnis eam beneficiis afficiunt, & inſigne ei bonum præſtant; eſto aliud non faciant, quam quod pietatem colant, & virtutibus aſſiduè incumbant.

Iuſti multum faciũt, etſi nil vltra faciant.

Atque hæc etiam vna de rationibus eſt, quam Theologi & ſancti Patres adferunt, ad probandum à populo Religioſis alimenta & neceſſaria deberi, etſi nullum hi proximo miniſterium impendant, ſed reclusi ſint, & clauſtro & cella ſua non egrediantur: nam etiam vſque inde ab illo angello maximopere populo & Reipubli proſunt, cum ob pauculos illos bonos tot per orbem malos toleret Deus. Quod egregiè confirmat parabola illa Euangelica, in qua, ad conſeruandum triticum, zizania abundantia Dominus eradicari vetat; *Ne fortè colligentes Zizaniæ, eradicetis ſimul cum eis & triticum: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.*

Religioſis à populo debentur alimẽta quia iuſtitia ſua placant Deum.

Imprimis vero quoad hoc propoſitum, notandum & conſiderandum eſt id, quod in hiſtoria illa ſuperius indicata Scriptura mox addit: *Cum enim ſubuerteret DEVS ciuitates regionis eius, recordatus Abrahæ, liberauit Loth* cognatum eius *de ſubuerſione vrbium, in quibus habitauerat.* Aduerte porro non dici, Abrahamum pro Lotho rogaſſe; ſed, quia Abraham ita Deo carus erat, hinc tam ipſe quam omnia quæ eius erant, & quæ aliquo modo ad eum attinebant, maximè ei curæ fuerunt: atque adeo de Lotho, eius cognato, liberando, & è Sodomitico incendio eripiendo ſollicitus fuit, vt eum ad feſtinanter egrediendum, & ſe in paruo oppido, haud procul inde diſſito, ſaluandum incitans diceret, *Feſtina, & ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec egrediaris illuc.* O plena pietatis viſcera, ò bonitatem & miſericordiam infinitam, vt dicat, Non potero ante vltionem meam exequi, quam te ipſe in tuto colloces!

Gen. 9. 29.

Deus propter Abraham etſi non rogatus liberauit Loth.

Gen. 19. 22.

Deus non poteſt puni-

Vide obſecro quanti virum iuſtum faciat Deus, & quid eius in gratiam & dicat & faciat. Tu ergo fac iuſtus ſis, & Dei intimus, & perfectioni comparandæ ſerio incumbe; & certus eſto Deum omnia quæ tua ſunt, curaturum, ac parentum, conſanguineorum, amicorum tuorum, & omnium quæ aliquatenus te ſpectant, recordaturum. Idque eo magis, quo tu magis ad animæ tuæ negotium curandum, teque Deo arctius coniungendum eadem curare negliges, & eorum obliuiſceris; etſi alioquin id ipſe ab eo in particulari non poſtules. Magis quippe rogant, & ad Deum clamant opera, quam verba: Si enim iniquitas impii, teſte Sacra Scriptura, ad Deum clamet, vltionem ab eo depoſcens (*vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*) altius haud dubiè clamabit virtus & bonitas vitæ, & maiores dabit voces, ad miſericordiam impetrandam, & gratiam inueniendam apud eum qui ad benefaciendum adeo promptus eſt, & cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Hæc ergo optima cum Deo agendi, & conſanguineis & amicis ſuis benefaciendi ratio eſt.

re. quam diu iuſti adſunt.

Obliuiſcere tui & recordabitur tui Deus.

Opera plus clamant, quam verba.

Gen. 4. 10.

Si iniquitas ad Deũ clamat, cur non & bonitas.

CAPVT X.

De tertio proximis ſuccurrendi medio, Zelo ſcilicet animarum.

ZElus domus, necnon honoris & gloriæ *tuæ comedit me*, ac viſcera mea aduſſit, & opprobria exprobrantium tibi, id eſt iniuriæ & mala, quæ tibi irrogantur, ceciderunt ſuper me, eaſque, vt mihi factas, ſum interpretatus. Eſt hoc aliud, & quidem de præcipuis proximos iuuandi medium: quod etiam inter alia media, ad Societatis conſeruationem, incolumitatem & incrementum, necnon ad finem ſpiritualem, ob quem in-

Zeli animarum præſtantia.

ſtituta

stituta fuit (animarum inquam curationem & auxilium) consequendum facientia B. P. N enumerat. Horum vnum, inquit, est *Zelus sincerus animarum ad gloriam eius, qui eas creauit ac redemit, quouis alio emolumento posthabito.*

10. p. constit. §. 2.

Beatus Augustinus in libro seu exhortatione, quam ad Comitem quendam conscripsit de salutaribus monitis, ait, *O mi frater, nunquid ferrea sunt carnes nostra, vt non contremiscant, vel etiam sensus noster adamantinus, vt non mollescat, vel etiam minime euigilet ad illa* Christi in iudicio verba, *Ite maledicti in ignem æternum*, qui paratus est iam inde à mundi principio vsque in sempiternum? *Quare non dicimus cum Ieremia Propheta, Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei?* Quid porro plorari dolerique salutarius, quam, quem Apostolus plorabat, animarum interitus? *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Discamus ab Apostolo, inquit Augustinus, ardentem hunc zelum & desiderium salutis animarum habere, cum etiam Deus ipse in tantum eas dilexerit, vt vnigenitum suum pro iis impendere & offerre non dubitarit: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Notandum autem illud, pro omnibus; itaque nullius omnino salutem negligamus, cum suum vnicuique singillatim redimendo Deus sanguinem & vitam impenderit.

Lib. de salutarib. monit. ad quendam Comitem c. 35.
Mat. 25. 41.
Ierem. 9. 1.
2. Cor. 11. 29.
Rom. 8. 32.

Zelus animarum est ignitus Dei amor alios inflamans.

Hic animarum, vel potius gloriæ & honoris diuini zelus, quidam amoris Dei ignis est, tamque æstuans & ardens, vt eum omnes ament, honorent, & colant, desiderium; vt qui ipsum in se sentit, omnibus illud communicare, & ardorem hunc in cunctis excitare vellet; & reipsa, quantum in se est, ad hoc connititur. quin etiam, si quando Deum offendi, & per peccata hominum male haberi videt, & remedium ipse adhibere nequit, ingemiscit, & in lacrymas compassionis prorumpit, hicque zeli ignis viscera eius adedit, adurit & consumit. Talis fuit zelus magnorum illorum Dei amicorum, & illustrium sanctorum. Audi, vt suum prodat Ieremias: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens. audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu.* Suum vero Elias sic describit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel.* Suum denique Psalmographus nullo non loco patefacit: *Defectio* inquit, *tenuit me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam.* Et, *Tabescere me fecit Zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Tam vehementem scilicet sancti hi suo in corde dolorem & amaritudinem sentiebant, quod effusis habenis peccatores legem Dei proculcarent & violarent, vt interno animi dolore etiam corpus macresceret ac tabesceret, & sanguis corruptus computresceret; quin imo is ipse exterius sæpe totum hominem proderet. *Vidi,* inquit, *præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Ita Dauid Prophetam ignis hic adurebat, vt lacrymas oculi eius distillarent, imo in lacrymas prope totus resolueretur: *Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam.* Vel vt alio loco lectio præfert, *propter illos qui non custodiunt legem tuam.* Perinde ac dum ignis caminulo subiicitur, ipse superne humorem herbarum exstillat: ita pariter in fletum Propheta liquescebat, dum diuinam maiestatem ab impiis ita ludibrio haberi & offendi videret. Hunc ergo honoris diuini zelum omnes nos præferre par est: & vna de maximis nostris curis & sollicitudinibus esse debet, sedulo operam dare, vt honor Dei quotidie adaugeatur & propagetur, nomen eius sanctificetur & glorificetur, ac sanctissima illius voluntas fiat sicut in cœlo & in terra. Maximus è contra nobis dolor & amaritudo animi esse debet, videre non modo id non fieri, verum etiam plane contrarie. Atque hoc demum S. Augustinus esse ait, vere honoris diuini zelo æstuare. *Zelo domus Dei,* ait, *comeditur; qui omnia peruersa quæ videt, cupit emendare;*

Zelus est ignis aliorum vitia consumens.
Ierem. 20. 9
3. Reg. 19. 14
Psal. 118. 53. 136. 139. &
Zelus fons commiserationis & lacrymarum.

& si emendare non potest, tolerat & gemit. Vti Samuelem Prophetam occasione Saulis fecisse in confesso est, *Verumtamen lugebat Samuel Saulem: quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum Regem super Israel.*

1. Reg. 13. 35.

Zelus animarũ Deo gratissimus.

Hic porro gloriæ & honoris diuini, necnon salutis animarum zelus inter alia quæ in Dei obsequium præstare possumus bona, non postremum, & fortasse primum est, eique gratissimus. Vnde S. Gregorius: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* Idem habet Chrysostomus, & alij multi sancti Patres: *Nihil sic*, inquiunt, *Deo placet, sicut Zelus & lucrum animarum.* Ratio est, quia nihil ita gratum ac caritas; eo quod ipsa omnium virtutum princeps sit ac maxima, vti testatur Apostolus, *Maior autem horum est caritas:* & in ipsa tota consistit perfectio; vnde idem eam nuncupat *vinculum perfectionis.* Hic autem zelus, intensus quidam & excellens Dei amor est: ei quippe, qui hoc æstuat, nequaquam satis est Deum quoad potest amare, & seruire, verum etiam quam ardentissime cupit, vt omnes homines eum amare & seruire intendant, vt sanctissimum eius nomen ab omnibus cognoscatur, colatur, glorificetur, & extollatur; denique vt Dei regnum se quaquauersum extendat, & propagetur. atque hoc vnicum eius gaudium, ac voluptas est. Vnde si quæ peccata, & iniquitates in Deum suum committi videt, eæ adusque intima animæ eius penetralia penetrant. Quemadmodum filius, qui patrem suum ex corde amat, eum honorari & ad altiora promoueri summopere desiderat; omne vero eius gaudium est, cum illum iam honores adipisci & exaltari videt; si quæ vero illi irrogantur iniuriæ, & offensæ, non minus ob eas contristatur, quam si propriæ forent, quin etiam magis. Pari modo quisquis hunc honoris diuini zelum possidet, tanto in hunc Dominum suum amore fertur, tamque ardenter diuinam eius maiestatem ab vniuersis honorari, coli, & laudari optat, vt hæ vnicæ eius sint deliciæ & voluptas. E diuerso nihil

Hom. 12. super Ezech. Chrysost. hom. 76. Richard. super Cant. cap 21.

Radix zeli charitas.

1. Cor. 13. 13. Coloss. 3. 14.

Sancti zeli effectus.

Zelus maiorem Dei gloriam spectat.

eum magis cruciat & torquet, quam videre ita passim homines Dei sui obliuisci, tamque graues & atroces in eum iniurias peccando committi. Proinde hic eximius & excellens quidam Dei amor est.

Est Prærerea singularis & præstans quidam actus amoris erga proximum. nam vti amor noster in Deum tum se prodit, cum ob maiorem eius honorẽ & gloriam gaudemus, sed ob iniurias & iniquitates in ipsum admissas dolemus: ita verum erga proximum amorem tum testamur, cum eius bono lætamur, & ob vera eius mala (peccata inquam) serio contristamur, eaque quoad possumus, impedire procuramus. Quare, vt bene docent sancti Doctores, quicunque scire & nosse volet, vere ne proximum amet, videat num ob eius culpas plangat, spiritualibus vero gratiis illius & profectu gaudeat. Hæc est veri erga fratrem tuum amoris probatio, nimirum, vt non minus eius gaudeas bono, quam proprio, eius autem aduersis & malis ita doleas, ac si tua forent. Hoc quoq; est proximum amare, sicut temetipsum, vti se fecisse ait Apostolus, dum scribit, *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* quo loco glossa habet, *Quis infirmatur in fide, vel in aliqua virtute, & ego non infirmor? id est non doleo de eo, sicut de meipso? Quis scandalizatur in aliqua molestia, & ego non vror igne compassionis?* Tam porro Deo id gratum est, vt, Chrysostomo teste, licet seueras & graues suscipias austeritates; toto vitæ tempore ieiunes, & humi cubes; esto totum substantiam tuam in pauperes effundas, nihil hæc omnia sunt cum animarum zelo collecta, Quanto enim anima melior & pretiosior est corpore, tanto plura præstant, qui confessiones audiendo, prædicando, consilium salutare dando, aliaque opera misericordiæ spiritualia obeundo, animabus subuenire & mederi satagunt, quam qui largas de opibus suis erogando eleemosynas, corporibus opem adferunt. Quam tute gauderes & exultares, si multa aureorum millia in egenos effudisses? maius autem ac dignius est saluti anima-

Zeli effectus est amor proximi.

Climac c 4. S. Bonauen. de processu S. Religion. cap 17.

Amoris erga proximum nota.

2. Cor 11. 29.

hom 79. & hom 2 super Genes.

Zelus animarũ melior est beneficentiâ.

In cap. 2. Exodi. *Zelus animarũ præferendus miraculis.* rum te cooperari. Addit insuper Chrysostomus, amplius esse, & pluris apud Deum fieri, ipsum animarum zelum habere, quam miracula patrare. Nam etsi Moses mirabilia, & prodigia multa operatus sit, dum populum Israel è seruitute Ægyptia eduxit; ea tamen omnia nihil in se habuere, quod cum zelo illo & ardente caritate, qua actus, sic pro populo præuaricante apud Deum intercessit, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, valeat æquiparari. Hoc ergo, ait Chrysostomus, omnium, quæ fecit vnquam Moyses, operum, qui tamen tot tamque mirabilia edidit, fuit maximum ac præstantissimum. *Exod. 32. 31.*

Capvt XI.

Quam Zelus hic efficax sit ad proximum iuuandum curandumque, ratio.

Zelus hic singulare quoddam & efficacissimum est ad proximos iuuandos, inque virtute promouendos medium. Primo, quia (vti dictum est) ignis est. Nam sicut ignis valde actiuus est, & quælibet in se conuertere conatur; & reipsa etiã conuertit, si in materia ad hoc disposita sit; quæ si minus ante disposita sit, eam ipse etiam huc paulatim disponit: Pari ratione, si hic amoris Dei ignis & zelus in nobis ardeat, statim eum etiam ad alios transfundemus, in eisq; amorem Dei accendemus, atq; eos in nos conuertemus, efficiendo nimirum, vt tales sint, quales ipsi sumus: sicut dicebat Paulus amore Dei ardens, *Opto omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum.* Cum vero tales nondum erunt, eos sensim huc disponemus vt tales fiant. Neque enim caritas otiosa est: est siquidem ignis, nunquam quiescens, sed semper sursum tendens. Nam, teste S. Gregorio, *Caritas semper magna operatur; si autem non operatur*, non est caritas, aut saltem magna non est. *Verus animarum Zelus efficax est, instar ignis.* *Act. 26. 29.*

Secundo, adeo zelus hic primarium quoddam est proximos iuuandi medium, quia ipse in causa est, vt studiose quis, & diligẽter ministeria sua obeat, ac nouas semper occasiones dari sibi optet, & vltro etiam conquirat proximis subueniendi, & necesse minime sit violenter huc nos cogi, aut compelli (quia pudorem id nobis deberet incutere) sed semper parati inueniamur, imo vero multo plura præstare velimus & optemus, quam præstandũ occurrat. Porro plurimi hoc refert: Nam certũ est, nos, dũ magno feruore, & desiderio quid facimus, id bis & duplicato quodãmodo facere. Vnde permagni nostra interest, zelum hunc habere: nam per illum quodãmodo viuimus, sine illo mortui sumus. *Zelus omnes occasiones quærit iuuandi proximum.*

Tertio, zelo agente, proximum iuuandi media ipsi conquirimus, atq; etiam inuenimus. Bona voluntas namque & effectus optima est inuentrix mediorum ad obtinendũ ea quæ desiderat. Vnde S. Bonauentura: *Vbi talis inest affectus, illic necessario non deerit subuentionis effectus, quantũ patitur opportunitas.* Id est, non est timendũ, ne vnquam proximi vtilitatis promouendæ occasio desit ei, qui talem habuerit zelum, neue eius rei exequendæ media. Si n. domi desit quod agat, foris inuestigabit: quod si non inueniat vbi quærebat, nosodochia & carceres publicos adibit; illic sane eadem inueniet. Semper enim proximo auxiliandi occasionem inuenient operarij qui hoc zelo ardebunt. Hac de causa eos Scriptura modo vocat venatores: per Ieremiam quippe Deus loquitur, *Ecce ego mittã eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni valle, & de cauernis petrarum:* Modò piscatores: neq; n. piscator exspectat donec pisces vltro manibus eius innatent, sed potius eos ipse cõquirit, diuersisque artibus, & exquisitis, particularibusq; escis & illecebris inescat. Cum ergo diabolus tã sit in animab. perdẽdis sagax & solers, nostrũ est eãdem in eis lucrifaciendis solertiam & diligentiã adhibere. *Omnia media indagat, & adhibet.* *Process. S. Religion. cap. 17.* *Ierem. 16. 16.*

Quarto, quando zelus hic adest, omnia fiunt facilia, vniuersæ difficultates superãtur, nihil nobis graue aut laboriosum videtur, *Zelus nihil graue, aut difficile iudicat.*

c. 4. de diuin nominibus.

detur. Hinc huic S. Dionysius zelo attribuere videtur, quod tanta Christus Dominus constantia & fortitudine passionis suæ labores & tormenta pertulerit: Censet enim, eum ab indignabundo illo zelo, quo peccatum persequebatur, in conflictu illo cruciatuum adiutum fuisse: & ad hunc sensum applicat illud Isaiæ. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*

Isa. 63. 3. & 5.

Zelus feruorem, & constantiam Orationi dat.

Quinto, è zelo hoc præterea nascitur feruens oratio, quæ Deum non dimittit, quoadusq; rem suam confecerit. Sic multos sanctos, qui inter Deum & populum se ceu sequestres interponebant, nec ab orando cessasse, nec in oratione cæpta defecisse legimus, donec Deum propitium & placabilem redderent.

Lib 2. c. 2. Vita.

B. P. N. Ignatius cum Parisiis litteris operam dans, quendam impuris amoribus implicatum, & illicito mulierculæ cuiusdam commercio irretitum ad meliorem mentem reuocare, nequidquam omnibus remediis tentatis, non posset, quadam die eum extra vrbem exspectare statuit. Cognito vero, illi, cum ad flagitium abiret, haud procul à lacu, vel stagno transeundum esse, ecce tibi in aquam frigidissimam humero tenus Ignatius insilit, & inde transeuntem conspicatus, alta inclamare voce cæpit: Ito infœlix, ito; libidini, & impuris voluptatibus tuis indulge: An imminens ceruicibus tuis diuinæ iræ flagellum non vides? quid? non te terret infernus, qui patulas suas iam ad te deuorandum fauces aperuit? non Dei manus ac vindicta, quæ te mox exspectat, & pleno impetu iram in te suam exonerabit? Ito; ego interim tamdiu hic me cruciabo, & pro te affligam, donec iustam suam castigationem, quam capiti tuo iustissimus vindex Deus iam parauit, placatus auertat. Inaudito hoc caritatis exemplo perculsus alter, loco stetit, & Dei manu tactus intrinsecus, ad vrbem rediit confusus & attonitus, & fœdi periculosique contubernij, à quo antea captiuus & vinctus tenebatur, iugum collo [illegible]

Caput XII.

De tribus rebus, quæ nos ad zelum habendum incitare poterunt.

PRæter ea quæ diximus, tria præcipue nobis ad zelum hunc habendum, & salutem animarum desiderandam, & magna cum diligentia procurandam, magno vsui erunt. Primum & præcipuum erit, considerare, quam ipse Dei filius animas hominum amarit, & quanti eas fecerit, vtpote qui sanguinem & vitam pro iis libenter impendit: Vnde Apostolus, *Pro quibus Christus mortuus est.* Christi enim sanguis in terram effusus, euidens signum est valoris animæ, isque aperte testatur, quanti eam faciat, & amet Deus. Hoc videlicet nos ad hunc zelum & sollicitudinem in omnibus ministeriis nostris præferendam excitare & animare debet, & efficere vt intimo ex corde animas sitiamus, illarum salutem vbilibet procurando. *Caritas enim Dei,* dicebat Paulus *vrget nos* Ipsa inquam huc nos compellere & exstimulare semper debet. Nam, quomodo nostrum non demus sanguinem pro eo, pro quo suum vnigenitus Dei filius tam libenter dedit? quomodo vitam non impendamus ei, qui pro nobis omnibus mortuus est, quo vitam nobis daret? Neque enim tolerandum est, ipsum Deum pro anima mortem oppetere, & me, videndo eam pessum ire, & in infernum prolabi, ei opem non ferre, cum tamen id in mea sit potestate situm. Hoc ferre caritas nequit. Itaque erga animarum salutem efflictim & toto corde ferri, eamque immediabiliter sitire nos oportet: hocque præcipue nobis curæ & cordi esse debet, vti & olim Apostolo fuit, quem præter labores & afflictiones exteriores, quas patiebatur plurimas (*In laboribus plurimis, in carceribus abundantius,* in pla-

[illegible] animas desiderare in Zelum efficit.

1. Cor. 8. 11.

Christi exemplo discimus animarum pretium.

1. Cor. 5. 14.

2. Cor. 11. 23.

in plagis supra modum, in mortibus frequenter) vna maxime affligebat & excruciabat Ecclesiarum nonnisi nuperrime fundatarum, & animarum periclitantium sollicitudo; *Praeterea quæ extrinsecus sunt; instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

S. Augustinus in illud Ioannis, *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*, scribens, Christum ait non sine ratione gallinæ se comparare, vti dum dicit, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Quia cæteræ aues, inquit, nunquam cognosces, an matres sint, & pullos alant, nisi cum eas in indis pullis videbis incubantes: at gallina dum pullos alit, tam fit macilenta & debilis, alas illas suas ita pendulas & flaccidas, plumas ita raras, vocem adeo habet raucam, tam denique emarcescit, vt, esto eam pulli pone non sequantur, statim nihilominus eam matrem esse intellecturus sis. Pari modo ait Augustinus, Saluator noster Christus Iesus cum animas pereuntes consectaretur & venaretur, defatigabatur, debilitabatur, & lassabatur. Vnde & nos tanto erga animas errabundas zelo ferri, & tantam in filiis spiritualibus educandis oportet sollicitudinem, & anxietatem præferre, vt ea nos debiles & exhaustos reddat, & omnium commoditatum nostrarum faciat obliuisci, sicut suarum Christus Dominus est oblitus; nam quamuis ex itinere defatigatus esset, & esuriret, comedere tamen noluit; magis de salute animarum, quam de necessaria corporis sustentatione laborans. Hinc discipulis suis, vt cibos allatos comederet adhortantibus, dicebat; *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ iam sunt ad messem*: mox enim videbitis Samaritanos ad Deum verum conuerti. Cibus meus est animarum conuersio. Hic & noster esse debet.

R. D. M. Auila aliam efficacem, qua ad zelum hunc moueamur, considerationem habet. Ait igitur, quod, quamuis ex vna parte in confesso sit, Deum ob bona, quæ nobis elargitur, nullam omnino à nobis compensationem, aut lucrũ exigere (quidquid enim dat, ex puro amore dat) ex alia tamen parte rem considerando, nihil omnino det, quin eius lucrum cum fænore requirat; non quidem in proprium suiipsius commodum (quia ditissimus est, & *vniuersorum Dominus, qui nullius indiget*) sed ad vtilitatem proximorum, qui à nobis iuuari & curari necesse habent. Atque hoc ipsum egregia declarat similitudine. Sicut, inquit, si quis alteri magnam auri vim mutuo dedisset, multaque alia insuper obsequia, ac beneficia præstitisset, ac diceret; Omnibus illis, quæ tibi præstiti, equidem non indigeo; sed quodcunq; eo nomine in te habebam ius, totum id transfundo in hunc, vel illum, qui egenus est, vel meus est cõsanguineus, aut famulus: illi da, quod mihi debes, & hoc si feceris, abunde mihi satisfactum putabo. Pari modo nos proximum debemus intueri: Cum Deo, inquam, rationes inire, & sic quisq; nostrum secum ratiocinari & considerare; Quam multa à munifica eius manu in genere beneficia recepi; siquidem me creauit, ac suo sanguine redemit: quot etiam vni mihi in particulari beneficia contulit: scilicet quod post tot peccata me non castigauit, sed ad pœnitentiam eorum exspectauit, ac mihi pro malis admissis tot bona reddidit, vt alias innumeras gratias, quas supputare nequeo, omittam, & statim debemus cogitare omnia illa nomina, debita, & obligationes nostras Deum in proximos cedere, & trãsportare, sibique abunde satisfactum credere, cum, quod illis seruitium & obsequium conferemus. Hoc ergo zelus hic & feruens in proximos affectus pacto in cordibus nostris ardebit. Primo quidem, si eos vt filios Dei adoptiuos, & Iesu Christi Redemptoris nostri fratres, pro quibus suum hic sanguinem & vitam dedit, consideremus. Secundo, vt creditores, in quos Deus magnas illas obligationes & nomina, quibus illi ob tanta, tamque innumera nobis collata beneficia, deuincti sumus, transfudit, ac suum ius omne cessit.

Huc quoque non parum nos adiuuabit, si con-

Tract. 15. in Ioan. 4. 6.

Matth. 23.

Christi zelus pro salute animarum.

Ioan. 4. 32. & 35.

c. 96. Audi filia.

Zelum animarũ Deus à nobis exigit.

2. Mach. 14. 35.

Debitores Dei sumus ob accepta beneficia.

Tria media excitandi zeli.

si consideremus nullum nos, ad offensis illis plurimis, quibus in Dei maiestatem deliquimus, satisfaciendum, habere medium efficacius aut melius posse, quam si cooperemur & instrumentum simus, vt eum alij offendere desinant, sed serio admodũ & cordialiter illi posthac seruiant, iuxta illud Apostoli Iacobi. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua, saluabit animã eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quod solerter aduertit S. Augustinus occasione eius, quod Redemptor Iesus, cum hominem, qui ab integra dæmonum legione diuexabatur, sanitati restituisset, & is se liberatum videns, in grati animi signum pro accepto beneficio, apud Redemptorem manere vellet, ipse id minime permiserit; sed vt acceptam à Domino gratiam apud alios prædicaret, & diuulgaret, præceperit: *Redi*, dicens, *in domum tuã, & narra quanta tibi fecit Deus.* Qui etiam reipsa id fecit, *& abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.* Hoc à te Dominus exigit in compensationem & satisfactionem, propterea, quod te mundo eduxit, ac tot peccatis & periculis, quæ in eo sunt, eripuit; vt nimirum collabores, & pro posse cooperaris, vt alij è peccatis educantur, & ex toto corde ad Dominum Deum nostrum conuertantur.

Iac. 5. 20.

Lib. 2. q. Euangel. q. 13.

Luc. 8. 39.

Caput XIII.

Quis bonus vtriusque sit zelus, qui Deo placeat, quis non.

Sicut nonnullæ sunt, quæ virtutes quidem esse videntur, at veræ virtutes non sunt, sed nonnisi falsæ & fictitiæ: quemadmodum de humilitate ait Sapiens, *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo:* Viles siquidem gerit vestes, capite demisso oculisq; in terram deiectis incedit, voce loquitur submissa & humili sæpe suspirat, & ad singula prope verba se miserum, & peccatorem fatetur: at si vel verbulo eum lædas, statim patefacit quid introrsum sit: quia omnia illa nonnisi ficta & ad speciem composita erant: Ita etiam, ex mente Apostoli, quidam sunt zeli, qui videntur boni, & non sunt, sed indiscreti: *Testimoniũ*, inquit, *perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundũ scientiam.* Talis fuit zelus Apostolorum Domini, Iacobi & Ioannis, cum, videntes se à Samaritanis in vrbem non admitti, aduersus illos commoti, & indignantes, dixerunt, *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Vnde ẽt propterea Christus Dominus eos reprehendit, dicẽs; *Nescitis cuius spiritus estis*, id est, nõ nostis spiritum legis gratiæ, quæ non rigores spirat, non castigationes, sed clementiam. *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Ne ergo in tanti momẽti negotio erremus, paucis hic declarabimus, quis sit zelus non secundũ scientiã, & quis bonus, Deoq; acceptus; vt hunc acquirere studeamus, ab illo vero remis velisq; fugiamus.

Eccl. 19. 23.

Rom. 10. 2.

Zelus indiscretus Deo displicet.

Luc. 9. 54.

S. Dionysius Areopagita egregie hanc rem pertractat, dicitq;, Quemadmodum cæcos, quo sit eundem nec diuinantes, nec scientes, non propterea fuste cædimus, nec iis indignamur; sed potius eos manu arreptа, conducimus, illis compatientes: taliter cum peccatoribus, qui & ignorantes sunt, & cæci, vtpote de quibus Sophonias ait, *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt:* nos gerere debemus. Non, inquam, statim in eos sæuire, & vt pœnas dent, & à Deo in momento destruantur velle: sed iisdem compati, & viam veritatis illis ostẽdere, magnoq; eos amore & caritate conducere, & adiuuare: idque ad Christi Iesu imitationem, qui errabundam & amissam ouiculam per montium auia indefesso studio conquirit, eam & voce, & sibilo vocando. quam deinde inuentam non pedo pastorali ferit, sed in humeros acceptam ad caulã, & ouile defert. Vide id in filio prodigo, quomodo nimirũ se erga illum gesserit, quam paternis eum visceribus in gratiam receperit. Hic bonus est zelus, & secundum

Epist. 8. ad Demophilum.

Quis sit discretus, & bonus Zelus.

Sophon. 1. 17.

eundum Deum: alij vero zeli, & rudiores contra peccatores indignationes bonæ minime sunt, & Deo displicent: quia cum
Rom 10.2. benigna eius conditione, indole, & viscеribus paternis non compatiuntur.

Vbi supra. Affert huius occasione Dionysius mirabilem quandam historiam, & quæ maximam adferat consolationem legentibus;
Exempla zeli indiscreti. quam S. Carpo ait contigisse, vtpote cui quotidianum erat multas cælitus reuelationes accipere, quique non ante diuina ad celebranda mysteria accedebat, quã reuelationem aliquam aut visionem habuisset. Refert ergo sibi narrasse Carpum, se, cum haud ita pridẽ ad fidei Christianæ cultum quendam conuertisset, & is denuo, Ethnico aliquem inducente, ad vomitum redisset, ita propterea afflictum & contristatum fuisse, vt inde morbũ contraxerit. Vespera tũ erat. Pro more autem habebat quotidie circa mediam noctẽ de lecto surgere: itaq; se & illa nocte surrexisse, indignantem, & commotũ aduersus duos illos: aduersus ethnicum quidem, quod neophytum peruertisset: aduersus neophytũ vero, quod ad im-
Epist. 8. ad Demophilum. pium deorum cultum rediisset. stantẽ autem ad diuina colloquia, dolenter se conqueri, & cum Deo expostulare cœpisse di-
Quis sit discretus, & bonus Zelus. cendo, Non est æquum viros impios viuere, Domine, quousque patienter eos ipse tolerabis? Mitte de cœlo ignem à quo extinguantur. Quę cum dixisset, commemorabat se visum esse videre repente domum, in qua staret, agitari primum, deinde à ver-
Sophon. 1, 17. tice in duas partes dimidias diuidi, & ante se rogum quendam magni luminis, eumq; è cœlo vsque ad seipsum deferri: cœlũ vero apertum, & in eius cardine Iesum assistentibus innumerabilibus Angelis. Cum autem ipse deorsum oculos conuertisset, vidisse etiam terram ipsam ita discessisse, vt tenebricosus quidam & obscurus hiatus existere videretur: atque duos quidẽ illos, quibus male precatus esset, ante se ad os hiatus stare trementes & miseros, & qui fere præpedũ suorũ instabilitate demergerentur: ab inferiore aũt loco ex hiatu angues sursum serpere, atq; interdũ quidem eorum pedes spiris inuolutis circũplexos, interdum autem dentib aut caudis incedentes, vel demulcentes, omnique ratione agentes, vt duos hos in illam voraginẽ immensam præcipites darent: Fuisse ẽt viros quosdam in medio, qui vna cum serpentibus in homines illos inuaderent, exagitatione, pulsu, & percussione. Narrasse porro Carpum, aduersus illos indignantem, & eorũ interitum optantẽ, gauisum esse quod in præsenti hoc discrimine versarẽtur: grauiter autẽ tulisse, ac sibi displicuisse, quod nondum deciderent. quare optasse, sibi vt potestas & copia fieret, illorum in abyssum illam deturbandorum. Cũ vix tandem cœlum aspexisset, vidisse benignissimum Iesum, quem ad misericordiã id, quod gerebatur, cõmouebat, eumq; surrexisse de cælesti solio, &, cum ad eos descendisset, manum benignam porrexisse, & Angelos qui vna auxiliũ ferrent, viros illos duos, alium alia ex parte retinuisse: & Iesum Carpo, eos impellere ac deturbare in voraginem percupienti, dixisse manu iam porrecta: *Extenta iam manu percute me: paratus sum enim rursus hominum salutis causa mortem perpeti, mihiq; hoc pergratum est, dũ alij homines non peccent. Sed vide num tibi vtile sit hanc in hiatu, & cum serpentibus mansionem, mansioni cum Deo, & benignis hominumq; amantibus Angelis anteponere?* Atque his dictis disparuit visio: Carpus autem ob indiscretum suum zelum ita correptus in posterũ factus est cautior, vti & nos illius exemplo sapere oportet: nouisse nimirum, id genus zelorũ summopere Deo displicere: neque n. is peccatoris mortem cupit. Peccatores quippe ca- *Gen 35.18.*
ro illi stetere, & sunt velut Benoni, id est filij doloris: vtpote quos magnis cum doloribus, & torminibus in cruce genuit, sanguinis autem & vitæ impendio peperit: hinc eos non perire, sed potius conuerti, & in perpetuum viuere cuperet.

Ionas Propheta mire dolebat, & stoma- *Ioan 4.10.*
chatus indignabatur, quod quam Niniuitis Deus castigationem per os suum interminatus erat, nõ immitteret. Cui Deus: *Putasne bene irasceris tu super hedera?* & bonus est zelus tuus? *Tu doles super hederã, in qua*

in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret: quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centũ viginti millia, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram & iumenta multa?

Mirabilis quoque & notabilis est, quoad propositum, aurea illa Imperatoris Constantini, in Concilio Nizeno, ad Episcopum quendam, nomine Aracium, plus æquo in eis, qui lapsi erant, & in hoc Concilio ad mentem redibant, ad pœnitentiam recipiendis, austerum seuerumque sententia. Hunc ergo religiosissimus & piissimus ille Imperator sic compellauit: *Erige scalam*, inquit, *Araci, & solus, si potes, in cælum conscende.* Sic & alius vir sanctus, pari in casu, alteri cuidam etiam rigidiori, dixit: Si sanguine tuo ouem illam comparasses, vti eam comparauit Christus Iesus, haud dubie illam in gratiam reciperes, & in ouile tuum admitteres, neu foris eum, à luporum rabidorum dentibus discerpendendam relinqueres.

Exempla Zeli discreti.

Boni autem & veri zeli, quem Dei seruos præferre par est, egregium & mirabile quoddam exemplum in Exodo legere est. Talem itaque nos zelum habere oportet, qualem habuit Moses tum, cum filij Israel vitulum aureum, quem conflarant, sacrilego cultu adorarunt: Quem etiam ponderat, & merito magni facit Augustinus. Ascenderat in Sinai montem Moyses, legem populo dandam à Deo accepturus: qua in duabus tabulis, ipsius Dei manu concinnatis, & vtrimque manu eiusdem exaratis, accepta, iam de monte descendebat. Viso autem populum vitulo, quem cõfecerat, diuinos honores deferre, & adorare, in tantum iratus est, vt, quas manu gestabat tabulas, terræ illidens, confregerit. Vide, inquit Augustinus, quantopere ob peccatum populi Moses succenseat, cum tabulas legis, quas iamiam à Deo ipso acceperat, ab illius manu & aptatas, & conscriptas, & tot cum ritibus & solemnitate tanta, necnon longa præparatione præuia, ac nonnisi post quadraginta dierum, & totidem noctium in monte ieiunium & cum Deo colloquium, datas confringat. Veruntamen etsi tanta eius esset (vti hæc fuit) aduersus præuaricatores & peccatum indignatio, confestim tamen ad Deum se conuertit, pro iisdem rogaturus, idque tam feruenter ac cordialiter, vt dicat, *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Talis ergo, inquit Augustinus, verorum Dei ministrorum zelus sit oportet. Quare ita eius nos honorem æmulari debemus, vt hinc, adusque interiora animæ penetralia, mire nos consaucient mala, ac scelera, quæ in diuinam eius maiestatem admittuntur, itaque in peccatum ipsum grauiter concitemur & succenseamus: illinc vero peccatoribus in tantum compatiamur & commisereamur, vt statim eorum nos sequestros, & patronos exhibeamus, ad eos Deo reconciliandos, veniamque illis impetrandam: vt Mosen fecisse iam iam ostendimus.

Rom. 9. 1.

Simile exemplum habemus in Apostolo Paulo, qui de se ipso ita scribit, *Veritatem dico in Christo Iesu non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & dolor cordi meo Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Ex vna parte miro dolore & tristitia Apostolus ob populi sui peccata affligebatur, quod peccatum cane peius & angue detestaretur, & odio haberet: ex alia ita eius ipsum miserebat tamque ardenter omne ei bonum optabat, vt anathema se velle esse dicat, quo ipse salutem consequatur. Diuersimode hocce Mosis & Apostoli votum sancti Patres exponunt. S. Hieronymus quidem id de morte corporali putat intelligendum, dicitque sanctos illos suum profundere sanguinem, & corporali morte occumbere voluisse, vt sui vitam viuerent spiritualem, & salutem æternam adipiscerentur. Inde autem id probat, quod anathema vox non raro in sacra Scriptura pro morte corporali sumatur. Verũ, aliis expositionib. omissis, scitã & affectuosam admodũ pro more suo dat S. Bernard.

Epist. ad Algasiam. q. 9. & super Ionam. cap. 1.

Serm. 12. super Cantic.

Zelus similis est affectui materno.

Ait ergo Moysen eo loco, affectu & amore quodã patris, aut potius matris amantissimæ loqui; hanc quippe nullum omnino gaudiũ recreare, aut oblectare potest, si ab illo filij eius excludantur, nec aliquam eius partem habeant. Quod etiam eleganti quadam similitudine declarat: Si quis dives, inquit, pauperculam aliquam ad prandium inuitaret, diceretque; Ingredere ædes meas, de mensa mea cibos sumptura; at ille, quem brachiis gestas, puer, foris maneat oportet, quia ploratum ciet, nobisque suo caput eiulatu franget. Putasne, mulierem hanc illa conditione ad prandium venturam? Minimè. Imò vero ieiuna manere mallet, quam tam carum pignus foris relinquere; diceretque, Vel filiolus mecum huc subeat necesse est, vel prandium ipse tuum tibi habeas. Eodem ergo modo hic loquitur Moyses, inquit Bernardus. Solus in gaudium Domini sui ingredi non vult, populo Israel, quem vt filios charissimos diligebat, ab eo excluso, & foris manere coacto.

Rom. 9. 1.

Zelus habet compassionem.

Hic igitur maternus affectus, hæc compassionis, & amoris viscera Deo maximopere placent: & talis noster zelus sit oportet. Atque adeo inter omnes virtutes, quæ inconfusibilem Dei operarium decent, inque eo requiruntur, primum locum tenet hæc animarum à dæmone diu diuexatarum & detentarum compassio. Vnde & Apostolus neophytis scribit, *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ:* vt sic benignæ naturæ Dei & indoli conformemur, necnon magno illi Pontifici, quem nobis dedit Pater; de quo idem Apostolus sic loquitur: *Non habemus Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris.* Compatiamur proximis, sicut Christus compassus est nobis. Vnde sanctus Ambrosius libro secundo de pœnitentia aliud à DEO non petit, quam paternum & tenerum hunc erga peccatores affectum, & compassionem de peccatis, quem etiam tam magnum à Deo accepit, vt qui vitam eius conscripsit Paulinus, eum solitum collachrymari afferat iis, qui

Coloss. 3. 12.

Heb. 4. 15.

Lib. 2. de pœnitent.

Epist. ad Algasiam. q. 9. & super Ionam. cap. 1.

Serm. 12. super Cantic.

ad eum aut peccata confessuri, aut suas miserias declaraturi accedebant. Hac siquidem via magis conuertuntur, & alliciuntur pœnitentes, quam rigoribus & zelis indiscretis. Hic enim amor, quem erga pœnitentem confessarius ostendit, tum ei compatiendo, tum ob eius miseriam & afflictionem dolendo, cor illi velut suffuratur, eumque non parum prouocat, vt & ipse confessarium vicissim diligat, filialique in eum affectu feratur. Nihil quippe hominem magis ad amandum incitat, quam quod se ab alio amari videat. adeo vt quidquid ei cum hoc amore dicas, cordi id ille suo insculpat; & licet hoc ex amore seuere eum reprehendas, minimè indignetur, quia id velut à sincero ac vero patre profectum accipit. Vnde reprehensiones nostras esse debere Sanctus Basilius ait, *tanquam si nutrix foueat filios:* vt scilicet reprehensus, eas non nisi ex amoris visceribus, & ardenti quodam erga eius bonum, & salutem affectu, ac desiderio enasci intelligat. Hoc est nosse infundere oleum simul & vinum, vt in parabola de Samaritano: fortè, inquam, & acre reprehensionis vinum, cum blando & leni compassionis & misericordiæ oleo temperare. hoc namque animi vulnera optimè curat, & medetur: asperæ autem & austeræ illæ indignationes, & reprehensiones pœnitentibus non modo non prosunt, verum etiam plurimum obsunt, eosque fugant non à te modo, sed & ab vniuersa Societate: opinantur enim reliquos omnes socios tam immites, & duros esse, quam tu. Adfert ad hoc propositum Sanctus Bernardus exemplum Ioseph Patriarchæ, qui, esto fratres suos seuerè reprehenderet, è compassione tamen lachrymarum, habenas inhibere non poterat. *Non se poterat vltrà cohibere Ioseph.* Ostendebat videlicet, verba quibus eos reprehendebat, non ex indignatione vel ira, sed è tenero & amoroso quodam affectu proficisci.

Amor & compaßio animos conciliant.

In regul. Breuior. interrog. 184.

1. Thes. 2. 7.

Luc. 10. 34.

Serm. 11. in Cantic.

Gen. 45. 1.

Vtile excitandæ compaßionis medium.

Vt autem cordialem & compassiuum hunc affectum & viscera erga proximi peccata habeamus, nec eapropter illis

Cap. 21. audi filia.

irascamur, aut indignemur, vsui nobis esse poterit bona quædam R. P. M. Auilæ consideratio. Duobus modis, inquit is, peccata proximi considerari possunt: primo quidem, vt offensæ, & iniuriæ factæ DEO; atque hoc modo spectata, ad iram, indignationem, & desiderium castigationis mouent. Secundo, vt priuatum fratris nostri malum: & tunc non ad iram, sed ad compassionem nos commouent: quia nullum accidere malum hominibus potest, ita ipsis noxium & detrimentosum, ac peccatum. Vnde etiam nulla compassioni & misericordiæ prouocandæ materia ita propria est, ac culpa, hoc modo spectata. Iam quo quis magis peccauit, eo etiam amplius ad compassionem prouocat, quia maius illi damnum accidit, noxa maior illata, maiorique laborat malo. Quemadmodum iniuriæ & contumeliæ à phrenetico illatæ, non tam ad iram nos prouocant, quam ad misericordiam & commiserationem sui, quod eas ceu malum, & infirmitatem eius, à quo inferuntur, non vero quasi nostri ipsorum iniurias accipiamus: pari modo peccata nostra etiam Deum ad compassionem potius, quam ad iram incitant, quando is illa misericorditer, non sicut iniuriam, & offensam suam, sed vt malum & miseriam nostram respicit. Simili ergo modo proximi peccata nos par est intueri, nimirum velut damnum ac malum illius, vt illi propterea compatiamur: sicut Deum vellemus nostra intueri non ex ira, inquam, & iustitia, ad eadem castiganda; sed ex misericordia & compassione, ad eadem remittenda & condonanda. Atque hic bonus erit zelus, & secundum cor Dei, qui & misericors est, & misericordias faciens.



CAPVT XIV.

Aliud quoddã, ad bene ministeria nostra obeunda, medium proponitur, videlicet, interiora animæ, non vero exteriora, quæ deforis videntur, respicere.

VNum de primarijs monitis, quæ sancti Patres, & vitæ spiritualis magistri, ijs qui cum proximo conuersari volunt, proponunt, est, vt non tam corpora & apparentiam exteriorem, quam interiora & animas respiciant. Sunt enim nonnulli, inquit Bernardus, qui exteriora considerant, & ad homines habiles, elegantes, scitos, bene vestitos, & bene compositos tantum spectant, in hos propendent, cum ijs tractare gaudent. At, quibus sani sunt oculi, non nisi interiorem animæ speciem respiciunt, quæ in corpore formoso formosior non est, quam in deformi, si in corpore formoso sanctior non habitarit anima, quam in turpi: sed tam in deformi, quam pulchro ipsa pulcherrima est, cum peccatis deturpata non fuerit: tantoque pulchrior est, quanto à peccatis est purior, & defæcacior, virtutibusque ac donis cœlestibus ornatior. Ad nihil enim vtilis est visibilis corporis pulchritudo, si inuisibilis animæ pulchritudo deest: illa homini cum rebus inanimatis & brutis communis est; sed hæc cum Angelis. Ad interiora illa ergo, ait Bernardus, penetrare, & animam, quæ ad sanctissimæ Trinitatis imaginem & similitudinem facta est, respicere nos oportet, eamque considerare ceu viuum spiritus sancti templum, membrum Christi, ac velut vndeundique in eius sanguine immersam, quam ipse quoque vitæ suæ impendio comparauit ac redemit; , ei, si peccatis

Animarũ decor, non corporum spectandus.

tatis deformem ac deturpatam eam videamus compatiendo, & magno compassionis sensu indolendo, si ingens & incomparabile illud pretium, quod ei comparandæ vnigenitus Dei impendit, in illa irritum atque effectu suo frustrari videamus. Corpore vero, & omni eo quod externum est, & ad ipsum spectat, penitus nobis est, quoad possumus, abstinendum, nec pluris id faciendum, quam saccus stercoreus, immunditiarum congeries, aut sterquilinium niue tectum, aut denique sepulchrum deforis dealbatum. tale quippe est corpus hoc nostrum. Ita porro rigidè & exactè hoc caueri, tamque sollicitos & circumspectos in hac re nos esse volunt, vt dicat Gerson, *Non solum non attendant discretionem formarum, sed neque discretionem sexuum*: id est, non modo non curent an pœnitens, & is quicum agendum est, sit honesta vel incomposita forma, sed ne quidem an vir sit, vel mulier; sed ad animas tantum, earumque remedium reflexionem faciant, ab omni re alia abstrahendo, nec ad eam vel parum attendendo: non enim in animalibus hæ differentiæ sunt.

Animarū decor, non corporum spectandus.

Documentum sanè hoc maximi momenti est. Primo, quia amor noster hoc pacto futurus est spiritualis, & è vera caritate manans, in Deo, per Deum, & purè propter Deum: ille autem alius merè carnalis, sensualis & satis periculosus est. Secundò, documentum hoc etiam nostri ipsorum, qui cum proximo agimus, valde interest, vt per hoc ad ministeria nostra ritè obeunda, & prout oportet exercenda animemur, æque libenter & promptè pauperculo ac derelicto, quam opulento ac potenti opitulando: quandoquidem Deo tam caro stet anima mendici in Nosocomio gementis, & pannosi alicuius ad confitendum venientis, quam equitis alicuius illustris, & eius qui splendidè magnificeque vestitur. Rei huic S. Ambrosius accommodat, quod Redemptor Iesus, Reguli filium curaturus, eius ad domum accedere noluerit; cum tamen id parens instanter, tum per nuntios, tum per semetipsum, vtpote ad Iesum veniens, rogaret; *Ne in Reguli*, inquit, *filio videretur magis diuitijs detulisse*. E contra videmus, quod, cum rogaretur Centurionis famulum vt sanitati restitueret, vltro se ad ædes eius adeundas obtulerit, cum tamen id ipse Centurio per se rogatum non venisset, sed nonnisi per alios. *Iesus autem ibat cum illis*. ne videretur, propterea quod æger esset seruus & inops, ad eum ire noluisse. Ideo, inquit Ambrosius, ita fecit nobis, vt exemplum daret, quomodo cum proximis nos agere conueniat, nimirum vt non ad diuites, nobiles, benè vestitos, sed duntaxat ad animas attendamus. Ad has & oculis, & corde toti ferri debemus, tam libenter pauperculo & stabulario, & seruo, quam equiti & magnati subuenire procurando: quia apud Deum, vt ait Apostolus, non est distinctio serui, & liberi, non famuli & domini; & DEI filius tam pro illo, quam pro hoc, mortem oppetiit; fortasse etiam carior illi est, ac pluris ab eo fit paruus, quam magnus.

Animas attendere, non corpora purum amorem generat.

Indifferentem fecit sine respectu personarum.

Super Luc. lib. 5.

Ioan. 4. 47. Luc. 7. 6.

Si quidem amor noster summè purus & spiritualis esset, potius ad egeni, quā diuitis, plebei quam honorati confessionem audiendam, eumque iuuandum propenderemus, & nos applicaremus; idque multas ob causas. Primò, vt quod, quoad hoc, Christus Dominus exemplum (vti diximus) nobis dedit, imitaremur. Secundò, quia in pauperculis & infimis his Christi imago & similitudo magis respondet; ipse enim cum diues esset, pauper nostri causa effectus est, vt eius inopia nos diuites essemus, vti loquitur Apostolus. Tertiò, eo quod hoc pacto securiores & certiores sumus, nos in nostris ministeriis DEVM solum spectare, & non nisi purè propter ipsum eadem obire. Quia dum cum magnatibus, & illustribus tractamus, sæpe humani se respectus intermiscent, & nos ipsos, ac proprium commodum, & æstimationem inde quærimus. Et sanè hæc conuersatio & tractatio non tam secura est, & sæpe non tam pura, & pul-

In cura animarum cur abiectorum potior habenda ratio, quā nobilium.

2. Cor. 8. 9.

uere & palea expurgata. Frequenter enim non nisi mera est vanitas, quod videtur esse zelus. Quarto, quia sic melius in humilitate conseruabimur. Quinto, quia per experientiam patet, maiorem ex his fructum colligi, quam ex alijs, & hos ad confessionem & conciones frequentius venire, quam opulentos. Tales quoque fuisse constat illos, qui Christum frequentius & frequentius sequebantur, quique ex eius doctrina magis proficiebant. In Euan-
Matth. 11. 5. gelio quippe legimus, *Pauperes euangelizantur*. De diuitibus vero, & optimatibus non nisi hinc inde aliquis, puta vnus Nicodemus, qui inter Iudæos princeps erat; Et hunc ipsum adhuc non nisi de nocte, & clanculo ad Christum accessisse. Euange-
Ioan. 3. 2. lista scribit, *Hic venit ad Iesum nocte.* Huc accedit, quod hominibus simplicibus ac rotundis simplicius etiam veritates aperiantur, ac vitia in ijs maiori multo libertate carpantur; ipsi vero in meliorem partem reprehensiones omnes accipiant, confessarius denique quæcumque lubuerit de illis statuere, facilius executioni mandet, & quo voluerit eos conducat. At apud illustres & optimates subinde reprehensionis habenæ, ob nescio quos respectus retrahuntur, nec tam liberè eos confessarius commonere, & arguere audet, & sæpe quæ illis necessario dicenda sunt, non nisi media ex parte depromit, reliqua verecundans supprimit. Atque hinc postea non raro aliquis scrupulus & remorsus manet, quod aut liberius eos non coarguerit, apertiusque mentem declararit, aut quod eorum in delictis conniuens, dissimularit. Adhæc cum magnatibus multum consumitur temporis, & interim parum, aut nihil proficitur, at, cum plebeis, triuialibus, ac simplicibus paruo tempore permultū: Quia cum ipsis tractando, statim ad rem, & hominem, vt dicitur veniri, & quidquid demum dicitur, substantiale & reale esse potest: quod cum illis fieri nequit. Hac de causa homines spirituales & sinceri, & proprii sui profectus, & fructus in proximo faciendi percupidi, omnem quam possunt, maxime magnatum, & nobilium conuersationem subterfugiunt, eamque vt maxime onerosam ducunt. Quod etiam sancti Patres passim consulunt, & serio commendant, iuxta monitum illud Sapientis: *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat.* Vnde etiam laudari ab omnibus & celebrari in Religione videmus illos, qui egeni, æthiopis, seruorum, ac panniculosorum mendicorum confessionibus excipiendis studiose vacant. Nec immerito quia certum & indubitatum est, minimè defore qui ipsorum confessiones excipiat. Si quis autem inter illos sit, cui subuenire & aures dare maius Dei obsequium fore credas, nihilominus tu, si vere sis humilis, cogitare debes id alium illum Patrem, qui illo in loco confitentibus vacat, melius ac minori suo periculo facturum: tu interim pauperculo illi, qui fortasse iam alias confessurus venit, &, quia neminem qui sibi aures accommodet inuenit, non confessus domum abijt, operam tuam & aures impende.

Pauperum confessionibus aures libenter danda.

Caput XV.

Aliud proximo subueniendi medium suggeritur: nimirum nobis ipsis diffidere, omnem vero fiduciam in Deum ponere.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prouer.* 3. 5. Aliud medium, ipsumque maximi momenti, quodque ad finem instituti nostri consequendum maximè nos adiuuabit, est id, quod superioribus illis verbis Salomon complectitur. Idem quoq; nobis B. N. Pater, & instituti nostri Bulla duobus illis verbis paucis proponit, *Diffidens suis viribus, & diuinis fretus.* *Bulla Iulij III.* Nostin' inquit, quomodo magnum in animabus fructum & bonum facturus sis? Tibiipsi ac propriis viribus, prudentiæ, industriæ, atque adeo omnibus mediis humanis diffide; omnem vero

Sui ipſius diffidentia, & in Deum fiducia magnum ad animarum lucra adiumentum.

vero fiduciam ac ſpem in ſolo Deo colloca. Hoc inter omnia ad magnum animarum lucrum faciendum media & efficaciſſimum eſt, & facile princeps. Hæc item eſt vna de optimis diſpoſitionibus, quas ad hoc operarius Dei afferre poteſt, vt norit nimirum ſe, quantum eſt ex parte ſua, ad aliquid quod valeat faciendum, prorſus ineptum & incapacem eſſe, ſed omnem ſibi in Deo fiduciam eſſe ponendam. Qui enim id faciunt, his ſupremus ille Dominus & architectus ceu aptiſſimis quibuſdam inſtrumentis vtitur, ad grandia quædam, illorum adminiculo, opera, illuſtres conuerſiones & mirabilia ac magnalia operanda. Ita ſentiebat Apoſtolus Paulus, cum de ſe ſic ſcribit: *Fiduciam autem habemus per Chriſtum ad Deum: non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos facit miniſtros noui teſtamenti* & Euangelij præcones.

2. Cor. 3. 4.

Tract. 7. in Ioan.

S. Auguſtinus loquens de laudibus Nathanaelis, cui & ipſe Redemptor Chriſtus præclarum in Euangelio elogium dedit, dicens, *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus* & duplicitas *non eſt*; Videtur, inquit, talis vir, qualis hic deſcribitur, antè alios omnes ad Apoſtolatus munus vocari debuiſſe, cum tam illuſtre de eo teſtimonium ipſe Dei filius ferat. Videmus nihilominus eum non modo non vocari primum, ſed ne quidem medium, aut poſtremum. Noſti quare? petit Auguſtinus. Nathanael erat doctus, & legis peritus; ac propterea eum Chriſtus inter Apoſtolos ſuos cooptare noluit: neque enim doctos & litteratos ad Euangelij ſui prædicationem, orbemque ſibi ſubigendum deligere voluit, ſed pauperculos aliquot piſcatores, obſcuros, idiotas, inſipientes, vti loquitur Apoſtolus.

Illiteratos Christus ad Euangelij prædicationem delegit.

1. Cor. 2. 27.

Hunc in ſenſum accommodatitiè trahit ſanctus Gregorius id, quod in libro Regum legimus, Cum enim Amalecitæ Siceleg oppidum incendiſſent, & Dauidis eiuſque ſociorum vxores & proles captiuas abduxiſſent, illorum vnus quendam in abitu puerum Ægyptium in via reliquit, quod is malè habere cœpiſſet, & herũ properantem ſequi non poſſet. Incidit caſu in ſeruum hunc Dauid, eumque animam agentem reperit, quia iam triduo cibo potuque omni caruerat quem cum cibo oblato refeciſſet, ſibique reſtituiſſet, eum in expeditionis ſuæ ductorem deligit. quem in Amalecitis perſequendis præeuntem ſecutus, eos lautè lateque epulantes & conuiuantes, ac proinde imparatos opprimit, & pleriſque eorum cæſis, prædam quam abegerant, omnem recuperat. Eodem, inquit Gregorius, modo verus Dauid, Ieſus Chriſtus Redemptor noſter, agere ſolet; dum quos mundus abijcit, repudiat, & velut reiectamenta reſpuit, ipſe ſibi deligit, eoſque verbi ſui cibo oblato reſtauratos, in ſuos ductores cooptat, atque Euangelij ſui prædicatores efficit, ad Amalecitas, id eſt mundanos, qui epulantur, plaudunt, & mundi huius voluptatibus ac deliciis indulgent, expugnandos ac profligandos.

1. Reg. 30.

In animarum venatu etiã verũ illud: A cane non magno ſæpe tenetur aper.

Reſpiciendum iam cur id Deus facere ſoleat, & ad tam ſublime & graue opus tam debilia infirmaque adhibeat inſtrumenta. Vt nimirum, ſicut docet Apoſtolus, homo ſibiipſi non confidat, nullamq; ſibi quidquam attribuendi occaſionem habeat, ſed omnem ſuam fiduciam in Deo ponat, & omnem geſtorum gloriam ei ſoli aſſcribat. Tanti porro Deus id facit, vt, quo veritatem hanc plene edoceamur, ipſaque cordibus noſtris inſculpta, & penitus infixa maneat, voluerit vbiuis & paſſim in Scriptura exempla occurrere, in quibus Deus, ad ſublimia & mira quædam opera patranda, infirmis ineptiſque inſtrumentis vſus eſt: vt hoc pacto melius & euidentius pateret, ipſum eſſe qui mirabilia magna ſolus operatur, non autem nos, & *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ* Hoc namq; in maiorem Dei gloriam redundat, atque hinc magis eiuſdem magnitudo & omnipotentia eluceſcit. Multa quidem Deus in populi Iſraelitici ex Ægypto eductione, mirabilia eſt operatus, in nullo tamen euidentius Ægyptii virtutem & poten-

Infirma mundi eligit Deus ad ſuam potentiam manifeſtandam.

Rom. 9. 23.

Exod. 8. 19.

tiam eius perſpexerunt, quam, dum Moyſes virga ſua terræ puluerem concutiens, eum in muſcas & ciniphes conuertit, iiſque vniuerſam longè lateque regionem compleuit. Tunc quippe Magi Pharaonici, videntes ſe, omnibus artibus & incantationibus ſuis nequidquam adhibitis, id inſecti genus producere non potuiſſe, palam confeſſi ſunt ac dixerunt, *Digitus Dei eſt hic*, atque euidens virtutis & magnæ eius potentiæ argumentum.

Magi Ægyptij muſcis faciendis à Moyſe ſuperati Dei potentiam agnouerunt.

Cum Perſarum Rex Sapor Romanos laceſſens, magna bellatorum manu, ciuitatē Niſibin, quam nonnulli eſſe volunt Antiochiam Mygdoniam, cuiuſque Epiſcopus erat Iacobus, vir vitæ ſanctitate clarus, obſideret, ciues obſeſſi (vt Eccleſiaſtica hiſtoria proditum eſt) ſanctum ſuum Præſulem rogarunt, vt muros vrbis aſcenderet, atque inde eminus Perſarum copiis malediceret. Quorum poſtulatis annuens Antiſtes, altam quandam turrim aſcendit, è qua vniuerſum hoſtilem exercitum deſpectabat. Sed non aliam hinc Perſis maledictionem aut infortunium eſt à Deo precatus, quam vt pulices & muſcas in eos immitteret, vt à vilibus his animalculis exagitati & fatigati, ſupremam eius potentiam agnoſcerent. Vix ſuam orationem abſoluerat, cum, ecce, in Perſarum exercitum magna pulicum & muſcarum vis deſcendit, & in elephantorum proboſcides, & equorum aliorumque in caſtris animalium nares & aures inuolauit, quæ horum animalculorum morſus & aculeos ferre non valentia, præ impatientia ſaltabant, ſeſſores ſternebant, ductores vero ſuos proſtratos pedibus proculcabant, & fractis ceruicibus protere bant. Vnde ſine vllo ordine huc illucque diſcurſantia vniuerſam aciem, & ordinatum caſtrorum ſitum turbabant. Quocirca Sapor Rex, Dei agnoſcens cùm potentiam, tum erga ſuos prouidentiam, obſidionem ſoluere coactus eſt, & in Perſidem reuertit confuſus. Per pulices quippe & muſcas, omnes Imperatores & terræ Monarchas Deus exagitare & laceſſere poteſt. Ideo autem id ſic facere cupit, vt

p. 2. lib. 3. c. 6.

Deus ingentem Saporis Regis exercitum per muſcas & pulices profligat.

Rebus minutiſſimis

hinc melius appareat horum omnium ſe auctorem eſſe; vnde etiam in maiorem eiuſdem gloriam & honorem id cedit. Porro hanc ipſam ob cauſam, etiam ad illuſtria quædam in animarum conuerſione magnalia facienda, debilia & infirma Deus inſtrumenta & media ſeligit. Vnde in Eccleſiaſticis hiſtoriis, multas illuſtres tum magnorum peccatorum, tum infidelium & hæreticorum conuerſiones hoc modo contigiſſe legimus: nam cum nec multorum Epiſcoporum, & quidem doctrina magna inſtructorum, opera conuerti, nec in Generalibus Conciliis, ad quæ omnium totius Eccleſiæ ingeniorum flos confluebat, conuinci potuiſſent, tandem viri alicuius ſimplicis & idiotæ opera, & per ſimpliciſſimas & obuias quaſdam rationes, & conuerſi ſunt, & victi manus dederunt. Vt hac ratione diſcamus nobis planè diffidere, Deo confidere, & omnium factorum gloriam illi ſoli aſſcribere.

maximos Monarchas Deus domat.

Hiſtor. Eccleſ. & tripartit. p. 1. lib. 10. c. 2. & p. 2. lib. 2.

Celebres hominum conuerſiones per idiotas ſæpe facta.

Tria hinc nobis documenta colligenda ſunt. Primum, non deficere animo, nec deſperare, cum videbimus quam parum ipſi poſſimus, quanta noſtra ſit miſeria, quam vires exiguæ, & quam ad tam ſublimem finem & inſtitutum, & munia adeo eximia, qualia in Societate habemus, diſproportionatæ: quin potius noua id nobis ſit oportet ad animum maiorem concipiendum, Deoque amplius confidendum occaſio. Ipſi namque ſolemne eſt: huiuſmodi inſtrumenta ad res magnas & mirabiles eorum adminiculo exequendas, adhibere. Vti egregiè quo ad hoc propoſitum ſanctus Franciſcus cuidam de ſocijs ſuis reſpondit. Cum enim F. Maſeus ordinarius S. Franciſci ſocius, eius humilitatis periculum quadam die facere vellet, vtpote qui eum probe noſſet ſcirerque quam illi gratum ac volupe eſſet contemni ac deſpici, eum adijt ac rogauit; Vnde fit, Franciſce, vt omnes ad te accurrant, vt te videre, audire, tibique obedire velint? neque enim es doctus, non illuſtri genere natus, non forma liberali aut eleganti, non denique eloquens: vn-

Imbecillitatis noſtræ conſideratio addit potius, quam adimit nobis animos.

S. Franciscus vilis in oculis suis à Deo vbique in vulgus honoratur.

Dei gloria [ab abie]ctis hominibus magis exsplendescit.

denam fit ergo, vt totus mundus te sequatur, tibique obsequenter auscultet? Cui Franciscus, vtpote qui verè erat humilis, sic respondit: Nosse vis, frater, vnde mihi hoc veniat, quod homines ita me colant & post me currant? dicam; Ex immensa Dei mei bonitate, qui me omnium peccatorum maximum, omnium creaturarum abiectissimam & vilissimam respicere dignatus est: nam infirma & stulta, & abiecta mundi eligit Deus, vt per illa confundat fortia & sapientia, & magna; vt omnis gloria & honor cedat Deo, & qui gloriatur, in Domino glorietur, itaque ei soli omnis honor & gloria detur in sæcula sæculorum. Hoc & nostrum esse responsum debet, nostra consolatio, & omnis nostra fiducia.

Non tam nos, quam Deus in nobis magna operatur.

Psal. 43. 1.

Alterum, quod hinc colligere documentum debemus, est; te, etsi tua Deus opera magnum in animabus fructum faciat, insignesque conuersiones, atque etiam miracula & prodigia operetur, non propterea debere superbire, aut magnum quid de te præsumere; sed tam submisse de te sentire, tuique vilitatem non minus agnoscere, quam si nihil penitus præstitisses: neque enim tuis id ipse viribus facis, sed tuo Deus adminiculo, teque instrumento. Quam bene rei huius theoriam æque ac praxim nos docet Psaltes? *Deus*, inquit, *auribus nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerunt nobis quod operatus es in diebus illorum, & in diebus antiquis:* tu enim Domine es mirabilia illa magna operatus, & tua fuerunt illustria illa & inclyta opera, non ipsorum. *Manus tua potens gentes disperdidit, &* illis è loco suo eiectis *plantasti eos* (patres nostros) *afflixisti populos, & expulisti eos.* Tu, Domine, fecisti vniuersa hæc. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua & brachium tuum* (id est virtus & fortitudo tua) *& illuminatio vultus tui* in his, & per hos magnalia illa patrauit. Neque id ipsorum est meritis ascribendum, sed *quoniam complacuisti in eis*, quia id ita facere voluisti, itaque tibi complacuit.

Magna & mira opera à nauci hominib. facta stimuli sint humilitatis.

Adeo vt non propterea, quod nostro adminiculo mirabilia & eximia Deus Optimus Maximus operetur, euanescere aut superbire, sed quo maiora erunt, eo magis confundi & demississimè humiliari debeamus, cum videmus eum instrumentis adeo infirmis, ineptis & incommodis, ad res tam eminentes & sublimes agendas, vti velle. In quo ita nos geramus oportet, vti se S. Petrus gessit tum, cum eius opera copiosum illum Redemptor IESVS piscatum fecit. Præcipiebat Petro Dominus, vt retia laxaret in capturam piscium; cui Petrus: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus; in verbo autem tuo laxabo rete.* Quo facto, tantam piscium multitudinem concluserunt, ita vt rete frangeretur, ac necesse fuerit socios qui in alio erant nauigio, ad opem in eo attrahendo ferendam aduocare. illo adducto, ambas nauiculas piscibus repleuerunt, *ita vt pene mergerentur.* Quo miraculo conspecto Petrus, *Procidit ad genua IESV* dicens, *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*, nec dignus qui prope te consistam. *stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant.*

Luc. 5. 4.

S. Petrus in felici & improuisa piscium captura magnã animi demissionem ostendit.

Vt autem Petrus, videns se postquam nocte tota in vanum laborasset, cum in Christi nomine rete iecit, tantam piscium copiam concludere, obstupuit, consternatus est, simul etiam humiliauit se, & in se confusus fuit: Ita & nos obstupescere, mirari, magis humiliari, & propriam infirmitatem & miseriam amplius agnoscere par est tum, cum quid magnum per nos Dominus operabitur. Quam vero procul Petrus abfuit, vt ob fœlicem capturam hanc gloriaretur aut superbiret! ita & tute sedulo cauere debes, ne euanescas & insolescas, cum te mediante aliquod Deus opus effecerit; agnoscens id Dei esse opus, & nimis quam alienum à te. Hoc est diffidere sibi, ac confidere in Deum:

In magnis operibus animus minimè efferendus.

hoc est, attribuere sibi quod suum est; Deo, quod Dei. Vide quid egerit Petrus, quando in nomine suo rete laxauit; & inde videbis quid omnibus mediis, industriis ac diligentiis tuis humanis ipse possis aut velles: & ex aduerso vide quid fecerit tum, cum in Christi nomine rete iecit; atque hinc liquido patebit, quam multum cum eius gratia & fauore possis. Primum si consideres, tibiipsi diffides, si alterum, animum & fiduciam in Deum concipies. Hoc ergo vtrumque si fecerimus, ex vna parte nouerit vt euanescamus, quantumlibet magna & illustria per nos Deus operatur; ex altera vero, licet infirmitatem & vilitatem nostram respiciamus, non erit vt animo cadamus.

Epist. ad Damas.

Quæstionem hanc alibi proponit sanctus Hieronymus: Videmus, ait, vter fecerit melius, Moysesne, qui missus à Deo, vt populum eius Ægypto educeret, se excusat, ad id muneris se negans aptum esse, mitteret proinde alium, qui munus hocce melius exequeretur; an vero Isaias, qui, etiam non vocatus, nec selectus, vltro ad prædicatoris munus obeundum se obtulit, dicens, *Ecce ego, mitte me*: Respondet Hieronymus; Bona quidem & laudabilis inprimis est humilitas, necnon vt homo se ad quidlibet ineptum esse agnoscat; valde item bona & laudabilis est promptitudo, & ad proximo succurrendum obsequendumque animositas, at si me iudice scire velis, inquit, vtrum melius sit, dico, à Moyse quidem nos mutuari debere humilitatem, nostram infirmitatem respicientes; ab Isaia vero animositatem, & promptitudinem, in misericordia & bonitate Domini confidentes, qui labra eius calculo tetigit, & ad opus ad quod destinabat, vires ei & sufficientiam dedit. Humilitas quippe fiduciæ adeo non aduersatur, aut eam impedit, vt etiam non parum adiuuet: adiuuat enim nos ad omnem fiduciam in Deo collocandam, & consequenter ad maiorem vigorem, robur & constantiam induendam.

Isa. 6. 8.

Humilitas cum magna animitate socianda.

Humilitatis comes fiducia.

Tertium quod hinc hauriendum venit documentum, est, quamuis certum sit, neminem in se suisque viribus aut mediis confidere ac niti debere: à nostra tamen parte omnes, quas possumus, esse nobis ad proximo subueniendum, diligentias adhibendas. Velle namque vt aliquem Deus fructum faciat, non positis ante à nobis mediis, idem est, ac miracula petere ac veluti tentare Deum. Vult siquidem ipse opera & mediis nostris ad animarum conuersionem vti: atque idcirco nos Apostolus Dei vocat Coadiutores & cooperatores. Hinc quoque Dominus Petro præcepit, vt ipsemet retia sua iaceret, ac nonnisi hoc modo copiosam hanc illi capturam dare voluit. Vt nouerimus non esse nobis otiandum, sed laborandum. Ac ne forte ex alia parte bonum successum & animarum conuersionem retibus nostris, nostris inquam industriis, conatibus, ac diligentiis asscribamus, voluit primo Petrum retia sua, & nocte tota in laborando consumpta, nihil cepisse. Adeo vt vna ex parte ipsimet retia nostra iacere, quæcumque possibilia media applicare, & omnigenas adhibere diligentias debeamus, perinde ac si hoc solum ad felicem rei successum habendum sufficeret: ex alia vero parte plane hisce ipsis diffidere, tamquam si nihil omnino præstitissemus, & omnem nostram fiduciam in solo Deo ponere.

Deus magna sine nobis non operatur.

Homines Dei coadiutores.
1. Cor. [illegible]
1. Cor. 4. 1.

Deo fidendum & manus simul operi admouenda.

Atq; hoc est, quod nos in Euangelio Redemptor docet: *Cum feceritis omnia*, inquit, *quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus*, quod debuimus facere, fecimus. Notandum est autem, eum non dicere, *Cum feceritis aliquid eorum quæ præcepta sunt vobis*, sed, *Cum feceritis omnia*: vt sciamus nobis, quantumlibet magnas diligentias adhibeamus, & quæcumque media à parte nostra ponamus, in illis minime esse confidendum, sed omnem nostram fiduciam in Deo collocandam, omnium gestorum gloriam illi asscribendo & attribuendo. Quem sancti Patres vltimum ac perfectissimum humilitatis gradum, vti suo loco diximus, esse censent.

Luc. 17. 10.

Omnibus rite peractis adhuc sumus serui inutiles.

2. p. tract. 3. c. 31. & 32.

Cum

Omnia nobis in nomine & virtute Dei facienda.


Cum Petrus & Ioannes Apostoli ambulare fecissent claudum illum ex vtero matris suæ, qui ad portam templi, quæ dicebatur speciosa, stipem ab intrantibus & exeuntibus petebat; populus miraculum hoc obstupescens, ad eos cateruatim cucurrit, quasi diuinos quosdam viros ipsos suspiciens. Quos propterea S Petrus alloquens ait, *Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*; in Iesu ergo nomine & virtute hoc miraculum, quod vidistis, patrauimus. Idem quoque contigit S. Paulo & Barnabæ occasione alterius prodigij, quod apud Lycaonios fecerunt: cum enim propterea eos Gentiles vt Deos haberent, & adorare, quin & victimas illis immolare vellent, & de facto coronas ad eos coronandos offerrent, dicentes, *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos*; illi conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes, *Viri quid hac facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines*: neue nos hoc facimus, sed solus Deus, cui honor hic & gloria ascribenda est. Ita scilicet viri hi sese humiliarunt & deiecerunt, quasi nihil prorsus fecissent: pari modo & nos humiliari oportet; postquam quidquid facere debemus, in animarum auxilium & opem fecimus.

Act. 3.12.

Act. 14.10. & 14.

Honos & gloria ex bene factis Deo redhibenda.

(∴)



CAPVT XVI.

Quam sit hoc Deo confidendi medium efficax, ad beneficia & gratias ab eo recipiendas.

BEatus Martyr Cyprianus, exponens illa Dei ad filios Israel verba, *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit*, ait, *pes vester vtique spes vestra est: & quantumcumque illa processerit obtinebit.* Idem quoque habet S. Bernardus: Pes tuus, inquit, est fiducia tua, & pro modulo quo ille processerit, etiam à Deo beneficia recipies: Quousque se pes fiduciæ extendet, eousque se tua extendet ditio. Si multum Deo confideres, magnaque ab illo sperares, magna etiam tibi concederet, tuoque adminiculo efficeret; si vero parum, parum daret. Multa, è quibus hoc colligamus, in Euangelio habemus exempla. Princeps ille Synagogæ, qui domi filiam moribundam reliquerat, & quæ postquam is ad Christum peruenit, iam exspirarat, dixit: *Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, & impone manum tuam super eam, & viuet.* Aliquam quidem is fidem & fiduciam habebat, quandoquidem Dominum filiæ suæ vitam reddere posse credebat: sed exiguam, propterea quod vt illa viueret necessarium illi videbatur, vt CHRISTVS domum suam abiret, ibique manum puellæ defunctæ imponeret, atque hæc si fierent, tum demum filiam suam confidebat resuscitari posse. Hinc etiam Christus iuxta hanc eius fiduciam, & fidei conformiter, opus suum exequitur. Domum enim adiens, filiamque defunctam inueniens, manum eius apprehendit, vitæque restituit. Alia vero illa mulier, quæ duodecim

Deut. 11.24.

Spes beneficiorum Dei mensura, & modulus.

Serm 15 super Psal. Qui habitat.

Quantum speras, tantũ accipis.

Matt. 9.18.

Filium defunctum Christus præsens iuxta spem patris exsuscitat.

Christus pro modulo spei sua patrauit miracula.

ipſos annos ſanguinis fluxum paſſa erat, omnemque ſubſtantiam in medicos, ſed euentu caſſo erogarat, cum paulo maiori fiducia ac fide ad Chriſtum acceſſit. Dicebat enim intra ſe, *Si tetigero tantum veſtimentum eius ſalua ero*, Vnde per f:rtam hominum turbam ſe inſinuans, veſtimenti eius fimbriam tetigit. Cui etiam DEVS iuxta menſuram fidei & ſpei, beneficium ſuum eſt admenſus. Centurio autem ille, cuius ſeruus cum paralyſi conflictabatur, maiorem longe fidem attulit, quam omnes alij. Venit quippe ad CHRISTVM, *Seruus meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur:* ſed te neceſſe non eſt ad eum venire, quo eum ſanitati reddas, vti nec ipſum ad te vt veſtem tuam contingat. *Sed* in loco tuo manens, *tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Vide quanta viri huius fuerit fides. *Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael.* Et ad centurionem conuerſus ait, Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Quia fiduciam is in Chriſto habuit, eum vel verbo, etiam abſentem, puero ſanitatem reſtituere poſſe, hinc, vti credidit, abſens verbo ſolo eum ſanauit; & ſanatus eſt *puer in illa hora.* Vide ergo quomodo Deus ita ſe nobiſcum gerat, ſicut noſtram viciſſim in ſe videt eſſe confidentiam, ſecundum illud Prophetæ, *Fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te:* &, prout fiduciæ vas erit profundum & capax, ita inde aqua hauriatur, ait S. Cyprianus.

Matt. 9 21.

Hemorrhoiſſam per ſolum cantactum Chriſtus iuxta ſpem ipſius ſanat.

Matth. 8. 6.

Centurionis ſeruum Chriſtus abſens verbo iuxta ſpem eius ſanat.

Pſal. 32. 22.

Ita quoque accidit Petro Apoſtolo, cum Chriſtus eum, vt ad ſe ſuper aquas inambulans vocauit: nam, quam diu non timebat, non minus intrepide & ſecure mari, quam terræ continenti & ſolidæ, inambulauit; at quando, vento valido insurgente, timuit diffidens, ſtatim cæpit mergi. Vnde etiam exiguam eius fidem CHRISTVS reprehendit, dicens, *Modicæ fidei quare dubitaſti?* ſignificans, ideo illum mergi incipere, quia intra ſe metuebat, ac Deo diffidebat. Hoc quoque eſt cauſa, cur nonnunquam tentationibus, ærumnis, ac negotiorum ingruentium mole obrui, mergi, ac tantum non perire videamur, quia videlicet paruam habemus fiduciam. Si enim multum Deo confideremus, ipſe nos haud dubie adiuuaret, ex omnibus hiſce anguſtiis magno noſtro cum prouentu eriperet, beneficiiſque cumularet.

Matth. 24. 31.

S. Petrus Deo fidens aquas calcauit, diffidens mergi cæpit.

Rex Ioſaphat cum Moabitas & Ammonitas, aduerſus Iſraelem numeroſo cum exercitu venientes formidaret, miſit ad eum Dominus Prophetam, qui modicam eius de Deo fiduciam cerperet, ac diceret; *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate; & videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Quod etiam ſtatim reipſa experti ſunt: nam Deus Sabaoth, ipſis ne telum quidem vnum iacientibus, vniuerſas hoſtium copias mirabili quodam modo profligauit, dum illius impulſu & permiſſu, ipſimet inter ſe conflixerunt, & alteri alterum inuicem confecerunt.

2 par. 20.

Rex Ioſaphat Deo fidens hoſtilem vidit exercitum fuſum ſine vllo ſuorũ ſudore & ſanguine.

Conſiderandum itaque hoc loco, quam parum à nobis Deus exigat, ad nos adiuuandos, deque inimicis noſtris victoriam conferendam. Hinc in Pſalmo *Qui habitat*, non aliam alicuius in tempore tribulationis protegendi ac liberandi DEVS cauſam aſſignat, quam quod in ipſo ſperauit, ac fiduciam collocauit: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Super quę verba mirum in modum exclamat. S. Bernardus, *O dulciſſima*, dicens, *liberalitas in ſe ſperantibus non deeſſe!* Et alio loco Pſaltes: *In te*, Domine, *ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos: ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Quis vnquam Deum inuocauit, fiduciamq; ſuam in eo collocauit, quem diuina eius benignitas non exaudiuerit, & adiuuerit? *Reſpicite*, inquit Sapiens, *filij, nationes hominum*, & omnia mundi huius ſæcula percurrite, *& ſcitote, quia nullus ſperauit in Do-*

Fiducia in Deum protectionis diuinæ conciliatrix & lena.

Pſal. 90. 14.

Serm. 15. in Pſal. Qui habitat.

Pſal. 21. 5.

Eccleſ. 2. 11.

in Domino, & confusus est. quis inuocauit eum, & despexit illum?

Est præterea alia rei huius ratio, de qua quia pluribus in parte secunda egimus, ideo nonnisi quam paucissimis eam hic tangemus: nempe, nos, quando nobis ipsi diffidimus, Deo vero plane confidimus, omnia in eum quodammodo transferre, totam negotij molem in eum traiicere, itaque eum velut arcte obstringere, vt negotium ipse suum peragat, & suum honorem tueatur, dicentes: Hoc conuersionis animarum negotium, Domine, tuum est, non nostrum: nisi enim hominum corda moueas, ipsi quid sumus, quam ad hoc aptitudinem habemus? Tuum ergo, Domine, honorem defende ac propugna, rem propriam cura & cordi habe. Mirabilia sane & energetica, ad hoc propositum, sunt verba illa Iosue, quibus Deum importunius pressit, ac violenter quodammodo compulit, vt populum suum oppressum in libertatem assereret, dum ait, *Et quid facies magno nomini tuo?* Id est, Nos quidem, Domine, expedit & par est humiliari, & ab inimicis exagitari, eo quod delicta id nostra promeruere: at nomini tuo quid fiet? quid dicent gentes, quæ in circuitu nostro sunt, viso populum tuum deletum, & in captiuitatem abductum? Improperabunt tibi, illum in terram patribus promissam inducere non potuisse. Pro tuo ipsius itaque honore decerta. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* non nobis honorem & gloriam exambimus, sed tibi soli eam deposcimus. Et, *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ.* Omnimodis ergo, & sine controuersia efficax medium, vt Deus nobis beneficia conferat, est, magnam de eo fiduciam concipere, eo quod hoc illi sit quam gratissimum. Bene Psalmista, *Beneplacitum est Domino super timentes eum,* & in eis qui *sperant super misericordia eius.*

2.p. tract. 3. cap. 38. & tract. 4 cap. 15.

Fidens Deo molem negocij in Deũ ...ijcit.

Iosue. 79.

Fidentes Deo Deus adiuuat ad magnum Numinis sui nomen tuendum.

Psal. 113. 9.

Baruch. 1. 15.

Psal. 146. 11.

Nos vero, qui ex obedientia & ad præscriptum alienum viuimus, aliam singularem rationem habemus firmiter sperandi ac fidendi, Deum nobis in ministerijs nostris auxilio futurum, quod nimirum nouerimus, quod ipse sit, qui illa præcipiat, nosq; iis applicet; hinc ipse vires dabit ad id quod iubet opere exequendum, felicemq; pariter in iis successũ. Mandarat Deus Mosi, vt tabernaculum, arcam testamenti, & propitiatoriũ, quod eam desuper tegeret, altare, mensam panũ propositionis, aliaque multa vasa, quę ad tabernaculi vsum & ministeria necessaria erant, construeret. quorum omnium ei formam & proportionem in imagine & idea delineat. Et addit: Vt autem omnia hæc bene fiant, & secundum exemplar quod tibi monstratum est, ecce selegi & vocaui ex nomine Beseleel & Ooliab, & impleui eos spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum, quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis, & diuersitate lignorum, hi duo apte & affabre quidquid tibi designaui, opere ipso facient. Si ergo ad tabernaculum materiale construendum, adeo curæ fuit Deo infusam illius fabris & artificibus scientiam dare; quid non dabit operariis & ministris Euangelicis, quibus spirituale animarum, quæ viua sunt Dei templa, & Spiritus Sancti habitacula, tabernaculum construere & ædificare, ac domum & regnum Dei propagare & distendere incumbit? Quanto dignius atque apud Deum potius & pretiosius est spirituale quid quam materiale, tanto maior nobis est occasio sperandi, daturum nobis eum quidquid necessarium est ad bene riteque obeundum id, ad quod nos ipse delegit. Ita idipsum promittit Redemptor in Euangelio discipulis, dicens: *Cum steteritis ante Præsides & Reges propter me*, & honorem meum tuendum, *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et mox addit, *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Quod de facto videre fuit

Tract. 5. cap. 12.

Spem & fiduciam in Deum auget obediẽtia opus imperans.

Exod. 30. & 31.

Gratia & auxiliũ Dei in promptu est ijs, quibus Deus aliquid mandat.

Luc. 21. 12. Matth. 10. 17. Marc. 13. 11.

Luc. 21. 15.

fuit in glorioso protomartyre S. Stephano, cum quo disputantes qui de Synagoga erant, non poterant resistere sapientiæ &

Act. 6. 10. spiritui, quem ille in loquendo præferebat.

Caput XVII.

Quantopere Deo displiceat diffidentia.

Sicut per firmam in Deum confidentiam diuinam eius maiestatem maxime honoramus, eique magnopere placemus, & sicut ipsa medium est cum ad magna multaque nobis bona præstanda prouocans: ita è diuerso vnum ex iis quæ Deum magis offendunt, & ad iram prouocant, & ob quæ grauius hominem castigat, est diffidentia: quod per eam honor eius non parum læditur. Vnde etiam propter hanc eum videmus filiis Israel esse maxime indignatum, & grauiter in eos animaduertisse. Cum enim exploratores à Mose ad terrã promissionis explorandam missi, magno pauore concepto rediss[e]nt, dicerentq; vidisse se ibi homines de stirpe gigantea, & ita robustos, vt iis ipsi comparati quasi locustæ viderentur: vrbes item quasdam ita turritas & muratas, vt eas expugnare & subigere se posse desperarent; ita mox vniuerso populo animi ceciderunt, & talis totis castris est orta desperatio ac diffidentia de terra illa obtinenda, vt dixerint alter ad alterum, *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Quæ ignaua diffidentia Deum sic ad iracundiam prouocauit, vt diceret Mosi, *Vsquequo detrahet mihi populus iste? Vsquequo non credent*, aut fident, *mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque vniuersos simul consumam.* Moses vero se intermedium ponens ac sequestrum, Deo supplicat, præuaricationem hanc

Diffidentia Deo displicet eiusque honorem minuit.

Exploratores terræ promissionis, Deo diffidentes, grauiter eum offenderunt.

Num. 14. 4.

Num. 14. 11. *Deo diffidens populus Israeliticus grauiter Deum offendit.*

ipsis vt dimittat. Cuius votis annuens Deus, ait: *Dimisi iis iuxta verbum tuum, attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex eis qui detraxit mihi, intuebitur illam.* Atque vti iurauit, ita & reipsa compleuit. Nam de sexcentis armatorum millibus Ægypto eductis (præter mulieres & proles) nemo terram promissionis est ingressus, imo ne quidem oculis suis eam conspexit: omnes quippe in deserto, eo quod Deo diffiderent, mortui sunt. Solus Iosue & Caleb, qui firmam eiusdem ingrediendæ, aduersariosque expugnandi fiduciam habuere, & ad hanc expeditionem suscipiendam vniuersum populum inuitarunt, ad eandem admissi sunt: necnon reliquorum paruuli, quos meticulosi illi lepores ab hoste in captiuitatem & seruitutem abducendos præ diffidentia & metu iactarant. Vt sole meridiano clarius patescat, quam Deus diffidentiam omnem auersetur. Quin imo in ipsum Moisen & Aaron, propterea quod virga sua petram cum aliqua de aquis inde eliciendis diffidentia ac dubio percusserunt, cum tamen certo eam se daturum spopondisset, ob hanc ipsam diffidentiam, eadem prorsus castigatione animaduertit: *Quia non credidistis*, inquit, *mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Vidit quidem eam eminus de monte vicino Moyses, at in eam non est ingressus. Vnde dicit ei Deus: *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam*, nec ea donaberis. Diffidentia enim hæc Dei honori nimium quantum aduersatur: hac de causa tam in illam grauiter animaduertit.

Num. 14. 20. *Diffidens Deo idem populus terra promissionis excluditur.* *Num. 1. 45.*

Fidentes Deo Iosue, & Caleb Terrã promissionis ingrediuntur.

Diffidentes Deo Moyses & Aaron terra promissionis excluduntur. *Num. 20. 10. & 12.*

Deut. 34. 4.

Diffidentia diuini honoris intertrimentũ.

Inde colligere est primo, quantopere illæ noceant Deoque displiceant diffidentiæ ac pusillanimitates, quas nonnulli modo in tentationibus, modo in iis quæ ad proprium ipsorum profectum spectant,

modo

Diffidentiæ radix non est humilitas sed superbia.

modo in ministeriis ac functionibus, quas ipsis Superiores imperant, habere ac præferre solent; quæ esto è quadam humilitate nasci videntur, tamen è sola ortum habent superbia. Ad seipsos namque oculos tantum reflectunt, creduntq; propriis se viribus, industriis & diligentiis illa omnia facere posse: quod ingentis superbiæ est argumentum. Alterum quod hinc nobis colligendum venit, est, in omnibus negotiis, necessitatibus, & ærumnis primo & ante omnia esse ad Deum cœli confugiendum, omnemque fiduciam nostram in eo collocandam. Neque enim primo ad media humana, ac diligentias & industrias nostras respicere, ac nonnisi postea ad Deum confugere oportet: quia id intolerabilis est mundanorum error & abusus, qui primo humana adhibent media, eaq; omnia & singula, Deo omisso, laboriose experiuntur; postea vero, quando nullam in his opem aut præsidium inveniunt, & iam res propemodum tota desperata est, tum demum ad Deum recurrunt. Atque hanc ob causam permittente Deo fit, vt hæc ipsa media humana, quæ ita studiose adhibemus, & in quibus confidebamus parum aut nihil nos iuvent. Sicut id Asæ Regi Iuda per Prophetam denuntiauit, dicens: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, inque eius suppetijs, & non in Domino Deo tuo*, cuius oblitus es, *idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* Grauiter Deus Opt. Max. irascitur, & velut contumeliosum & iniurium reputat, quod rei cuipiam, præterquam sibi vni innitamur: quia statim ad eum nos respicere, & in rebus nostris recurrere oportet. Atque hinc inter alia quæ nobis in oratione potissime curanda sunt, non postremum debet esse hoc, nimirum in solida hac in Deum fiducia animum stabilire ac confirmare. Orationi namque ideo nos applicamus, vt virtutum ornamenta animæ nostræ comparemus: inter quas fiducia hæc vna de præcipuis est, & apprime nobis necessaria. Nec ante nobis quiescendum, quam animus quendam velut habitum contraxerit omnibus in rebus ad Deum quam primum confugiendi, eique fiducialiter confidendi; & in solo Deo, non vero vlla alia in re remedium quærat; ipse quoque totum & vnicum nostrum refugium, & asylum, tota denique spes nostra sit & fiducia: secundum illa Iosaphati Regis Iuda verba, quæ etiam semper in ore & corde nos habere oportet: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, qui nostrum refugium & asylum es. *Beatus vir*, inquit Psaltes, *cuius est nomen Domini spes eius.*

Dei auxilium inprimis flagitandum in rerum omnium exordiis & difficultatibus.

Præpostere mundani homines primo quidem suæ fidunt industriæ, quâ si nihil proficiát, deinde ad Deum confugiunt. Media humana sine Dei ope parũ aut nihil nobis cõmodant. 2 Par 16.7.

Diffidentia magnã Deo iniuriam irrogat. Fiducia in Deum orationis prodroma.

Deus vnicum asylũ nostrum & spei nostræ anchora. 2.Par.20.12.

Psal.39.5.

CAPVT XVIII.

Non est nobis aut animo deficiendum, aut spes omnis abiicienda, si perexiguum in proximo à nobis fructum fieri videamus.

Mich.7.1.

VAE mihi, *quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*, & racemationem collectis iam vuis instituit: sed irrito euentu, quia *non est botrus ad comedendum*, ne acinus quidem. Hisce verbis metaphorice conqueritur Micheas de exiguo, quem suis interminationibus ac monitis in populo Israel faciebat, fructu. Idem quoque queritur ac deplorat Isaias. *Relicta est*, inquit, *in vrbe solitudo, & calamitas opprimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo si pauca oliuæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi cum fuerit finita vindemia.* Siquidem nihil magis eos, qui proximo operam dare & se impendere student, contristari, deiicere, atque examinare solet, quam quod omnibus concionibus suis, & reliquis quæ ad hunc finem vsurpant mediis, parum se fructificare, & nihil dum proficere comperiunt; item quam pauci conuertantur, quam pauci proficiant, vitamque priorem corri-

Isaia 24.12.

Solent non raro serui Dei animis deijci, si parum operæ pretium ferãt, & fructum spiritalem.

corrigant, quam denique pauci & rari sint qui perseuerent. Quæ quia communis, & prope quotidiana est querela & tentatio, hinc ei in præsens respondebimus; ipsaque nobis efficax quoddam medium erit, ad virilem in ministerijs nostris vigorem & constantiam induendam.

Lib 1 contra Cresconium Grãmat. c. 8.

Egregie punctum hoc pertractat S. Augustinus, ac querelæ huic per Iesu Christi, Redemptoris & Magistri nostri, exemplum respondet ac satisfacit. An putas, inquit, Dei filium solis discipulis, aut ijs qui in ipsum credituri erant, prædicasse? Etenim videmus eum etiam suis prædicasse inimicis, qui tamen ad ipsum tentandum, quærendumque num quo in verbo calumniam illi struere possent, ad eum veniebant. An eum solum existimas prædicasse tum, cum frequens esset auditoriũ, & turba hominum magna ad audiendum confluxerat? Constat namq; eum vni soli vili mulierculæ, & quidem Samaritanæ, & aquarum baiulæ prædicasse, & cum illa difficilem ac grauem illam quæstionem de oratione, num videlicet in solo templo ea fieri deberet, an vero etiam extra illud orare fas esset, pertractasse. At dices, sciebat Saluator mulierem hanc credituram, & aliquem è colloquio & concione sua fructum elicituram. Concedo quidem id, inquit Augustinus: at quid dices de concionibus & congressibus illis, quos toties cum Iudæis, Pharisæis, & Sadduceis habuit; qui adeo ei credituri non erant, vt etiam calumniaturi & persecuturi viderentur? Interdum eos ipsemet interrogabat, vt suis ipsorum responsionibus eos conuinceret; aliàs ipse ad eorum postulata respondebat, esto sui tentandi causa ea ab ipsis proponi sciret. *Quod cum faceret, nullum ex his legitur ad eum sequendum fuisse conuersum.* Probe quidem sciebat ipse, quam parum hinc fructus esset secuturum: attamen, vt suo nobis exemplo præiret, etiam concionari voluit ijs, quos nouerat doctrina sua nec conuersum iri, nec vtilitatem ex illa aliquam capturos, & fortasse etiam deteriores fore; vt hinc videlicet discamus nos

Christus multis sine vlla ipsorũ conuersione & bona fruge Euangeliũ prædicauit.

Christus vni mulierculæ aquæ baiulæ Euangelium prædicauit, & difficillimã de orationis loco quæstionem explicauit.

Ioan 4. 20.

Christus etiam in malitia atque errore obstinatis doctrinam suam tradidit.

qui prorsus ignoramus vtrũm illi quibuscum agimus, cõuertendi sint necne, à prædicando, confessionibus audiendis, & ab ijs, quæ officij nostri sunt, exequendis, nequaquam desistere, nec animum propterea despondere, quod non statim aliquis ad oculum fructus appareat. Adest ibi forte hincinde quædam anima, quæ per viam concionum prædestinata sit, cuius proinde cor Dominus per congressum, aut sermonem hunc tuum tanget. Et esto modo illæ tibi non videantur conuerti, nec fructum inde capere, forsitan postmodum conuertentur; & hoc verbi diuini semen, quod in cor eorum cecidit, postea, vti fieri amat, suum fructum dabit. Nunquam proinde, quidquid à parte nostra ad proximo subueniendum adferre ipsi possumus, omittamus.

Ioannes Gerson, in tractatu, quem de paruulis trahendis ad Christum composuit, egregie rem hãc tractat, necnon acriter carpit eos, quos piget certum quoddam hominum genus curare, quique studio ab eorum confessionibus audiendis abstinẽt, propterea quod eos non perseuerare, & statim repetitis peccatis ad vomitũ redire putent, ac proinde frustraneè, & nõ nisi magno cum tẽporis dispẽdio laborem ijs impendi, ac velut in saccum pertusum omnia congeri. Vnde eo Gerson loco Confessarios animat, & cohortatur, vt puerorũ confessionibus audiendis sese impendãt & applicent; & non contemnendũ in hoc consistere fructum ait, propterea quod hi sunt velut in biuio, & illam inibunt viam, in quam à ductore ducẽtur, atq; flexibiles eius partibus accedent, qui primo eos occuparit: si quidem dæmonis & mundi illicia eos præuenient, illos sequentur; sin verò Deus, Deum. Quare permagni interest, virtutis ijs iter ostendere, & per ipsum eos initio conducere, quia postmodum in illo permanebunt. Respõdet hic eadem opera obiectioni, & excusationi nonnullorũ, qui his confitentibus ideo operam dare nolũt, quod tempus, quod ijs instituendis impenditur, inaniter perdi asserant; cũ, quod eorum quæ ipsis proponuntur, ac traduntur, prorsus

Non deserenda curatio peccantium, etsi relabantur.

Lib 3 c. 9. Vita.

prorsus incapaces sint, tum vero, quod mox vt à confessione veniunt, ad pristinos mores redeant, lusum suũ repetant, & cum æqualibus perinde litigent, tanquã si nullum ijs verbum à confessario dictum esset. Ait ergo Gerson, Si, propterea quod statim ad pristinas suas petulantias, & procaciam redeunt, ideo eorũ confessiones excipere detrectes; sane eandẽ ob causã multo minus magnorũ prouectorumq; confessiones excipiẽdæ videntur: quia & hi mox vt à confessione veniũt, fœda recidiua ad vomitum, & ad enormiora, quã pueri solent cõmittere, peccata redeunt: quia puerorũ peccata raro mortalia sunt, illorum vero quã frequentissimè. Peroptandum, & bonum profecto foret, vt pœnitentibus, quia statim in eadẽ peccata turpiter, & ignaue prolabuntur, subinde aures denegaremus, & eos inauditos à nobis dimitteremus. Nõ idcirco eos, inquit Gerson, à cõfessione reijcere debemus, siue magnos, siue paruos: modo verum ad illa priora amplius nõ redeundi propositum habeãt. Quod ẽt duabus egregijs cõparationib. declarat. *Nunquid, inquit, sentinã nauis exhauriẽs idcirco deserit opus, quia redit tantundẽ aquæ, quantũ expulerit?* Et, *Si quotidie manus sordidãtur, non minus abluimus illas, quia etsi redeãt sordes, nõ ex tenacitate cohæresciit.* Necesse quippe est sentinã semper educere, etsi tantundẽ nouæ aquæ alia ex parte statim subingredi videamus: manus quoq; sæpius lauãdæ, esto mox reinquinandæ ac deturpandæ sint: ne sordes tandẽ velut radices in ijs agant, itaque perdifficile eas sit auferre. Pari modo, non idcirco sunt pænitentes à cõfessione repellẽdi, aut negligẽdi, quod constet eos quamprimum in eadẽ peccata turpiter relabi: si n. eos sibi sineremus, & negligeremus, funditus perirent, & præcipites in damnationem ruerent: per confessionẽ vero paululũ retinentur, nec tam effusis habenis in peccata feruntur, & demum aliqua eorũ saluandorum spes est.

Non deserenda curatio peccantium, etsi relabantur.

Inter cætera sancta opera, quibus B P. N. se maxime impẽdebat, vt in eius vita legitur, non minimum id erat, ꝙ mulierculas nefarium corpore suo quæstum facientes ad bonã frugem reducere omnimodis allaboraret. vnde tandem assiduo suo studio effecit, vt quoddam ijs, quæ à turpi, & miserabili illo vitæ genere resipiscere volebant, domiciliũ Romæ exstrueretur. Etsi enim Pænitentium Monasterium in eum vsum ex parte seruiret, in id tamẽ aliæ nõ admittebantur, quam quæ monasticam vitam vellent profiteri. Iam harum mulierũ multæ esto è turpi, ac malo illo statu emergere serio vellent, sufficientes tamen in se, ad tantam perfectionem aspirandi, vires non sentiebant: aliæ vero quia nuptæ sunt, etsi velint, minime possũt. Quare tam ad harum, quam illarũ subsidium, Monasterium à S. Martha denominatum, iussit excitari. Quoniam vero nemo sanctum hoc opus auspicari volebat (esto multi ad hoc opem, & subsidium aliquod verbis amplissimis sponderent) ipsemet è sua temeritate, atque in summa rei domesticæ penuria ponere incepit centũ aureis, quos è lapidibus quibusdam per procuratorem ad hunc finem diuidendi iussis, collegit, in id insumptis. Tanta porro contentione in pium hoc opus incubuit, vt, quo fungebatur, Generalatus onus haudquaquã ipsum ab eo auocaret: adeo vt ipsemet mulieres, cum à vita sua impura desciscerent, inspectante Roma, & publicè comitaretur, vel ad sanctæ Marthæ, vel ad honestæ alicuius matronæ, apud quam tantisper morarentur, domum conduceret. Dicentibus vero nonnullis, omnem quæ hisce mulieribus impendebatur, operã frustra insumi, propterea quod, quoniam in sua turpitudine vsu longo iam occalluerãt, haud difficulter, minima oblata occasione, ad eandã reuerterentur; respõdebat; Equidem oleum & operã adeo me hic perdere nõ autumo, vt ẽt asseram, me, si omnibus vitæ meæ laboribus atq; ærumnis vel tantum efficere valerem, vt harum aliqua vel vnam tantũ sine peccato noctem transigere, pponeret, eos oẽs vt optime insumptos existimaturum, modo vel exiguo illo tempore nulla maiestati Creatoris ac Domini mei peccando iniuria irrogaretur: Esto alioquin certo scirem, eam deinde quãprimum ad

Lib. 3. c. 9. Vitæ.

B Ignatij cura erga conuertendas.

obscænam libidinis suæ consuetudinem reuersuram. Adeo vt, quamuis certi essemus, pœnitentes & eos, quos iuuare & curare proponimus, turpi recidiua mox ad peccata pristina redituros; omnis tamen, quem toto vitæ tempore suscipere possemus, labor vt bene impensus duci deberet, si eo efficere possemus, vt vel ad horam saltem à peccando abstinerent: imo vel vnum lethale scelus, ac Dei iniuriam euitarent. Atque hic est verus honoris, & gloriæ diuinæ zelus. Qui intra terræ viscera thesaurum aliquem quærit, primo ingenti sudore multum terræ effodit, & bene se operam omnem credit impendisse, vt vel pauxillum auri inueniat.

Verum vt pergamus vlterius, demus nullum penitus conuerti, neminem peccata sua deserere, ne ad horam quidem, non propterea à prædicando, aut iis quæ à parte nostra ad proximum iuuandum facere possumus, exequendis cessare nos oportet. Egregie id ostendit S. Bernardus, scribens ad Eugenium Pontificem, suum olim discipulum, & in vita monastica sectatorem. Hunc ergo cum esset ad populi & curiæ Romanæ reformationem cohortatur, hanc tandem sibi obiectionem ab illo oggeri fingit: Ridebis fortasse me, inquit, dicens, frustra in populo Romano ordinando, & ad meliora prouocando laborari, vtpote gente proterua, superba, tumultibus, bello, dissidiis assueta, immiti, intractabili, indomita, in pace viuere, aut adhuc vlli subiici nescia, nisi dum nescit resistere: ac proinde nullam emendationis eius spem affulgere, & operam, quæ ei curandæ impenditur, omnem ludi. Eleganter porro ad hanc respondens Bernardus: *Noli*, inquit, *diffidere, curam exigeris, non curationem*, prouidendumque tibi, vt quæ in malo curando media, & medicamenta necessaria, & congruentia sunt, ea applices Hoc quippe à nobis per os Ecclesiastici Spiritus sanctus exigit, dicens, *Rectorem te posuerunt, curam illorum habe:* non ait, *cura vel sana illos*. Neque enim Superior ad subditorum suorum vitia curanda vel emendanda tenetur; hoc quippe in eius manu non est. Vnde vere Poeta quidam,

Lib. 4 de consid.

Curatio peccātibus impendenda, etsi non semper sanentur.

Eccles. 32. 1.

Non est in medico, semper releuetur vt æger.

Ouid. lib. 1. de ponto ad Rufin.

Vti nec, vt quis bonus sit medicus, aut bene suo officio fungi dicatur, necesse est, vt ægros omnes persanet. Sed alienorum in hac re testimonia relinquamus, quia meliora illa à nostratibus desumere possumus. *At melius*, inquit, *propono de tuis tibi. Paulus loquitur*, Abundantius illis omnibus *laboraui. Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui.* Sciebat enim, vtpote à Deo specialiter edoctus, quia vnusquisque secundum suum laborem, præmium ac mercedem recipere t. *Vnusquisque*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* non secundum prouentum vel fructum quem faciet, & ob hoc in laboribus potius, quam in profectibus Apostolus gloriandum putauit. Sicuti alibi quoque habes ipsum dicentem, *In laboribus plurimis.* Ergo & fac tu quod tuum est. Planta, riga, fer curam, cole vineam Domini, & tuas explicuisti partes. Sane incrementum & fructus non est tuus: cum dabit Deus vbi voluerit: vbi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura, *Reddet iustis mercedem laborum suorum.* Quia præmium, & mercedem vnicuique persoluit, & dat, secundum opera eius, & labores, non iuxta successum, & fructum, qui inde sequitur. *Securus labor, quem nullus valet euacuare defectus*, aut successus cōtingens deteriorē reddere! Esto nullus fructus colligatur, nullus conuertatur, nullus ad meliorem frugem redeat, tam plena tamen & completa tua erit merces, & corona, quam si permulti conuerterentur, magnumque fructum faceres. Et hæc, inquit Bernardus, absque præiudicio diuinæ bonitatis & potentiæ dicta sunt: Scio induratum cor populi huius, sed *potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Verum non est propositi mei, dictare Deo, quid facere debeat: quia non est nostrum profunda eius iudicia scrutari,

1. Cor. 15. 10.

1. Cor. 3. 8.

Duratio- nes ob quas etiam sine spe fructus, laborandū in proximis

2. Cor. 11. 23.

Sap. 10. 17.

Labori respondet merces, non fructui.

Matth. 3. 9.

Ioel. 2. 24.

scrutari, sed propositum mihi est, iis qui proximum curandi officium habent, persuadere, vt, etsi forte nullum sibi fructum facere videantur (neque enim hinc nostrum meritum aut meritum dependet) propterea facere non omittant, quidquid, quoad hoc, facere valebunt; sed ea ad quæ ratione officii obligantur, exequantur, & quidem ea, qua par est, diligentia & cura. Præterea, ob duas alias rationes nos oportet, licet nullus omnino conuertendus, & nullus prorsus colligendus esset fructus, nihilominus perseuerare, & à prædicando, laborando, & omni eo quod ad proximi curationem ipsi à parte nostra quoquo modo afferre possumus, faciẽdo neutiquã desistere; sed tam prompta ipsam sedulitate obire, quam si multi conuerterentur, & fructum inde caperent amplissimum. Primo quidem, quia hoc Dei decet misericordiam & magnitudinem. Nam quemadmodum, vti ait S. Chrysostomus, non ideo minus fluunt fontes, esto nullus ex iis haustum veniat: quin & ad ciuitatis cuiusdam splendorem & magnitudinem spectat, vt magna aquæ sit copia, ipsa effundatur, & præ nimia sui abundantia depereat. Sic prædicatores, qui sunt velut fontes, è quibus doctrinæ Euangelicæ aqua fluere debet, à prædicando, verboque Dei effundendo cessare nefas est, siue multi, siue pauci aquam hanc haustum veniant. Imo vero ad Dei omnipotentis magnificentiam, bonitatisque eius & misericordiæ immensitatem spectat, tanta vt eius in Ecclesia sit doctrinæ abundantia, vt eius fontes omnibus sitientibus, & bibere volentibus assidue promanent, nec vnquam exarescant. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.*

Duæ rationes ob quas etiam sine spe fructus, laborandũ in proximis

Isaia 55. 1

Secundo, ita quoque ad Deum iustificandum, fieri par est: etsi enim per tot monita, congressus, colloquia & conciones obdurati nolint conuerti, nec fructum vllum facere; hæc nihilominus ad Dei causam magis iustificandam subseruient. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Causam suam apud peccatores plane iustificare vult Deus, vtque ad oculum videant non tam à Deo, quam de seipsis, quo minus conuersi sint, dependisse; ne qua postea ipsis excusationis, aut de quopiam, præterquam de seipsis, expostulandi sit occasio, vbi copiosa illa conuersionis subsidia, quæ habebat, considerabũt, & quod, cum templum concionis audiendæ causa adire nollent, in vicis & plateis eos ipsimet concionatores vltro quæsitum abierint. Sic olim Deus cum populo suo Israel in iudicium descendere, & eorum omnium quæ alias ei præstitit, rationem reddere non veretur, per Isaiam sic loquens. *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ & nõ feci?* Plantaui, sepiui eam, ædificaui turrim in medio eius, *& expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas: nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam,* & videte, vter in causa fuerit, quod fructum ea non ferat. Non est profecto parum, imo vero permagnum, quod tute in die iudicii, Dei Opt. Max. partes, contra peccatores obstinatos, agere, causamque eius iustificare possis: tunc quippe conciones & monita tua iniquos & sceleratos accusabunt, confutabunt, & condemnabunt, vt, quod ad obiecta respondeant, nihil sint habituri.

Psal 50. 6.

Isaa 45.

Quacumque ergo ex parte, & quocumque modo rem hanc intueamur, semper hinc efficiemus, nunquam esse nobis intermittendum id, quod à parte nostra ad proximi iuuamen, & conuersionem conferre valemus; Esto se ille conuertat ac proficiat, vel non. Vnde S. Augustinus, parabolam illam de inuitatis explicans, & de seruo, heri sui iussu ad inuitandũ ad cœnã conuiuas, quorum permulti venire detrectarunt, exeunte loquens; An, inquit, seruum hunc inter pigros & inertes computabimus, quod inuitati ad cœnam venire noluerunt? Minime sane: sed inter diligentes & sedulos. ipse enim prompte est, quod sibi fuerat imperatum, executus, illos inuitauit, rogauit, quod suum fuit ab-

Lib. de fide & operib. c. 17.

Matth. 22. 3

unde fecit, ac nihil à parte sua omisit, vt ad cœnam venirent: Sed illi, quia adesse noluere, castigabuntur: seruus vero ob suam diligentiam, non minus quam si omnes cœnæ interfuissent, præmium & mercedem accipiet. Ita quoque aliud à nobis Deus non quæret, nec aliam rationem exiget, quam, num, quidquid ad proximi conuersionem potuimus & debuimus facere, studiose fecerimus. Quod autem hic, vel ille conuertatur, & inde proficiat, imprimis bonum, id est, & ab omnibus peroptandum, eoque lætari summopere par est; vti in Euangelio Christum legimus in spiritu exultasse, cum discipuli à prædicatione redeuntes, quem fecissent fructum, referrent. *Luc. 10. 22.* Quamobrem rei huius ratio non à nobis deposcetur, sed ab aliis. Vnusquisque de eis Deo rationem dare debet, quæ ad se spectant. Sic nos rogabimur, ritene nostro functi simus officio; & num omne, quod à parte nostra ad proximis opitulandum afferre debuimus, prout oportet obierimus: illi vero, & quidem stricte satis & rigide, quomodo eo in suam vtilitatem vsi sint.

Non ergo meritum, & operis nostri perfectio inde pendet, quod alius ex eo proficiat, nec ne. Imo vero his aliud ad nostram consolationem, aut potius desolationis nostræ consolationem addam: nimirum, non modo meritum, præmium, & lauream nostram ab eo, quod alij conuertantur, aut multum in proximo fructificemus, non dependere: verum etiam quodammodo fas esse dicere, plura nos facere & promereri, vbi nihil horum subest, quam dum ad oculum euidentius aliquis colligi fructus videtur. Deinde ac, dum de oratione loquimur, dicere solemus plus cum præstare, qui in ea, non habita deuotione, perseuerat, quam qui mira consolatione & deuotionis sensu delibutus, in ea perseueranter perstat. *Quaratione plus meretur, qui instituendo alios parũ proficit.* Concionatori quippe cum videt gratis se passim auribus audiri, copiosum habere auditorium & multos concionum suarum opera ad meliorem frugem redire, atque inde proficere, volupe id est & gaudio, hocque illi animos, robur & rigorem addit, efficitque, nullam vt molestiam & laborem sentiat, vti egregie id notat S. Gregorius. *Lib. 35. Moral. c. 11.* E contrario maximopere contristatur, languet, animoque concidit, cum auditores suos nihilum proficere, nullumque è concionibus suis fructum sequi videt. Proinde magnæ perfectionis in concionatore & operatore Euangelico, indicium est, eumque sua pure propter Deum facere, quando adeo alas propterea non dimittit, vt etiam perseueret, & in labore suo non minus nauiter pergit, quam si à toto mundo audiretur, magnamque nemo non è laboribus suis vtilitatem caperet.

Cum hac ergo intentionis puritate & perfectione, nostra nos ministeria obire par est; non tam in fructum, & bonum operum successum oculos conijciendo, quam vt in ipsis Dei volũtatem faciamus, & ea, quam possumus optime, obeamus, vt sic Deo placeamus. *1. p tract. 2. c. 11.* Hoc quippe diuina eius maiestas à nobis exigit & requirit. Itaque nec exiguus fructus, nec sinister successus nos ab operando laborandoque impediet, neve animum despondere faciet, neve etiam turbabit, non denique pacem aut gaudium nostrum imminuet; quemadmodum fieri solet ijs, qui suos in solum fructum, & felicem operis successum oculos potissimum conijciunt.

)?(

TRACTATVS SECVNDVS

DE ESSENTIALIBVS RELIGIONIS VOTIS, AC DE INGENTIBVS, QVÆ ILLA CONTINENTVR, BONIS.

CAPVT I.

Tota Religiosi perfectio in perfecta integraque votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ concipit, obseruantia consistit.

PRIVSQVAM de horum votorum singulis particulatim loquamur, quædam in genere de illis, quæ ad omnia simul spectent, afferemus. Primum ergo sit, tria hæc vota, primaria & præcipua esse media, quæ Religio habeat ad perfectionem assequendam. Docet quippe D. Thomas, Reliogiosum in statu perfectionis agere: quæ item est communis & vulgata sanctorum Patrum & Doctorum doctrina, è sancto Dionysio Areopagita deprompta. Non quod dicere velint, hominem, simulac Religionem profitetur, perfectum esse, sed velut profiteri, se ad perfectionem tendere. Neque enim profitetur Religiosus se iam plane perfectum esse, sicut id profitetur Episcopus (quia ad statum Episcopalem requiritur, vt ipsa perfectio præcedat) sed in statu Religioso ea necesse neutiquam est vt antecedat, satis est quod postea sequatur. Hoc porro inter statū Religiosum & Episcopalem discrimen, egregie D. Thomas ex ipsis Redemptoris Iesu in Euangelio verbis eruit: ipse namq; voluntariæ paupertatis, quam Religiosus profitetur, consilium proponens, non præsupponit eum, cui illud dat, iam perfectum esse, sed fore, si hæc consilia obseruet. Neque enim dixit, *Si es perfectus, vade & vende omnia quæ habes*: sed, *Si vis perfectus esse*. At, vt sanctum Petrum Prælatum faciat, non modo ex eo sciscitatur, num se diligat; verum etiam num diligat plus aliis, idque non semel, sed bis ac tertio, vt magnam illam caritatem & perfectionem declararet, quæ ad istud officium requiritur. Adeo vt status Episcopalis æque ac Religiosus, status sint perfectionis, at cum aliqua differentia; quia ille perfectionem præsupponit, non dat; at Religiosus status eam non supponit, sed dat: Mox enim vt Religionem ingrederis, non obligaris vt sis perfectus, sed vt ad perfectionem serio aspires, de illa sollicitus sis, eamq; procures. Atque ad hoc citatur illud S. Hieronymi: *Perfectus monachus in patria sua esse non potest*: id est, Religiosus patriæ amātior, parentibusque carnali affectu adhæreſcens, bonam perfectionis assequendæ viam non insistit. *Perfectum aūt esse nolle*, & de perfectione cōsequenda nō laborare, *delinquere est*. Et Eusebius Emissenus ait: *Venire*

Vota religiosa potissima sunt perfectionis media.

2.2.q.184. a.5.

Cap.5. cœlest. hierar.

Perfectio religiosa est studere perfectioni.

Matt.19.21.

Ioan.21.15.

Epist.1. ad Heliod.

Homil.9. ad monach.

Venire ad eremum (Religionem) *summa perfectio est: non perfecte in eremo* (in Religione post ingressum) *viuere*, neu perfectioni studere. *summa est damnatio*, id est præsentissimum damnationis periculum Vnde docet S. Thomas, Religiosum, qui perfectioni assequendæ non incumbit, neve de ea sollicitus est, non nisi inanem Religiosi laruam, & simulacrũ esse; quod minime incumbat in id, quod profitetur, & ob quod ad Religionem venit. Necesse est *concordet illorum vita cum nomine: professio sentiatur in opere.*

Iam inter præcipua quæ Religio habet, perfectionis obtinendæ media, non postremum locum tenent tria illa vota essentialia, in Religione concipi solita, paupertatis, castitatis, obedientiæ. Egregiè autem id declarat S. Thomas: Triplici ratione, inquit, status Religiosus considerari potest: Primo, in quantum est exercitium, cuius ope ad perfectionem quis tendat, ad hunc effectum illa imprimis ei abdicanda sunt, quæ animum impedire & remorari possent, ne se totum Deo amando (in quo sita perfectio est) consecret. Inter hæc primum est cõcupiscentia bonorum externorum, hoc autem impedimentum tollitur per votum paupertatis. Secundum concupiscentiæ voluptatum sensualium: hoc impedimentum præscinditur per votum castitatis. Tertium, voluntatis nostræ inordinatio, quam præsecat votum obedientiæ. Potest secundo status Religiosus considerari, inquantum est status maxime quietus, & ab omnibus rerum mundanarum curis, & molestiis liber, iuxta illud Apostoli Pauli. *Volo autem vos sine solicitudine esse.* Hanc autem quietem per tria hæc vota optime homo cõsequitur: Nam solicitudo & inquietudo hæc à tribus potissimum capitibus enascitur. Primo à diuitiis: at hæc per votum paupertatis tolluntur. Deinde à filiorum, & familiæ gubernatione: hanc vero aufert votum castitatis. Tertio à suiipsius, & actuum & occupationum propriarum dispositione: quibus videlicet se sit occupaturus: quod munus, quis locus illi optime conueniat. Hæc autem solicitudo aufertur per votũ obedientiæ: per quod se homo in manus Superioris, qui Dei vices gerit, totum resignat, vt de se quodcunque libuerit, statuat. Considerari tertio status Religiosus potest, in quantum holocaustum est, per quod quis tum se, tum omnia sua Deo plane resignat eaque offerat: quod quam perfectissime fit per tria vota. Omnia siquidem quæ hinc habentur bona, ad tria genera reducuntur. Aut enim bona sunt exteriora, possessiones scilicet & diuitiæ; at hæc renuntiamus Deoque offerimus per votum paupertatis: Aut bona & voluptates corporis: hæc abnegamus & offerimus per votum castitatis: Aut demum bona interiora animæ: hæc per votum obedientiæ offerimus, vtpote per quam voluntati & intellectui proprio renuntiamus, Superiori Dei vices supplenti eum tradendo & subiiciendo: Adeo, vt quocumque modo rem inspiciamus, & consideremus comperturi simus, tria hæc, quæ Deo nuncupamus vota primaria esse media, quæ ad perfectionem consequendam Religio habeat.

In Chronicis Minorum legitur redemptor Iesus aliquando S. Francisco apparuisse, atque ei præcepisse, tres vt sibi oblationes faceret: Franciscus vero ei dixisse. Nosti Domine, me tuæ iam dudum totum me, & omnia mea Maiestati obtulisse, ac proinde me totum tuum esse, nihilque aliud à mundo habere, præter hunc habitum & funem, quo cingor: atque hæc etiam tua sunt. Quid autem Maiestati tuæ digne offerre potero? Ah! Vtinam Domine adhuc vnum haberem cor, & animam alteram, & hæc tibi possem offerre! Cum ergo aliquam à me oblationem exigas, tuum est mihi dare quod offeram, vt sic gratificari tibi & obedire queam. Tum Dominus; Ingere manum sinui, & quod ibi inueneris, mihi offerto. Fecit imperata Franciscus, cumque aureum in sinu nummum, tam grandem, tamque scitum, vt parem se vidisse non meminisset, reperisset, statim eum brachio extento Domino obtulit. Quod cum secundo, quin & tertio

Status Religiosus tripliciter cõsiderari potest.

1. Cor 7. 12.

Vota Religiosa quietem animo pariunt.

Per Vota omnia offerũtur Deo.

Arist 1. Ethic.

1. p. l 1. c. 73. Chronic. Minor.

Vota sunt pretiosa.

fieri Dominus mandasset, & ipse similem singulis vicibus è sinu nummum eduxisset, eum itidem quamprimum Domino obtulit: E quo mox audiuit, per triplicem hanc oblationem auream obedientiam, pretiosam paupertatem, & speciosam castitatem repræsentari. Quas, Domino, inquit, ex sua misericordia mihi id concedente, tam perfecte illi obtuli, nihil vt in earum obseruantia committam, ob quod mea me reprehendat conscientia. Ergo & nos tali modo tria hæc Deo vota offeramus, vt in eorum obseruantia nullius culpæ nos coarguat conscientia. Quam vero ille beatus foret, qui non cum S. Francisco solum, verum etiam cum Iob dicere posset: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

Iob. 27. 6.

CAPVT II.

Cur hæc vota fiant & confirmentur.

2. 2. q. 184. art 5 & q. 186 art. 6.

AT dicet aliquis, Cur id per vota fit, vt cum paupertatē, castitatem, & obedientiam etiam sine illis seruare quis possit? Cui S. Thomas, atque adeo Theologi omnes accommodate respondent, docentque idcirco in Religione id per vota fieri debuisse, quia in illis essentialiter Religio consistit; & propterea ipsa status perfectionis est; & dicitur: adeo vt, nisi per vota hoc fieret, ipsa nec Religio foret, nec status perfectionis. Cuius rei hæc datur ratio: vt quis status, sit status perfectionis, constans & perpetua quædam ad ea, quæ perfectionem includunt, requiritur obligatio. status quippe ex vi nominis stabile, firmum & permanens quid denotat, vti dicimus, v.g status matrimonij, ob perpetuum, & indissolubile, quod is secum trahit, vinculum. Ad eundem modum, vt quis in perfectionis esse dicatur statu, perpetua quædam ad perfectionem requiritur obligatio: & hoc faciunt in Religione vota. Atq;

In votis editis essentialiter cōsistit Religio.

hinc est, quod teste D. Thoma Episcopi dici possunt in perfectionis statu esse, non autem Parochi: quod hi ad curam animarum neque voto se, neq; obligatione perpetua obligent, sed hanc abdicare ipsis liceat, quandocumq; libuerit: Episcopi vero perpetua ad officium pastorale obligatione obstricti sint, qua nonnisi cum facultate & auctoritate Pontificis liberari, & solui queunt. Hæc porro & inter sæcularis & Religiosi hominis perfectionem est differentia. Nam etsi fieri possit, vt sæcularis quis homine Religioso sit perfectior: nihilminus ille in statu perfectionis non est, quia perfectio illa sæcularis voto non est confirmata, vti perfectio Religiosi, hinc eam in bono firmitatem & stabilitatem non habet, quam Religiosus, ratione status sui. Hodie siquidem castus est, bonumque apud se concipit propositum, & ecce cras leuitate quadam ab eo resistit. Verum Religiosus, licet reipsa perfectus non sit, est nihilominus in statu perfectionis, quod perpetuis & indissolubilibus quibusdam votis circa ea, quæ ad perfectionem spectant versantibus, ad illam sit vinctus & alligatus, nec enim iam retrogredi & resilire fas est.

Votum perpetuum obligationem perfectionis includit.

Huc pertinet illud sancti cuiusdam viri olim responsum. Cum enim rogaretur, num quis in mundo viuens, gratiam Dei & perfectionem adipisci posset: respondit, Potest: at equidem malim gradum vnum gratiæ in Religione, quam decem in mundo: quia gratia in religione facili negotio conseruatur & adaugetur, quod in ea homo procul ab omni tumultu & turbela mundi (qui est capitalis & iuratus gratiæ hostis) viuat, & acri fratrum spiritualium exemplo ad virtutem & perfectionem incitetur & exstimuletur: in ea denique alia permulta sunt, quæ ad hoc non mediocriter conferunt. Plane vero contra in mundo fit: nam, quam quis in eo gratiam habet, cum facilime deperditur, tum summa cum difficultate conseruatur. Vnde inquit sanctus ille vir, inferas, potius ac satius esse, minorem habere gratiam, sed quæ secura sit, & tot tamque validis pro-

F. Aegidius in Chron. Minor. 1. p. l. 7. c. 20.

Quare in Religione gratia pluris facienda, quam extra eam.

pugnaculis obuallata ac custodita, à quibus adaugeatur, in religione, quam aliam maiorem, quæ tam euidenti periculo exposita sit, vti in mundo est.

In religione melius Deo seruitur, quam in seculo.

Hinc quoque manifestum fiet, quam grauis illa nonnullorum nouitiorum sit tentatio, dum sibi persuadent tam bene se in seculo orationi & solitudini vacaturos, atque in religione, & tam ibi quam in hac bono alijs exemplo futuros. Quod mera dæmonis illusio est, vt hoc pacto illos deturbet eo, quod iam possidet, religionemque deserere faciat. Incipiet quidem in sæculo quis deuotionis exercitiis serio incumbere, singulis septimanis peccatorum confessionem instituere, orationem mentalem frequentare, occasiones omnes illecebrosas, castitatis conseruandæ causa, declinare; sed quoniam suæ relictus est libertati, nec perpetua quadam se obligatione obstrinxit, & tot illi assidue impedimenta & obstacula occurrũt; hinc hodie quidem orationem deserit, cras confessionis vsum intermittit, mox propter varia hominum cõmercia & cõuersationes distrahitur, denique tandem simul amittit omnia. Quotidiana experiẽtia irrefragabilis rei huius testis est. Religiosus vero hæc omittere nequit, nec à professione & statu in quo per vota positus est, resilire: hæc quippe sunt tria illa vincula, de quibus ait Spiritus sanctus, *Funiculus triplex difficile rumpitur*, id est, quod triplici hoc votorum nexu cõstrictum & ligatum est, ægerrime frangas, aut dissoluas.

Eccles 4.12

Quamobrem per tria hæc vota fit, vt hoc vitæ genus sit religio & status perfectionis. Vnde etiam sancti Patres asserunt, Apostolos, à Christo Iesu edoctos, quoddam religionis initium in seipsis fecisse, & eius velut fundamenta posuisse, Christo Domino sese conceptis votis obstringendo, tum, cum relictis omnibus secuti sunt eum; atque inde, ex ipsorum traditione, quæ ab ipso Christo Domino emanauit, in Ecclesia Catholica vsu perpetuo iam obseruari, & inductum esse, vt Religiosi per tria hæc vota se Deo dedicent.

Aug lib 14. de ciuit c 4. Hieron. S Thom 2. 2.q 88. art 4. ad 3. VValdensis ex Dionys lib de Eccl. hierar. c. 6.

CAPVT III.

Alia bona & commoda recensentur, quæ ex hac sui per vota obligatione consequuntur.

PRæter id quod diximus, aliud quid, magnam cuilibet vtilitatem & commoda permulta afferens, in votis continetur, nimirum, quod ex voto fit, laudabilius maiorisque valoris ac meriti apud Deum esse, quam quod voluntariè sine illis fit. Tres huius rei rationes assignat S. Thom. easque solidas & efficaces. Prima est, quia votum est actus religionis, quæ inter omnes virtutes morales princeps est & excellentissima; ac proinde aliarum virtutum operibus valorem addit & pretium, efficiendo vt ea fiant opera religionis, res sacra, cultus diuinus, sacrificium, & res Deo iam dedicata & promissa. Verbi gratia, ieiuniũ, quod actus est temperantiæ, votum efficit, vt etiam sit actus religionis, itaque duplici via fit opus meritorium: primo ex virtute ipsiusmet operis ieiunij: deinde ex eo, quod fit actus religionis. Atque adeo generaliter in omni eo, quod ex obedientia facimus, duplex cõsequimur meritum: vnum quidem ipsius operis, alterum vero obedientiæ: ac proinde magis tunc per opera nostra meremur, quam si eadem ex proprio arbitrio, & voluntariè, sine obedientia aut sine voto faceremus. Melius porro id intelligetur, si eius contrarium inspiciamus. Quemadmodũ quando quis contra votũ castitatis peccat, duo peccata mortalia committit, primum contra castitatem, & sextum decalogi præceptum: alterum vero maius, sacrilegij, infringendo votum, quo ad eam obseruandam se obstrinxit: ita ex aduerso, dum quis votum castitatis obseruat, duplex sibi meritum comparat, vnum virtutis, castitatis, & obseruantiæ præcepti Dominici; alterum ve-

Pluris est bonũ quod ex voto fit, quam quod sine illo. 2.2.q. 88. art. 6.

Quod ex Voto fit, actus est religionis.

ro maius,

ro maius, videlicet adimpletionis voti Deo nũcupati: quod est quidem actus virtutis religionis, atque ita de reliquis votis.

Quod ex voto fit, maioris est meriti: ob donatam simul libertatem.

Secunda, cur maioris meriti id sit, ratio est, quia maius facit, ac plus dat Deo, & offert, qui quid ex voto facit, quam qui id sine illo facit: quia ille nõ solum dat quod facit, verum etiam (quod multo maius est) suum non posse quid aliud facere: libertatem quippe suam Deo offert, qua nihil offerre potest dignius & eminentius. Laudabile quidem & bonum est, deserere omnia propter Christum; qui tamen paupertatis votum facit, plus præstat, quia non modo deserit ea quæ iam reipsa posside, verum etiam ipsam eorum habendorum potentiam: quod multo est amplius. Dat, inquam, Deo arborem vna cum fructibus.

Lib de simi litud.
S Th. 2.2 q 88. art. 6.

Quę egregia est similitudo, quam è D. Anselmo adfert ad hoc declarandum S. Thomas. Sicut, inquit, plus facit & dat, qui alicui arborem dat cum omnibus fructibus, quam qui solum fructus decerptos amico mittit, arborem sibi retinens: ita Religiosus arborem vna cum suo fructu Deo dat. Mundani, vt summum, Deo dant arboris fructum; quædam inquam opera bona; at non dant arborem, scilicet seipsos, quia hanc sibi retinent, & manent sui: at religiosus etiam seipsum dat arborem videlicet & fructum, opus æque ac voluntatem & libertatem; atque adeo omnia offert Deo: non iam amplius est suus, nihil quod det, illi est super, cum omnia donârit.

In Apolog. pauperum.

S. Bonauentura alia id similitudine exponit, aitque, Quemadmodum plus alio dat, qui non solum rei datvsum, verum etiam proprietatem; ita religiosum, qui Deo per vota se nuncupat, amplius illi dare, digniusque sui sacrificium facere, quam seculares, propterea quod non opera sua solum det, sed etiam voluntatem, & suam ad quid aliud faciendum illicentiã, adeo vt se Deo tam quoad vsumfructum, quam quoad proprietatem attribuat & dedicet.

Ob firmitatem boni promißi.

Tertia, ob quam maioris meriti est quod ex voto fit, quam quod sine illo, ratio, hæc est, quia, sicut operum exteriorum bonitas potißime à voluntate facientis ortum habet: ita quo voluntas futura est melior, eo etiam operã, quæ ab ea procedent, meliora futura sunt. Iam in cõfesso est, quanto voluntas erit stabilior, constantior ac durabilior, tanto etiam eam meliorem fore: ita namque minus incidet in id quod Sapiẽs reprehendit, *Vult* modo, & modo *non vult piger*. Quin & apud Gentiles Aristoteles docuit, inter virtutis conditiones non postremum esse, *vt firmiter & immobiliter operetur.* Hoc porro agit votum; vtpote quod homini in bono opere firmitudinem dat, & stabilitatem, itaque ipsum multo reddit perfectius. Sicut ex aduerso Theologi docent, eum qui in peccando obduratus est, grauius peccare eo, qui aut ex infirmitate peccat, aut ab inopinata aliqua passione occupatus: quod ille voluntatẽ in malo magis radicatã & firmatam habeat. Vnde etiam id genus peccati inter peccata, in Spiritum sanctum committi solita, referunt. Sic bonum opus firmiore, stabiliore, & ad bonum innatiore voluntate facere, longe perfectius est, & magis meritorium, quam sine ea.

Prou 3 4.
2 Ethic. c. 4

Votũ astringi contra tentationes prod. st.

Huc accedit, quod, si hinc nostram consideremus imbecillitatem, illinc vero dæmonis in nobis tentandis insolentiam ac pertinaciam, nullum conuenientius ad hoc propositum inueniri, tam ad debilitatem nostram corroborandam, quam dæmoni portam occludendam, posse remedium videatur, quam Deo nos per hæc vota obstringere. Nam, sicuti qui splendidas opulentæ alicuius virginis nuptias ambit, mox vt alteri eam nupsisse comperit, omnem potiundi spem abijcit, omnesque illius conatus & studia concidunt: pari modo dæmon, videns hominem per hæc vota Deo iam velut desponsatum esse, plane de eo ad mundana reducendo desperat, & persæpe propterea ab eo tentando cessat, dum timet, ne hæc tentatio maioris sit gloriæ, & illustrioris coronæ in cœlo occasio futura, & inde secuturum sibi sit dispendium, vnde magnum sperabat compendium.

CAPVT IV.

Cur sancti Patres secundi Baptismi aut Martyrii nomine vocent traditionem illam, quâ quis se Religioni per tria hæc vota dedicat & consignat.

TAnti vero valoris ac meriti apud Deum est, quod se hoc modo quis per tria hæc Religionis vota Deo totum consignet, vt eum Theologi & sancti Patres per hanc omnium peccatorum remissionem consequi communiter asserant: adeo vt, si tunc moreretur, recta ad cœlum, purgatorium non subeundo, euolaret, non secus atque is, quem mox à baptismo suscepto demori contingit. Atque ideo id sancti Patres, Hieronymus, Cyprianus, & Bernardus, secundum baptismum nuncupant: Idque fit, non per viam indulgentiarum: Nam plenariam Indulgentiam nouitij eo consequuntur die, quo primum in Religionem admittuntur, susceptoque sacro habitu, peccatorum confessionem instituũt, & ad sacræ cõmunionis mensam accedunt: Verum alia illa prærogatiua non solum ex virtute est Indulgentiæ, sed etiam ex virtute ipsius operis, propterea quod ipsum adeo heroicum, & excellens sit, vt ex se sine vllius indulgentiæ additamento, pro omni pæna, peccatis debita, aptum sit satisfacere. Atque in huius rei confirmationem adferunt Doctores illud, quod de S. Antonio legitur. Vidit hic per visionem ab Angelis se in cælum sustolli, dæmones vero ijs obuiam progressos, tota vi & contentione ascensum hunc impedire conatos, eumque de aliquot peccatis, quæ in sæculo commiserat, accusasse: Illis vero respondisse Angelos: Si quid eum noueritis post vitæ monasticæ professionem commisisse, eius eum accusate, ac libere depromite: quia quæ alias in sæculo admisit peccata, iam pridem dimissa & expiata sunt, & omne hoc debitum dissolutum est, eo ipso, quod religionem est ingressus. Quibus auditis, cacodæmones magna cum confusione recesserunt.

2.2 q. vlt. art. 3. ad 3. & Caiet. ad 3. q. 189.

Vota religiosa plenariam peccatorum remissionẽ impetrant.

Paul V. in Bulla Const. anno 1606. S. Th. vbi supra.

S. Thom. vbi supra.

Nabuchodonosori Regi suasit olim Daniel Propheta: *Peccata tua eleemosynis redime.* Porro si vel tenui eleemosyna de aliqua operum suorum portiuncula erogata, peccatis suis Rex ille tam copiose satisfecit: quanto magis suis satisfaciet is, qui omnem suam substantiam relinquit & erogat? Maius quippe est, dare & relinquere totum, quam non nisi partem aliquam. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: sed melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutũ solicitudine egere cum Christo.* Vnde etiam S. Hieronymus libro aduersus Vigilantium hæreticum, egregie hoc ipsum multo esse melius, probat testimonio ipsiusmet Iesu Christi, in Euangelio manifeste dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo: & veni, sequere me.* Maioris ergo perfectionis est, insimul abdicare & deserere omnia, ad Christum nudum sequendum. Et Gregorius in Ezechielem scribens (quem citat D. Thomas) ait: mundanos, qui facultates suas retinentes subinde ex ijs in egenos aliqua erogant, Deo de sua substantia quoddam velut sacrificium offerre; quia simul aliquid dant Deo, & aliquid sibi reseruant: at religiosum, nihil sibi prorsus reseruantem, sed omnia ex Dei amore deserentem, offerre Deo quodammodo holocaustum, quod maius est sacrificio. Quid erit ergo, propter Deum non modo facultates omnes, verum etiam seipsum, corpus suum per votum castitatis: voluntatem & intellectum quoque per votum obedientiæ relinquere? Quid erit semper seipsum ex Dei amore abnegare, & mortificare? Talis quippe est vita Religiosi, *Semper*, inquit Apostolus, *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.*

Dan. 4. 24.

Lib. de Eccles. dogmatib. cap. 71.

Hieronym. contra Vigilant.

Mat. 19. 21.

Hom. 20. in Ezech. 2. 2. q. 186. art. 3. ad 6.

Vota religiosa sunt holocaustum.

2. Cor. 4. 10.

Operis huius excellentia & perfectio etiam patebit hinc: Nam, esto quis se Deo Romam: vel terram sanctam adeundi, omnes quas acquirit possessiones in egenos effun-

effundendi, tota vita ægris in nosodochijs, famulandi, quotidie flagellis in corpus suum sæuiendi, in pane & aqua ieiunandi, cilicium gestandi, & aliorum id genus plurimorum exequendorum voto obligarit; Religionem tamen libere intrare poterit, & hoc ipso omnes illæ obligationes & vota finem accipient, & in illam, vtpote rem meliorem, Deo acceptiorem, maioremque perfectionem inuoluentem commutatæ erunt. Sic id iure Canonico præscriptum est, & hæc communis est Doctorum omnium opinio.

c. Scripturæ *de voto & voti redempt.*

Vota religiosa sunt meliora martyrio.

Denique tam præstans & heroicũ opus est, Deo se totum per tria hæc vota dedicare & tradere, vt sancti Patres Religionis statum martyrio non immerito comparent, doceantque, Religiosi vitam non breue (vti martyrium veterum fuit) sed continuum & extensum martyrium esse. Vnde Bernardus: *Illo quo membra cæduntur ferro, honore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Id est, Religiosi martyrium ita horridum quidem exteriori specie non est, atque illud in quo per rotas falcatas, nouaculas, craticulas, & flammam membra dire torquentur; at duratione & continuatione pœnosius. Martyrũ quippe martyrium in vno gladij ictu finiebatur: At Religiosi momento vno non terminatur, sed is semper, & quotidie torquetur, cruciatur, & mortificatur in honore & reputatione nominis, propriaque voluntas eius, ac iudicium assidue frangitur, iuxta illud Prophetæ, *Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oues occisionis:* id est, ad omnia parati & dispositi simus oportet, sicut oues ad lanienam destinatæ. Ac veluti Martyres suo ex arbitrio tormenta, & genus mortis inferendæ sibi non deligebant; sed, quæcumque sibi iudices infligenda decernerent, ad ea æqua mente subeunda dispositi erant: ita Religiosus, ad instar Martyris, dispositus & paratus sit oportet ad quodlibet mortificationis genus accipiendum.

Serm 30 in Cantic.

Thom à Kemp ser. 2 ad Nouit.

Psal. 43. 22.

Sicut ergo sancti Patres & Concilia docent, suo Martyrem martyrio omnium peccatorum suorum remissionem consequi, & recta sine vlla purgatorij expiatione, ad cœlestem gloriam admitti, atque adeo iniuriam facere eum Martyri, qui pro eo orat; idque quia martyrium tam heroicum & excellens est opus, vt, sicut Christus asserit, *maiorem caritatem nemo habeat, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, cum quod dignius & amplius det, non debeat: ita quoque per hanc oblationem, quâ se quis in Religione Deo per vota perpetua deuouet; eo quod tam diuinum & heroicum sit opus, vt det quidquid dare potest, & amplius quod det non habeat, omnis illi pæna peccatis eius omnibus debita remittitur, itaque depuratur, vti erat, cum recenter è baptismi lauacro emergeret, & tanquam si martyrio laurearetur, atq; hac de causa sacrificium hoc, & oblatio, à sanctis Patribus baptismo, & martyrio æquiparatur: quod quoad hunc effectum illis simile sit.

Thom. à Kempis vbi supra.

Clem Alex. lib. 4. Strõ. August. lib. 13. de ciuit. c 8. Hermes discipulus S. Pauli lib 3. Pastoris simil. 9. c. Cum Marthæ. *de celebrat. Missarum. Ioan. 15. 13.*

CAPVT V.

Adeo libertas hominis per vota non tollitur, & imminuitur, vt etiam perficiatur.

OBijcere fortasse quis poterit ac dicere: Video quidem omnia quæ commemorasti bona & vtilitates in hac totali sui per hæc vota Deo consignatione amplissime contineri: at negare non potes, quin suam homo libertatem hoc pacto deperdat, eaque se spoliet, quæ tamen tantum bonum est, vt, sicut alius ille ait, nullo sit pretio redimibilis & comparabilis:

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Obiectioni huic commode respondet D. Thomas, & ait, non parũ te decipi, quod libertas per vota adeo non auferatur, vt etiam perficiatur: Clare autem id sic demonstrat. Votorum est, voluntatem in bono stabilire & solidare, ne ab eo tam facile diuertat & retrocedat: Hoc vero libertatem non tam aufert, quam perficit; perin-

2.2.q. 88. art. 4.

Vota religiosa quare nõ minuãt libertatem.

de quodammodo, ac in Deo & beatis, qui peccare nequeunt, ea perfecta eſt; quæ impeccabilitas adeo ab illis libertatem non tollit, vt hanc etiam habeant perfectiſſimam. Apoſtoli quoque, qui in gratia fuere confirmati, & mortaliter peccare nequibant, non idcirco ſuam libertatem amiſerunt, quin imo hoc pacto magis hæc in illis perfecta fuit: quia in bono, ad quod creata fuit, magis eſt confirmata & ſtabilita. Atque hoc eſt quod nobis. B. N. P. in epiſtola de virtute obedientiæ ſcriptum reliquit: *Nolite*, inquit, *exiguum veſtri liberi arbitrij fructum putare, quod liceat vobis illud a quo id accepiſtis eidem per obedientiam plene reddere. Quod cum facitis, non modo non perditis ipſum, verum etiam augetis atque perficitis. quippe qui veſtras omnes voluntates certiſsima rectitudinis regula moderamini, voluntate diuina, quam videlicet interpretaturis, qui vobis Dei nomine præſidet.*

Cap 9. de fortit. & Albertus Magnus li. de virtutibus.

Peccare, eſt libertate abuti.

Confirmatur hoc quoque illa S. Anſelmi ſententia: *Peccare*, inquit, *non eſt libertas, nec pars libertatis peccare eſt potius nō poſſe quàm poſſe Quicunq; n. facit quod ſibi non expedit, quanto magis hoc poteſt, tanto magis aduerſitas, & peruerſitas poſſunt in illum.* Id eſt, peccare poſſe, & libertate poſſe abuti, non tam perfectio quædam eſt, quam imperfectio & miſeria: neque tam potentia, quam debilitas & imbecillitas. Ad oculum, (petit Auguſtinus) id videre cupis? Ne Deus quidem, eſto ſit omnipotens, hoc facere poteſt. *Hoc vnum non poteſt omnipotens, mentiri non poteſt*, peccare non poteſt. Ideo quippe peccare poſſumus, quod quandam peccatum, iniquitas, & miſeria, poteſtatem in nos habeant, & eo maiorem, quo plus ipſi peccare poſſumus. Quanto ergo magis hinc recedimus, & voluntatem in bono magis ſtabilimus & firmamus, tanto eam magis perficimus. Hoc autem fit per vota, per illa nos ad id, quod bonū, & melius eſt, obligando Vnde bene exclamat S. Auguſt. *Felix neceſsitas quæ in meliora compellit: Non te voluiſſe pœniteat, imo gaude, iam tibi non ſic licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet.* Si quis tibi diceret: Per hanc viam ſi incedas, hac porta ſi exieris, certo periculum adibis, vel in præcipitium abibis: an non ſummopere lætareris, non etiam te ſingulari beneficio afficeret is, qui portam hanc tibi occluderet, ac viam hanc obſtrueret, vt, eſto in perniciem & præcipitiū ſponte ipſe tuum abire velles, minime poſſes? Iam, ſi periturus & damnandus ſis, non alia id via fiet, quam quod voluntate tua male vtaris (nam *ceſſet voluntas propria & infernus non erit*) ergo, quo magis hæc tibi via præpedietur, & occludetur, ne ſcilicet libertate tua male vtaris, eo maius tibi beneficium confertur. Quocirca voluntatem tuam Superiori per obediētiæ votum ſubijcere, non tam eſt libertatem tuam perdere, quam eam magis perficere, ac puriſſimæ obedientiæ diuinæque voluntatis auro includere.

Per vota firmamus volūtatem in bono.

Epiſt. 45 ad Armentarium & Paulin.

Bernard. ſerm. 3. de reſurrect.

Solo libr 7. de iuſtitia & iure q. 2. art. 4 ad. 1.

Per vota ad perfectiorē libertatem peruenitur

Addit his auctor quidam grauis rem ſane notatu digniſſimam, nimirum, per cōcepta vota non tam libertatem imminui, quam è contra eum, qui per ea ſe Deo obligat, ſeque ſuperiorum odedientiæ ſubijcit, maiorem libertatem habere, quam ille, cui animus ad hoc aggrediendum deeſt. Hoc autem modo ſententiam probat. Libertas hominis vera in eo eſt ſita, quod ſuiipſius ſit dominus. Atqui magis ſui dominus eſt, qui voto ſe obligat, & ſuperiori alicui ſubdit, quam qui animum ad hoc faciendum non habet. Exemplum demus in caſtitate. Idcirco tu caſtitatis votum facis, quod plenus, per Dei gratiam, tuiipſius Dominus eſſe poſſe ad caſtitatem ſeruandam, videaris: at ideo mundani iſthoc votum concipere non audent, quod ſe ſibiipſis tam plene dominari poſſe minime putent Vides ergo ad oculum, te qui facis votum, maiorem in te ipſum dominatum habere, ad faciendum id, quod cupis, & quod vt fiat, conueniens eſſe iudicas. In hoc igitur libertas conſiſtit: quia alia illa libertas, non tam libertas eſt, quam ſubiectio & mera ſeruitus: appetitus namque ſui, & ſenſualitatis non dominus eſt, ſed ſeruus & mancipium, quæ eum velut captiuum, & vinctum verſat & reuerſat, ac quo-

quocunque vult circumagit, & tandem ad peccatum pertrahit. Sicut multis in locis S. Scriptura testatur. *Captiuantem illum in lege peccati.* Et, *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Et, *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Eodem quoque modo se res habet in obedientia. Propterea quippe tu te voto obedientiæ submittis, quod per Dei gratiam futurum speres, vt tuiipsius sis dominus, ad Superioris voluntati sedulo obsequendum, tuæ vero renuntiandum. Alius ille nondum tantum sui in seipso dominium sentit, vt ad suam voluntatem abnegandam, & alienæ obsequendum, obedientiam Præpositi alicuius sequendo, sibi vires & animi sufficiant: & ideo in domo sua manere vult, nec religioni nomen dare, nec obedientiæ votum nuncupare audet. Quare, obedientiæ se submittere, hæcque vota concipere, maioris potius est libertatis argumentum, maiorisque in seipsum dominij signum. Est vero hæc nobilis & generosa quædam subiectio: quam nobis proinde consulit Sapiens, & ad quam serio exhortatur. *Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius.* O beatos compedes, felices catenas, quas proinde Scriptura non catenas, & neruos, sed torques, nuncupat (*& in torques illius collum tuum*) quæque collum non tam alligant, & grauant, quam adornant: quia non ferreæ catenæ sunt, sed aureæ; non mancipiorum vincula, sed dominorum cohonestamenta, & torques aureæ, quæ gestantibus non oneri sunt, sed honori, & auctoritati. Permagni autem refert vniuersa hæc tali modo & sensu accipere; ita quippe Christi iugum suaue fit & amabile, vti bene id aduertit beatus Ambrosius: *Christi iugum,* ait, *suaue est, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera.*

Rom. 7. 23. *2. Pet. 2. 19.* *Ioan. 8. 34.* *Bernard. serm. 3. de resurrect.* *Solo libr. 7. de iustitia & iure q. 2. art. 4. ad 1.* *Per vota ad perfectiorē libertatem peruenitur* *Vota religiosa nobilitant vouentem.* *Ecclesi. 6. 25.*

)?(

Caput VI.

De singularibus, quæ in religioso statu sunt, bonis: deque gratitudine, quam Deo propterea, quod ad eum nos vocárit, debemus.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri, ait Apostolus Paulus. Inter alia quæ Deus Opt. Max. filiis Israel, dum è captiuitate educeret Aegyptia, iniunxit, fuit, vt diei, qua tam eximium eis beneficium præstiterat, nullo non tempore recordarentur. Tamque serio & stricte hoc ab illis seruari præcepit, vt in beneficij huius memoriam, singulis annis eos Paschale festum, quod etiam octiduo duraret, magna solemnitate celebrare, & in eo statutis certisque cum ritibus agnum, in memoriam eius, qui immolatus fuit tum, cum captiuitate educti sunt, comedere mandarit. Si hoc ad corporalis libertatis memoriam retinẽdam fieri olim præcepit Deus, quã tamen adepti Israelitæ non propterea facti sunt meliores; quid non in eius diei memoriam nos facere par est, quo manus eius potens & pia nos captiuitate illa dura, qua anima nostra captiua detinebatur, exemit, & in via, quæ ad terram promissionis, non soli, sed cœli, tenditur, collocauit & asseruit? Sic legimus, eum à sancto Arsenio Abbate diem quotannis festiue solitum celebrari, quo vitæ seculari is nuntium, Deo dante, remiserat. Festiuitas autem in eo sita erat, quod eo die Sacrosanctæ Eucharistiæ mysteria capessebat, tribus pauperibus eleemosynam erogabat, legumina cocta in cibum sumebat, & omnes passim monachos ad suum conspectum intra cellam admittebat.

1. Cor. 1. 9. *Beneficium religiosæ vocationis grata mente recolendum.*

Hoc in sensu exponit S. Augustinus

Lib. 2. qui. super Exod. qu. 28.
Exod. 26.

Id quod olim Moses Pharaoni, petenti, vt filii Israel intra Aegypti limites Deo suo sacrificium offerrent, neve ad hoc regni sui terminos excederent, respondit. *Non potest*, inquit, *ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*; vaccam scilicet, vitulum, agnum, quæ Aegyptij adorant vt Deos; proinde abominationi ipsis erit, si quæ vt numina reuerentur, nos ea videant mactare & immolare, nosque vt blasphemos & sacrilegos lapidabunt. Vnde necesse non est Aegypto egredi, & in desertum concedere, vt hæc Deo ibi tuto ac secure offerre valeamus. Ad eundem modum cum id à nobis Domino Deo nostro sacrificandum, & offerendum sit, quod abominantur & auersantur mundani, paupertas videlicet, mortificatio carnis, obedientia, subiectio, despectus, & contemptus nostri, & voluntatis proprie abnegatio: hæc vero, aliaque id genus, in mundo Deo sacrificare & immolare nefas esset; mundani quippe nos exsibilarent, lapidibus impeterent, ac vitæ periculum nobis crearent; hæc namque illi abominantur, quia pauperes, humiles & abiecti illis sunt ludibrio: Hinc *viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro:* hinc nos Dominus ex infinita sua bonitate & misericordia Aegypto eductos ad *Religionis* solitudinem conduxit, in qua tam tuto per tria hæc vota, omnia illa offerre, & sacrificare Deo possumus, vt hoc etiam ibi magno honori & gloriæ sit, & qui in eo magis excellit, & aliis eminet, etiam alijs magis æstimetur, & pluris fiat.

Exod. 8, 27

Vt autem intelligamus melius, quanta nostra ad hoc Dei beneficium grata mente recognoscendum, eique propterea gratias agendas, sit obligatio, quædam summatim bona & excellentias afferemus, quibus magnitudinem eius sancti Patres declarant. S. Hieronymus scribens in illud Psalmi octogesimi: *Cum exiret de terra Aegypti, linguam quam non nouerat audiuit, diuertit ab oneribus dorsum eius*; pluribus beneficium illud ingens, quod DEVS in nos contulit, dum Aegypto, id est, mundo nos eripuit, exaggerat, nobis cum grauem Pharaonis captiuitatem, & seruitutem, in qua agebamus, tum libertatem filiorum DEI, ad quam euocati sumus, in memoriam reuocando. Graui, inquit, nos iugo DEVS eripuit, & ponderosissimum humeris nostris onus excussit; eramus quippe in hoc mundo serui, & mancipia Pharaonis: *Et in manu forti eduxit nos de terra Aegypti, de domo seruitutis. Quando autem in Aegypto* mundi huius *eramus, extruebamus ciuitates Pharaonis, lutum & laterem portabamus, & tota anima nostra* magno conatu & studio *quærebat paleas*; paleas inquam, quas rapit ventus, aut lateribus inspergendas. *Non habebamus frumentum*, omnia erant palea inanis; *non habebamus cælestem panem, qui de cælo venit, necdum acceperamus manna de cælo. Quam grandia vero antea habebamus onera?* Quam enim graue mundi est onus? quantæ in eo subeundæ molestiæ? quot angores? quot labores? Et hæc omnia, vt esca & alimentum suppetat, aut ad summum, vt dignitatem aliquam, aut officium honorabile assequamur. Vt vero hanc conseruemus & amplificemus, DEVS bone, quot nobis difficultates sunt subeundæ? quot adhibendæ rationes, prensationes, & affectatæ exambitiones? quot leges mundi obseruandæ? quas nemo profecto intelligit, nisi qui eas reipsa experitur. Vere itaque iugum ferreum, & grauissimum est, quod mundanorum ceruicibus incumbit. Ergo *diuertit ab oneribus dorsum eius*, id est, graue legum, obligationum, & consuetudinum mundanarum onus, & iugum illud ferreum ab humeris nostris excussit; & onus quoddam leuissimum, & iugum suauissimum ijs è contra imposuit. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, ad eum inquam statum nos perduxit, in quo circa eius cultum, obsequium, & famulatum duntaxat occupari debemus.

Excellētiæ, ob quas beneficium vocationis agni faciendum.

Iugum mūdi grauissimum est.

Mat. 11, 30.

Apostolus Paulus de ijs qui in mundo vinculo matrimonij amplexi sunt, ita loqui-

1. Cor. 7.32. loquitur: *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*; id est, coniugati in multas sunt curas, & solicitudines distracti; curanda quippe ipsis sunt ea, quæ mundi sunt, res quoque familiaris & domestica: marito curandum vt placeat vxori; vxori, vt marito: hinc diuisi & dispartiti sunt, & ex toto corde Deo sese dare non possunt. *At qui sine vxore est*, donumque castitatis habet, *sollicitus est quæ Domini sunt*, quomodo placeat Deo: *& mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Si ergo eos qui in sæculo castitatem profitentur, Apostolus solicite curare debere ait, quomodo placeant Deo, quomodo in corpore æque ac spiritu sancti esse queant: quid erit de Religiosis dicendum, quos ab omnibus mundi curis & sollicitudinibus, quin & ab illis, quæ ad corporis sustentationem sunt necessaria, curandis, benignissimus Deus exemit ac liberauit? vt sic toto studio & conatu in id incumbamus, quomodo placituri simus Deo, & quotidie maiorem in vitæ sanctimonia progressum facturi. Repræsentari id nobis figurarique sanctus Augustinus ait, in sacrificio illo Abrahæ, in quo vaccam, capram, arietem, adhæc turturem & columbam Deo immolauit. Animalia quidem terrestria diuisit media, *aues autem non diuisit*, sed integras Deo obtulit. Per animalia autem terrestria homines mundanos, qui in multas partes distrahuntur & diuiduntur, vult significari, per turturem vero & columbam, quæ aues mites, & mansuetæ sunt, & nullam homini iniuriam inferunt, signari spirituales, & perfectos; siue ij ab hominum conuersatione & commercio sequestrati sint (qui per turturem denotantur) siue inter illos agant, & conuersentur (quorum columba figura est.) Porro hi non diuiduntur, & dispartiuntur, sed totos se, & indiuisos Dei obsequio dedicant & impendunt. Hanc ergo nobis Religiosis Dominus gratiam contulit, quod integros nos & totos in sacrificium, & holocaustum Deo offerre possimus, nec in curas extrarias diuidi, rapi, distrahique necesse sit, sed id solum procurare, quomodo quotidie Deo gratiores esse, & magis placere possimus. Hanc quippe ob causam castitatis votum facimus, vt, quemadmodum Apostolus ait, non habentes comparem, cui complaceamus, nec familiam quam dirigamus, vnum id omni cura & solicitudine studeamus, qua via & modo quotidie in spiritu proficere, & ad altiorem perfectionis gradum pertingere valeamus. Ad hoc quoque nos obligamus voto paupertatis; cuius adminiculo omnes mundi diuitias, necnon omne quod secum trahunt, desiderium, cupiditatem, curam, angorem & sollicitudinem abdicamus: hæ quippe sunt spinæ, quas Redemptor noster Iesus in Euangelio possessores suos pungere ait, & inquietare. Vnde etiam Ambrosius inde eas dictas *diuitias* putat, *quod mentem* & animum hominis *diuidant*. Ad hunc denique effectum emittimus votum obedientiæ; per quod tam nosipsos, quam propriam voluntatem & iudicium penitus abnegamus, ita vt iam nihil amplius proponere, statuere, decernere, neue anxie quid de nobis futurum sit, disquirere debeamus; quia Superior, cui nos totos loco Dei tradidimus ac consignauimus, hanc omnem in se curam suscepit, quo duntaxat de iis, quæ ad nostri ipsorum in spiritu profectum attinent, ipsi solliciti simus.

Religiosus uni vacat Deo, non diuisus in multa.

Lib 6. de ciuit. cap. 24.

Gen. 15.10.

Luc. 8.7. & 14.

S. Hieronymus explicans hæc Psalmographi verba, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*: ait, Quemadmodum temporalis aliquis & sæcularis Dominus multos habet seruos, qui sibi famulentur: & sicut aliqua inter eos est distinctio, quod horum nonnulli domi sint, qui ipsum quaquauersum comitantur; alij vero in agris & rure iugiter agentes: sic Deus habet multam familiam: habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant, & in conspectu suo continuo versantur; habet alios in agris. Religiosos, similes esse ait seruis in Domini familia habitantibus, in domo eius iugiter assi- stenti-

Psal. 133.1.

Religiosi sunt veluti aulici honorati in domo Dei.

ſtentibus,quotidieq; cũm ipſo tractantibus, illos denique Dei eſſe intimos & familiares;ſæculares vero & in mundo conuerſantes, eſſe dicit ceu ſeruos rurales & agrarios. Atque in hac ipſa ſimilitudine pergens,Sicut,inquit,ſerui hi rurales, agricolæ,& pagani,cum quid apud Dominum agere,& ab eo conſequi ſtudent, famulos, familiares, domeſticos, in eius conſpectu ſemper agentes, quotidieque cum illo loquentes, in patronos & interceſſores adhibent: ſimili modo mundani homines, ſi qua in neceſſitate verſantur, ſi quid à Deo obtinere volunt, ad Religioſos quamprimum confugiunt, rogantes, ſua vt negotia Deo commendent, & pro tali neceſſitate diuinam opem implorent; quod eos tanquam Dei intimos & familiares, & quorum intuitu, & interuentu aliquam ipſis gratiam Dominus eſt collaturus,intueantur. Inſuper, quemadmodum ſerui agrarii ſunt ij qui laborant, arant,& fodiunt, vt qui domi apud Dominum deſident, de ipſorum laboribus comedant & ſudoribus in quiete fruantur: ita ſæculares laborant, anhelant, ſudant, magnaque cura & ſolicitudine multa coaceruant,& parta & coaceruata cuſtodiunt, vt Religioſi ea in quiete ac tranquillitate comedant. Idipſum quoque S. Gregorius myſtice deſignari putat in diuerſis Iacobi & Eſau fratrum moribus, de quibus Scriptura ait: *Factus eſt Eſau vir gnarus venandi,& homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*, vel, iuxta aliam interpretationem, *habitabat domi*. Per Eſau namque, venandi & agricolationis peritum, intelligi vult ſæculares,rebus exterioribus & mundanis occupatos & diſtractos; per Iacobum vero, virum ſimplicem,domique commorantem, ſpirituales & Religioſos, quique ſemper recollecti,& ad ſeipſos conuerſi incedunt, de rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus aſſidue tractantes, qui denique amice, blande,& delicioſe à Deo habentur (ſicut à Rebecca matre ſua Iacob) repræſentari. Conſideremus ergo hic, quam ſingulari nos Deus beneficio ſibi deuinxerit, dum

Lib. 5. Moral. c. 7.
Gen. 25. 27.

præ mundanis hominibus ita nos extulit, & tam peculiari modo præuenit; nimirum,vt hi ſint velut ruſtici & agreſtes; nos vero vt aulici, & interioris conclauis aſſiſtentes. Vnde ſicut olim Regina Saba, Salomonis Regis miniſtrorum ordinem ac diſpoſitionem videns, exclamauit: *Beati viri tui, & beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*; ita nos exclamare poſſumus; Beati & felices Religioſi, qui ſtant in domo Domini,atque aſſidue cum eo conuerſantur, eiuſque ſapientia nunquam non coram gaudent.

3. Reg. 10. 8.

Hinc inferre poſſumus, quam ſint illi cæci, qui multum eo ſe feciſſe exiſtimant, quod relicto mundo Religioſum ſtatum ſint amplexi, ac Deum propterea debitorem ſuum velle facere videntur, tanquam ſi multum in eius gratiam feciſſent, ipſe vero plurimum eis deberet. Erras, & grauiſſime erras; ſi quidem tu potius incomparabile es à Deo beneficium, & gratiam conſecutus, quod is te mundo eduxerit,in clientes domeſticos cooptarit, & ad tam ſublimem dignitatem euexerit: tu eius es debitor, tu illi te gratum exhibere, & ob magnum hoc beneficium, nouum illi obſequium præſtare debes. Si quem de proceribus ſuis ad curiam Rex euocaret, ad primariam aliquam ei dignitatem conferendam, is profecto non magnum quid feciſſe ſe crederet, quod patrios penates,& natale ſolum reliquiſſet; neu Regem idcirco quid ſibi debere; quin imo ſingulare ſibi conferri ab eo beneficium putaret, quod ſua vti opera,& ad tam honorificum munus obeundum ſe euocare dignaretur, & nouum hunc fauorem, ad cæterorum ſibi à Rege præſtitorum cumulum adderet, ad propterea gratum ſe illi, & obſequioſum de nouo exhibendum. Sic porro & nos facere par eſt; Neq; enim nos Deum elegimus, ſed ipſe nos, & nos immeritos, imo vero indignos,& demeritos ſingulari hoc beneficio affecit.

Religioſi debitores ſunt Dei, ob vocationis beneficium.

Quid in nobis potius, quam in fratribus noſtris, in ſæculo manentibus, Domine, vidiſti? Quid erat, obſecro, in nobis, quod

Vocatio religiosa gratuitum est Dei beneficium.

quod tibi placere posset? Vidisti haud dubie aliquid, cū nos elegeris. Aliquid quod sibi placeret, vidisse Deus debuit, cum nos elegerit. At dicet aliquis: Vide quid dicas: docent quippe Theologi, nullam à parte nostra prædestinationis causam, & motiuum dari. Simili quodam pulchro id declarat S. Augustinus: Finge tibi, ait, sculptorem & statuarium per montem transire, ibique truncum quendam ab arbore præcisum videre, & eum fixis oculis curiose contēplari; Qui, quod illi placeat, signum est, eum inde aliquid facere velle: neque enim suos ideo in eum oculos coniecit, & eo delectatus est, vt rudem indolatumque, vti erat, relinquat. Siquidem iam tum in arte sua vidit, quod futurum de illo trunco erat: & ait, Hui, Quam insignis de informi hoc ligno imago sculpetur. hoc scilicet est, quod amauit, hoc illi in trunco placuit: non quod tum erat, vt qui non nisi asper, scabrosus, & turpis truncus erat, sed pulchra & perfecta imago, quam inde erat efformaturus: *Sic nos & Deus amauit* impios *& peccatores:* non in quantum peccatores, non vt ligna arida, informia & infructuosa (vti eramus) maneremus: *Quasi lignum de sylua*, & de monte præcisum *vidit nos faber* ille summus, *& cogitauit ædificium, quod inde facturus erat:* Hoc in te illi placuit & oblectauit: non quod tunc eras (quia aliud non eras quam aridum, impolitum, & contemptibile lignum) sed quod de te facturus erat. Supremus ille artifex, qui cœlum, & terram molitus est, perfectam & consummatam quandam imaginem de hoc trunco coaptare volebat. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Sculpere nimirum ex te volebat imaginem, quæ vnigenito filio suo plane conformis, & per omnia consimilis esset, imaginem inquam, quæ Deum ipsum repræsentaret. Hoc illi placuit, propter hoc oculos in te coniecit, eapropter te elegit: *Non vos me elegistis, sed & ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Vide quam perfectam de te Deus Opt. Max. imaginem, quamque vnigenito suo consimilem efformare voluerit, quandoquidem ad idem te munus, ad quod obeundum ipse Dei filius in mundum venit, elegit, ad animas inquam Deo lucrifaciendas.

Tr. 8 super Epist. Ioan.

Rom. 8. 29.

Ioan. 15. 16.

Egregium idem Doctor de hac ipsa materia conceptum habet, scribens in prima illa Psalmi centesimi trigesimi sexti verba: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Ait ergo, flumina Babylonis vocari res mundi huius, vtpote fragiles, caducas & perituras, quæ celeriter & in momento pertranseunt. Magnam tamen esse inter ciues Babylonis & ciues Ierusalem differentiā: quod illi in fluminis Babylonici medio versentur, rebus mundi huius immersi, tempestatibus obnoxii, & periculis variis innatantes: at qui Ierusalem illius cœlestis ciues esse volunt, cum fluminis illius Babylonici pericula, ventos, tempestates, procellas, vndas, fluxus & refluxus alternantes vident & considerant, quantocius inde se subducunt, neque id genus periculis se volunt exponere, sed super flumina, quemadmodum filii Israel, consident: *Vident hæc, & non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis, & flent super flumina Babylonis.* Hi sunt Religiosi, qui mundi periculis se subduxerunt: & super flumina illius sedent, sed plorantes & lacrymantes. Quid autem ploramus & lacrymamur? Primo, inquit Augustinus, plangimus exiliū hoc nostrū, & *dum recordaremur tui Sion.* Videntes quippe assiduas fluminis huius Babyloniæ procellas, & tempestates, & cœlestis illius Sion, quæ amicissima nostra patria est, recordantes, non possumus non lacrymari, & gemitib. irremediabilib. suspirare. *O sancta Sion*, vbi nulla vicissitudo, mutatio nulla, nulla pericula: *vbi totū stat*, semper firmū & stabile, *& nihil fluit! quis nos in ista præcipitauit* præcipitia? quomodo & quam procul à patria nostra decessimus, & exulamus? *quare dimisimus conditorem nostrum & societatem nostrā?* quando ab his periculis immunes nos videbimus? quando ab hoc exilio reuocabimur? quando tādem

Psal. 136. 1.

Quid sit in Religiosis, sedere super flumina Babylonis.

dem securi erimus? quando nos in patria nostra videbimus?

Secundo, inquit, flemus illos, qui rapiuntur ab hoc flumine. Fratres enim nostri in fluminis huius Babylonici, & in maris huius procellosi, mundi inquam, medio agunt, præceps aquarum impetus eos abripit, fluctus obluctantes propellunt, tempestates denique scopulis & rupibus miseros allidunt; nec ante quiescunt, quam eos in profundum & abyssum demergant. Quotidie aliquot eorum millia submergi & perire videmus. Nam quam densa niuis vellera & flocci cœlo decidunt, tam frequentes animas in abyssum infernalem descendere, se in spiritu vidisse, vir quidam sanctus ait. Quis ergo tot animarum interitum non fleat? quæ viscera adeo dura & inflexibilia erunt, vt præ compassionis sensu non disrumpantur, vbi tot animas interire cernunt?

In reuelat. S Brigittæ, & refert Blosius c. 1. Monit. spirit.

Denso agmine itur ad inferos.

Tertio, ideo in fluminis huius Babylonici ripa sedemus, vt fratres nostros pereuntes inuenimus, manum auxiliarem periclitantibus porrigamus, opemque quam possumus afferamus, in hoc excubantes, num quem eorum, qui iam submerguntur, piscari, educere, & saluare possimus. Hę nostræ sunt partes, hoc munus proprium. *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Ad hunc nempe finem nos vocat Deus, vt hominum piscatores simus: idcirco nos in hac Societatis ripa constituit, vt animas intereuntes piscemur, & inde vsque manum porrigamus iis qui iam iam mergendi sunt. Itaque hoc loco nobiscum perpendamus, hinc quidem singularem illā Dei in nos gratiam, quod tam amice graanterque nos præ mundanis hominibus habuerit, & velut priuilegio & prærogatiua quadam donarit; eo quod illi in arena digladientur, nos in orchestra securi consistamus: illi in præcipiti fluminis huius Babylonici vortice nauigent, singulis momentis mergēdi & perituri, nos vero Deus in summa ripa collocarit, quo eis opituleamur, & manum auxiliatricem, vt emergāt, extendamus. Illinc vero ad nos ipsos oculos conuertendo, consideremus, illos qui

Finis viri Apostolici vindicare à naufragio animas.

aliis in fluminis voragine pereuntibus, & fundum petentibus, manum dare debent, vt eos discrimini subducant & subueniant, natandi esse debere peritissimos: sin minus, non raro etiam ipsos mergi & interire: nam ex mortis instantis apprehensione sæpe periens iuuantem ante constringens, deorsum trahit, suoque periculo inuoluit, & sic ambo ad fundum descendunt. Magnam ergo in animas lucrandi ante dexteritatem, magnam item virtutem & perfectionem habere oportet eum, qui alios periculo educere studet, ac videre, nullum vt sibi periculum creet.

Cautela opus, ne cū pereuntib. pereat operator Euāgelicus.

S. Anselmus quadam die in extasi raptus, latissimum quendam fluuium vidit, eumque mire præcipitem & rapidum, in quem omnes immunditiæ, sordes, & totius orbis terrarum cloacæ velut in cōmune colluuium confluebant: nihil vt in mūdo fædius, tetrius, malolentius, & intolerabilius cogitari posset aquis quæ illo flumine ferebantur. Tanta vero vi & impetu rapiebantur, vt violenter obuia quæq; post se traherent, nihil eis posset obsistere, deuoluerentque tam viros quam fœminas, diuites æq; & inopes in momento eos in profundum deuoluendo, ac mox non minori celeritate in altum euibrando; deinde elatos iterum ad profunda raptando, nulla vt miseris quies indulgeretur. Nouo hoc spectaculo perculsus Anselmus, & interrogans vnde nam illi viuerent? (quia reuera eos viuere videbat) responsum accepit, illos iis in quibus voluebantur sordibus & cæno victitare, quin & pleno easdem ore obbibere, & nihilominus in pædore illo quam iucundissime agere. Mox quoq; sic totius visionis illi data est interpretatio: Torrens & fluuius hic, est mundus, in quo homines cæci & insensati suas inter diuitias & honores, voluptates carnales & sordes misere volutantur. Tāta vero eorum miseria est, vt, esto in id genus immunditiis nullam quietem inueniant, nihilominus mire contenti sint, seq; beatos ac felices existiment. Inde vero statim est ad claustrum & hortum quendam capacissimū & latissimū deductus, cuius pa-

Habetur in operibus B. Anselmi. Surius 21. Aprilis. Tilm. Bredenbach. collat. 8. cap 34.

Mundus, immundus est torrens omnia secū deuoluens.

rietes

rietes splendidissimo obducti argento, mirũ in modum effulgebant. Illius in medio pratum & planities iacebat amplissima, in qua variæ enascebantur herbæ, & eæ non vulgares & communes, sed ex auro purissimo; alioquin ita molles & flexiles, vt considentibus se subinclinarent ac cederent, & cum ijs se ad terram vsque demitterent: neue propter depressionem hanc conculcatæ vel inflexæ manerent, sed exsurgentibus iis qui insederant, statim per se ipsæ ad eandem formam, quam habuerant antea, erigerentur. Aura vero loci iucunda admodum & suauis erat; denique quidquid in eo erat, ita amœnum, blandum & vernans, vt quidam esse paradisus, nihilque ad plenam beatitudinem ei deesse videretur. Dictum vero sancto viro fuit, per hortum hunc statum Religiosum ad viuum repræsentari.

Caput VII.

Eadem quæ capite superiori, materia deducitur.

Sanctus Bernardus ingentia & incredibilia illa, quæ in statu Religioso sunt, bona breui hac eiusdem descriptione pulchrè complexus est: *Nonne hæc est*, inquit, *Religio sancta, pura & immaculata: in qua homo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius*; & hæc est etiam causa cur *incedat cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducialius, purgatur citius* in purgatorio, *præmiatur* in cœlo *copiosius*? Et alio in loco, de Religiosorum eminentia & dignitate loquens: *Altissima est*, inquit, *professio vestra, cælos transit, par Angelis est, angelicæ similis puritati: non enim solum vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem; aliorum est seruire Deo, vestrum adhærere Deo*, eique inseparabiliter vniri. Et paulò inferius: *Quos quo nomine dignius appellem nescio: homines cælestes, an Angelos terrestres, degentes in terris, sed conuersationem habentes in cælis? Non estis de mundo, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei*: similes inquam spiritibus illis beatis & angelicis, in terram ad nostri custodiam & tutelam destinatis; vtpote qui id genus functionibus ac ministerijs nostri causa ita occupantur, vt tamen Dei visione nunquam careant. Talis profectò est vita Religiosi, qui etsi in terris inter mortales viuat, cor tamen in cœlum libratum habet, omnisque illius sermo & colloquium de rebus est spiritualibus ac de Deo, dicereque potest cum Apostolo Paulo, *Mihi viuere Christus est.* Sicut, dum hoc in mundo venationi quis perditè & efflictim deditus est, eaq; sumpere delectatur, dicimus, Vita eius est vænari; dum quis ventri gulæue addictus, dicimus, Vita eius est comedere & bibere: ita de se dicebat Apostolus, *Mihi viuere Christus est*: quod obsequio rebusq; Christi totus dedicatus & consecratus esset, vti etiam est Religiosus. Atque ideo S. Bonauentura Religionem vocari dicit ordinem, *quod in se nihil inordinatum patiatur.*

Venuste porro de Religione exponit & capit S. Bernardus in Canticorum verba, *Lectulus noster floridus.* Sicut, inquit, nullus in mundo locus est, in quo homines suauius requiescant, quam in lecto; pari modo in Ecclesia Dei, lectulus, in quo suauiter quis requiescit, ipsa est Religio: in ea namque à curis sæculi, & rerum temporalium, & ad vitam humanam necessariarum sollicitudine planè liber est. Quantum vero hoc ipso nobis Dominus beneficium & bonum præstiterit, quotidiana experientia discimus. In Societate namque, singulari & paterna quadam cura Præpositi in hoc aduigilant, vt nobis de omni eo quod ad victum & vestitum, ad studia, ad iter, tum in morbo, tum bona valetudine necessarium est, sufficienter prospiciant. Vt necesse nos minime sit ad parentes & notos recurrere; quia eos iam deseruimus, & eorum memoriam planè exuere possumus nisi forte ad eos per preces Deo commendandos. Nam, siue eos habea-

Marginal notes: Homil. Simile est regnum cœlorum homini negot. quærenti bonas margaritas. — Epist ad fratres de monte Dei. — Sanctitas vitæ religiosæ. — Ioan. 15.15. — Ephes. 2.20. — Phil. 1.21. — Summa Pauli voluptas Christo viuere. — In regul. S. Francisci. c 14. — Serm. 46. in Cant. — Cant. 1.15. — Religio mollis lectulus est. — Prouidentia Superiorum diligens.

Societas Iesu mater benigna filiorum suorum.

habeamus, siue boni siue diuites sint, siue inopes; Societas & Superiores eius, noster sunt pater & mater, & amore plusquam paterno de omni re nobis vt prouideant allaborant; vt nos, omnium temporalium rerũ obliti prorsus & immemores, ei duntaxat fini, ob quem ad Religionem venimus (scilicet, vt præter proprium in spiritu profectum, etiam proximo studeamus subuenire) attendamus. Propterea etiam hominem à Deo in paradiso terrestri, omnium rerum creatarum possessione & dominio illi dato, collocatum ait Clemens Alexandrinus; vt, cum ei nihil reliquum esset, quod in terra desideraret, suum ad cœlestia optanda desiderium traduceret. Hoc ergo Societatis est propositum & institutum: & idcirco apprimè ei curæ est vt omnia, quæ opus habebimus, satis superque nobis suppeditentur, vt ab omni eo quod terrenum est, mente & solicitudine auersa, toto ad cœlestia quærenda affectu & studio conuerteremur.

CAPVT VIII.

De votorum renouatione, quæ in Societate Iesu vsurpatur, deque fructu qui ex ea spectatur.

Lib. 2. c. 4. Vitæ B. Ignatij. Prima vota à Patribus primis Soc. Iesu nuncupata.

CVM primi nostri Patres Parisiis ad R. P. N. Ignatium è variis locis conuenissent, anno partæ salutis M. D XXX IV. ipso Assumptionis Deiparæ festo simul omnes quandam ab eadem Angelorum Regina denominatam Ecclesiam (cui vulgo nomen, *Mons Martyrum*, & medio ab vrbe milliari distat) adierunt: vbi pariter, confessione peccatorum instituta, & sacrosancto Christi corpore communiti, voto sese obligarunt, se ad certum, quem præstituerunt diem, omnium quæ habebant, possessione abdicandi, nihil ex iis penitus ad vsum reseruando, præterquam necessarium ad iter Venetum (Venetias enim cogitabant) viaticum. Voluerunt insuper, totos se proximi saluti & profectui impensuros, necnon ad terram sanctã peregrinationem instituturos; sub hac conditione tamen, vt Venetiis commodam per annum integrum eo nauigandi oportunitatem exspectarent, quæ si infra annum hunc offerretur, paratis animis Ierosolymam contenderent; & eò cum peruenissent, sedem in locis illis figere, perpetuamque ibi habitationem deligere procurarent: at, si vel intra annum illuc traiicere non possent, vel locis sanctis iam visitatis, Ierosolymæ commorari prohiberentur, Romam adirent, & Summi Pontificis, Iesu Christi in terra Vicarij, pedibus aduoluti, illi se sisterent & offerrent, paratos abire, quocumque terrarum ipsos vellet sua sanctitas, ad animarum procurationem opemque destinare. Atque hæc ipsa vota duobus annis post sequentibus, eo ipso Assumptionis virgineæ festo, eadem item in æde, iisdem quoque præmissis ritibus, solemniter renouarunt. Hæc votorum renouationis, quæ in Societate ante professionem pro more promitti solet, prima origo fuit & primordia.

Eorundem consilium de peregrination ad Terram sanctam.

5. p. Constit. c. 4. § 6. Renouatorum votorum vtilitas.

Beatus vero P. in quinta Constitutionum parte, de hac ipsa renouatione agens, sic loquitur, *Vota sua renouare non est obligatione noua se obstringere; sed eius qua obstricti sunt in Domino, recordari, atque eandem confirmare*: & quod ante iam factum est, ipsum cum voluptate quadam & gaudio iterare & confirmare, in signum ac testimonium, quod nos eius adeo non pœniteat, vel pigeat, vt etiam ob id gaudeamus & intantum lætemur, vt Deo immensas ob præstitum nobis singulare hoc beneficium (quod scilicet nos in suos clientes suscepit, gratiamque nobis ad hanc oblationem faciendam fecit) etiam gratias agamus; & nisi eam dudum iam fecissemus, nosque Deo obtulissemus, ipsam modo faceremus, ac de nouo nos ei offer-

remus; & , si mille mundi propter eum deserendi essent, omnes illos eius causa desereremus; & , si mille voluntates & corda haberemus, illi danda, omnia ea daremus, ac de nouo illi offerremus. Hoc ergo modo, & hac cum exultatione & gaudio, votorum hæc renouatio fieri debet; magnique ea valoris erit ac meriti. Nam sicut in peccato & malefacto cōplacentia, nouum peccatum est, nouus reatus, noua Dei offensa, ac nouum meretur supplicium: ita ex aduerso gaudium & complacentia de bono, laudabilis est, & ante diuinæ maiestatis oculos gratissima, & summe meritoria. Sicut enim bonum fuit ipsum facere, ita etiam bonum est in illo sibi complacere.

Eiusdem m... .tum.

Vt autem ad particularia magis descendam ob tres potissimum fructus renouationem hanc fieri B. N. P. ait. Primò *ad deuotionis augmentum.* hæc quippe renouatio non mediocrem in vouente causatur deuotionem, vti reipsa experiuntur, qui bene se ad illam disponunt. Secundò, *ad excitandam qua Deo obstricti sunt, obligationis memoriam.* Vt hoc pacto ad id quod promisimus melius obseruandum animemur, quotidie in virtute & perfectione proficere conando. Tertiò, *ad maiorem studentium in sua vocatione confirmationem.* Quia, sicut præsentissimum in omnibus tentationibus remedium est, contrariarum virtutum actus exercere (eo quod contraria contrariis curantur) ita aduersus interiores displicentiæ ac tædij motus, quibus nos subinde dæmon per varias quæ per totum annum occurrunt, occasiones oppugnat, non postremum munimentum & clypeus est iterata votorum innouatio. Per eam namque ita inimici tartarei potentia labefactatur, & vis frangitur, vt similem posthac nobis tentationem oggerere non præsumat. Si qua vero interea fortè irrepserit negligentia, per hoc ea, nec quidem sine præuentu, reparatur ac compensatur, eo quod anima hoc pacto ad maiorem profectum animetur.

4. p. Constit. c. 4. §. 5. Fructus eius primus restauratio deuotionis. 2. Rememoratio obligationis. 3. Robur contra tentationes. 4. Reparatio diligentiæ & virium recuperatio.

Ipsa perfectio & virtus naturæ nostræ viriatæ apprimè ardua & difficilis est; quippe infirmitas & miseria, in quam per peccatum prolapsi sumus, tanta est, tanta quoque nostri ad id quod imperfectum & malum est, inclinatio, vt, esto subinde aliquo cum feruore & æstu exercitia nostra spiritualia incipiamus, tamen quamprimum sensim deficiamus, & ab eo quo cœpimus ardore desciscamus, & ad primæuam nostram imperfectionem ac teporem redeamus, non secus ac pondera horologij, semper deorsum deuergentia. Nam, sicut caro nostra è terra ortum habet, ita semper nos ad ima trahit. Hanc ob rem refici & restaurari subinde vires conuenit, vt, si fortè deficiamus, statim nobis & pristino vigori restituamur. Quocirca bis in anno accuratius hanc à nobis B. P. restaurationem ac reuigorationem, hac votorum innouatione fieri iussit. Atq; vt sancta nostra mater Ecclesia, duo in anno velut restaurationis spiritualis tempora instituit, in quibus filij eius animarentur, ad magno cum feruore, ac velut de nouo, Deo Opt. Max. seruire incipiendum, sacrum inquā Aduentus & Quadragesimæ tempus: pari modo, bis per annum singulari quadam ratione nos, memoriam eius quod Deo obtulimus ac vouimus, necnon finem ob quem ad Religionem vocati sumus, recolere B. P. N. voluit, vt iis in rebus velut renouemur, & nouo quodam incitu & feruore id facere incipiamus, propter quod nos ad hunc statū Dominus vocauit. Hunc ad finem has tam solennes in Societate festiuitates B. P. instituit. Atque hoc est quod ex eisdem nos elicere oportet.

Nec duobus illis temporibus præstitutis solum, verum etiam quotidie, hanc à nobis innouationem institui debere aiebat P. Franciscus Xauerius; quod & Abbatem Paphnutium olim vsurpasse solitum, in veterum Patrum Collationibus legimus. Dicebat porro B. P. Xauerius, vix vllum posse contra tentationes & oppugnationes cacodæmonis ac carnis Religiosos habere medium efficacius, nullum scutum fortius ac impenetrabilius, quam trium votorū suorū, paupertatis, castitatis, & obedientiæ

Quotidiana votorū renouatio laudabilis. Lib. 6. c. 13. & 15. Vitæ B. P. Xauerij. Eiusdem fructus.

5. p. Constit. c. 4. §. 6. Renouatorum votorum vtilitas.

dientiæ renouationem. Vnde etiam auctor & suasor erat, vt ea quotidie mane peracta oratione renouaremus, hisque armis nos aduersus hostiles insidias & insultus obarmaremus; idipsum & vesperi post orationem faceremus. Et siquidem tam frequenter id facere nolimus, bona saltem ea futura deuotio est (quam & vsurpant nonnulli) vt, quoties diuinissimum altaris Sacramentum sumendum est, isthanc renouationem instituamus, ac rationem sæpe à nobis deposcamus, & serio examinemus quomodo hæc vota obseruemus, & num quid in eorum obseruantia sit cōmissum, ob quod nostra nos coarguat conscientia.

Apparatus ad eam primus mortificatio. Congreg. VI. Gener. decret. 46. can 8

Vt vero melius renouationis huius finem consequi possimus, præter alias pœnitentias corporales, pro more fieri solitas, puta ieiunia, abstinentias, flagella; ei primò præmittitur accurata dierum aliquot in quiete recollectio, in qua & à solitis occupationibus quiescitur, & orationi & exercitijs spiritualibus impensius vacatur. Secundò superiori quisque rationem conscientiæ suæ reddit. Quia, etsi id sæpius per annum fiat, tunc tamen multo fit exactius, quia totius superioris semestris ratio datur. Quod vnum est de substantialibus & essentialibus Societatis institutis, ac de quo postea particularem tractatum faciemus. Tertiò, vnusquisque generalem omnium delictorum, sex illis mensibus admissorum, confessionem instituit apud eum confessarium, quem ex iis qui ad hoc erunt designati, delegerit; eique ex antiquo Societatis vsu, & ex regulæ particularis præscripto. Quæ sanè valdè accommoda conuenientiaque sunt media, ad finem qui hic spectatur, assequendum. Nam dum quis vniuersalem omnium quæ admisit, vitiorum & defectuum catalogum texit, eumque apud se inspicit, facili negotio perspicit, quantum in spiritualibus rebus aut profecerit, aut defecerit. Videt inquam num vltimo hoc semestri magis profecerit, quam superiori: atque hæc temporis præsentis cum præterito collatio & compositio, insigne est ad sui confusionem, si nimirum nihil se proficere animaduertit, & ad nouo cum ardore & animo incipiendum (ad hoc quippe solum Religioni nomen dedit) incitamentum. Quin etiam, dum omnes suos defectus simul vno fasce comprehensos, & in animi quiete, & velut ex professo homo contuetur; melius haud dubie cognoscit ecquæ passio sese impotentius oppugnet, quis humor in se magis prædominetur, dum scilicet videt peccata in quæ frequentius prolapsus est; vt hac ratione serio & expresse illis adhibere remedium procuret, particulare circa hoc examen instituendo. Adhæc, quoniam hæc considerantur & notantur in hoc votorum renouationis tempore, in quo misericordiarum ac beneficiorum à Deo receptorum homo catalogum facit, atque imprimis quod se ad Religiosum statum euocarit: ipse se, ex vna parte tantum Deo se debere, & ex altera nihil præter defectus habere animaduertens, ex animo & profunde coram diuina maiestate humiliat, & ad seriam emendationem sui, & posthac de nouo incipiendum animatur. Nam *opposita*, v. g. album & nigrum, *iuxta se posita magis elucescunt*.

2 ratio conscientiæ reddita superiori.

Tract. 7. c. 10.

3. Confeßio generalis.

Generalis defectuum contuitus quid pariat boni.

Acceptorum & expensorum calculatio acer stimulus ad profectum.

Compone ergo & oppone multa illa, quæ cœlitus accepisti, necnon multa illa quæ tibi Deus præstitit, cum iis quæ tu fecisti, illis: vide inquam hinc qualia tua sint debita, illinc qualiter ea dissolueris: & videbis quantam tui confudendi & humiliandi habeas rationem. Quid de tot Sacramentorum vsurpationibus, tot pœnitentiis & mortificationibus, tot orationibus, tot examinibus, tot conferentiis & exhortationibus, tam frequenti lectione spirituali factum? quonam omnia illa effluxerunt? Quam inde vtilitatem elicuisti? Hoc ergo modo suos quisque defectus considerare debet, quando ad rationem conscientiæ reddendam, & ad generalem confessionem instituendam se disponit, sedulo inspicere & examinare procurando, quænam rima sit, per quam vniuersum suum lucrum ac compendium effluxit & disperijt, vt ipsam deinceps obturare, &

re, & malo remedium in futurum adhibere satagat.

CAPVT IX.

Idem, quod capite priori, pertractatur.

Renouatio est hæc gratiarum actio. *Cap. 8.*

HÆC, quam diximus, votorum renouatio fit præterea in gratiarum pro beneficio accepto actionem, sicut supra Abbatem Arsenium facere solitum diximus. Quotannis enim festum solenne, quinimo quandam velut festiuitatem, in gratiarum actionem, & in beneficij huius immensi, & gratiæ singularis, quam nobis Dominus fecit tunc, cum nos mundi periculis ereptos, ad Religionis portum conduxit (quod totius nostri boni principium, & manifestum prædestinationis nostræ argumentum est) festiuitatem magna gratitudine æquissimum est celebrare. Et quia optima gratiarum actio per opera fit, singulare quoddam haud dubie renouatio votorum Deoque gratissimum opus erit, si ipsa fiat prout oportet, si videlicet vigorem mentis restaurare, & in votis nostris magis confirmari, maiorique ea imposterum perfectione seruare procuremus. Atque hoc est (vti notat S. Gregorius) quod hisce verbis sibi vult Apostolus: *Renouamini spiritu mentis vestra.* Spiritualis scilicet à nobis renouatio petitur, non solum exterior, quæ ore fit. Si qua imago picta, præ vetustate prorsus deformata est, vt iam lineamenta, tractus, & figuræ penè fugiant, & videri dignosci ue prope non queant; eam renouas ac reparas, id est nouos illi colores, lumina, & illustramenta addis, quorum cohonestamento ita grata & pulchra fit, tanquam si recenter & primum ab artificis officina prodiret. Pari modo ipsi in cœpto virtutum studio velut inueterascimus, defatigamur, & marcessimus: quia corpus hoc corruptibile, & natura nostra vitiata, & admodum prona, vi quadam nos post se rapit, nosque sibi similes efficere gestit, vtque suas affectiones malas & appetitus imitemur omnimodis procurat. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Vnde necesse nos est subinde ad nos ipsos reflexionem facere, bonaque nostra proposita & desideria identidem renouare & reparare conari. Quare præclarè S. Gregorius: *Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, Valde necessarium est vt inchoare nos quotidie credamus.* Illud ergo propositum, feruorem & ardorem in mentem reuoca, quo opus hoc eo die auspicatus, quo primum Religionem iniisti; & eodem animo, eadem constantia, & robore pari ipsum iam inchoa. Hoc scilicet propriè est nos ipsos renouare. Et erit profecto hæc optima ob acceptum beneficium gratiarum actio, Deoque acceptissima.

p. 2 tract. 7. c. 6. tract. 8. c. 6.

Lib. 22. Moral. c. 4.

Sap. 9. 15. *Eius necessitas.*

Vbi supra.

Breuem & compendiosam quandam Cassianus exhortationem describit Abbatis Pinufij, qua quendam is Nouitium, quem primum ad suorum cœtum admittebat, cæteris monachis præsentibus & audientibus compellabat; quam si quisq; nostrum sibi dictam existimet, erit illi hæc ad finem renouationis huius consequendum inprimis opportuna & vtilis. Est autem hæc: *Caue ne quid quando eorum resumas, qua renuncians abiecisti.* Id est, Iam totum te Deo tradidisti ac dedicasti, iam quidquid mundi est, à te abdicasti, vide ne quid eorum quæ euomuisti, turpiter repetas. Renunciasti possessionibus tuis omnibus per votum paupertatis, caue ne iam in Religione erga pueriles inanias ac reculas afficiare: quia parum tibi profuerit deseruisse grandia, si paruis & tenuibus his affectum accommodes. Per votum obedientiæ tuæ voluntati ac proprio iudicio renunciasti, vide ergo ne ipsum resumas, sed potius dic cum Sponsa in Canticis: *Exspoliaui me tunica* (id est propria voluntate ac iudicio) *mea, quomodo induar illa?* auertat Deus, ne amplius sim meus. Renuntiasti quoque & repudiasti omnes mundi carnisque delectationes, voluptates ac delicias, itaque da ope-

Lib. 3 de instit. renunc. c. 36. *Salubris monitio Pinufii de renouatione.*

Acceptorũ & expensorum calculatio acer stimulus ad profectum.

Cant. 5. 3.

da operam, ne denuò subingrediantur. Reliquisti & spreuisti denique inanem mundi vanitatem, superbiam, atque omnem hominum æstimationem, vide ergo ne illa in te reuiuiscere ac suppullulare incipiat tum, cum te iam veteranum, ad sacerdotalem dignitatem euectum, scientia & literis conspicuum, magistrali quoque laurea donatum esse cernes, & diligenter aduigila, ne reædificare incipias, quod iam ante destruxeras & demolitus eras, vt loquitur Apostolus. (Hoc quippe esset præuaricari, retrocedere, & respicere, manu iam ad aratrum missa) sed ad finem vsque in paupertate & denudatione, quam Deo obtulisti & promisisti, & in ea humilitate & patientia, qua tot diebus patienter & perseueranter expectasti, dum multis cum lachrymis vt admittereris petebas, perseuera.

Gal. 2. 18.

S. Basilius, Bernardus, Bonauentura adhæc addunt & alia: Considera, inquiunt, quod iam non es tuus; sed quidquid es, & quidquid habes, Dei est: Etenim iam per vota quæ ei nuncupasti, maiestati eius totum te consecrasti & tradidisti; quocirca caueas oportet, ne iam repetere & reusurpare velis, quod iam ante dedisti & obtulisti. Nam *contrectatio rei alienæ inuito domino furtum est.* An non supra diximus eum, qui Religionem profitetur, arborem Deo dare vna cum fructibus? Iam, sicut si quis alteri arborem, ad eam in suo horto transplantandam daret, postea vero fructum eius sibi decerperet, furtum committeret: ita furtum committit Religiosus, qui suam non Superioris, voluntatem facit. Quin imò, inquiunt, sacrilegium id foret, quia circa rem Deo dicatam & oblatam versatur; itaque furtum sacrilegum foret, quod Deo inprimis abominabile est, vti per Isaiam testatur: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Quis vero ex holocausto, quod totum Dei est; eiusque maiestati iam dedicatum & immolatum est, quid furto tollere & decerpere audeat? Quare apposite Sanctus Bernardus, *Nullum sacrilegij crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblata Deo, reaccipere potestatem* Hunc item in sensum & propositum declarat Sanctus Augustinus illud Geneseos: *Tulit Deus hominem, & posuit in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum,* Videamus, inquit, quid per hoc significare Spiritus sanctus voluerit. Voluisse Deum, putas, vt Adam ibidem agricolam ageret, terramque paradisi foderet, coleret ac laboraret? Verisimile sanè non est, ait, eum, antequam peccaret, à Deo ad huiusmodi laborem coactum & condemnatum fuisse. Et quamquam aliquod exercitium, per modum recreationis & delectationis (quale etiam modo in suis hortis non pauci capere solent) statui illi innocentiæ minimè aduersabatur: attamen vt id per viam coactionis & necessitatis vsurparet, nec statui illi conueniebat, nec etiam necesse erat; terra quippe, etiam non laborata, nec culta omnigenum fructum fundebat. Adhæc. Quid sibi vult, quod Deus hominem in paradiso posuerit, vt eum custodiret? Contra cuius vim & insultus eum debebat custodire; quandoquidem nulli tunc erant inimici, nullæ nationes aduersariæ, à quibus timor aliquis impenderet? Nullum quoque à bestijs & animalibus noxiis periculum imminebat; quia ante præuaricationem protoplasti nullum hæc homini, rebusque hominis maleficium inferebant. Et sane si quis ab illis etiam metus impendisset, solus homo tam vastum locum, vti paradisus erat, contra tot animalia custodire non potuisset: opus enim fuisset, tam altum & eminens septum facere, vt serpens illud transcendere proserpendo non potuisset, & ante, quam ipsum conclusum fuisset, omnia serpentia, atque adeo animalia reliqua, quæ in paradiso erant, eodem necesse fuisset excludi. Non ergo Deus in paradiso hominem posuit, vt corporaliter eum custodiret, foderes & araret. Quid sibi ergo vult illud: *Posuit Deus hominem in paradiso, vt operaretur & custodiret illum?* Vt operaretur, inquit Augustinus, præcepta & mandata, quæ ei hic ipse Deus iniunxerat, eaque o-

In regul. fusior. 19. & serm de abdic. rer.
Serm 19. in Cant. De informat. nouit. p. 1. c. 2.
Cap. 3.
Sacrilegiũ est, semel Deo se oblatum, repetere.
Isa. 61. 8.
Epist. 353.
Lib. 8. sup. Gen.
Gen 2. 15.
Quid sibi vult Custodia Paradisi demandata Adamo.

perando

perando, sibi paradisum custodiret, ne videlicet eum amitteret, vti postea, quia illa operatus non est, eum amisit. Hoc iam proposito nostro accommodemus. Ad quid te à Deo putas in hoc Religionis paradiso (ita enim eam sancti Patres non sine ratione nominant) constitutum? Vt opereris illum, Deique mandata & praecepta, necnon Euangelica consilia, quæ Regulis nostris includuntur, custodias: & vt hæc omnia operando, paradisum hunc tibi serues & custodias, neue eum perdas, vti alij, quia custodire nescierunt, perdiderc.


Lib. 8. sup. Gen.
Gen. 2. 15.

Quin & aliam eo loco idem Doctor affert horum verborum explicationem. Obseruat ergo curiose, non dixisse Scripturam, *Posuit eum in paradiso vt operaretur & custodiret paradisum*; sed, *vt operaretur & custodiret illum* quod hoc sensu etiam ad ipsum hominem referri potest, *Vt operaretur & custodiret* (Deus) *ipsum hominem.* Qui etiam sensus magis Doctori nostro arridet. Nam sicuti dicitur homo operari terram, non quia ipse facit vt terra sit terra: sed quia facit vt fœcunda sit & fructuosa, dum eam laborat & colit: ita multo potius Deus (qui de nihilo hominem condidit) eum operari dicetur, dum laborando eum iustum, sanctum & perfectum facit. Deus ergo hominem in paradiso terrestri posuit, vt eum ibi laboraret & perficeret, itaque custodiret, donec tandem è terrestri paradiso eum in cœlestem transferret, sempiterna eum beatitudine donando. Simili ratione, ne ideo te existimes ad paradisum hunc Religionis à Deo perductum esse, vt eum tu labores & custodias (quia meliorem longe is hortulanum, custodem & propugnatorem habet) sed vt ipse te operetur, te virum mortificatum, spiritualem, sanctum, perfectumque faciat, itaque te custodiat, donec à paradiso hoc terrestri ad cœlestem te transferat.

Quid sibi vult Custodia Paradisi demandata Adamo.

Has aliasque id genus rationes & considerationes vsurpemus necesse est, vt tam incomparabili beneficio respondeamus, & renouationis huius fructum, quem oportet, consequamur. Si verò te labor, molestia, & difficultas in hoc aliqua percellat, mox ad animum reuoca ingens illud præmium & coronam, quæ propter hoc te manet, quæque, vt loquitur Apostolus, *magnam habet remunerationem.* Beatus Franciscus identidem suis dicere solebat, *Magna promisimus maiora promissa sunt nobis, seruemus illa, & ad hæc anhelando suspiremus:* atque his verbis, veluti stimulo quodam, eos ad constantiam, & perseuerantiam in bene cœptis animabat. Et dum Fratres Minores professionem faciunt, seque per hæc vota Deo offerunt, ait & spondet superior, *Et ego promitto tibi vitam æternam.* Ergo & ego à parte Dei, vitam æternam tibi polliceor, si, quod promisisti & spopondisti, custodias, & hoc ipsum chyrographo, ab ipsomet Christo obsignato, vt qui in Euangelio dicit, *Et habebis thesaurum* (id est, magnus & gloriosus eris) *in regno cœlorum,* tibi spondeo & asseuero.

Consideratio præmij ad laborem stimulat.
Heb. 10. 35.
1 p. L. 1. c. 51. hist. Minor.



TRACTATVS TERTIVS.

DE VOTO PAVPERTATIS.

CAPVT PRIMVM.

Votum paupertatis, Euangelicæ perfectionis est fundamentum.

Matth. 5. 3.

BEATI pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ab his verbis egregiũ illum sermonem in monte, nec non octo illas beatitudines, Redemptor noster Iesus Christus est exorsus. Tametsi vero nonnulli Doctores & Patres de humilitate verba illa exponunt, alii tamen, nec sine fundamento, de voluntaria paupertate, ac præsertim de illa, quam nos Religiosi profitemur, eadem intelligunt: & hoc in sensu, qui etiam Sancti Basilii & aliorum non paucorum Patrum est, ea nos accipiemus. Et sanè, non exigua huius paupertatis spiritus laus & commendatio est, quod ab ea Saluator noster Iesus illustrem illum sermonem sit auspicatus, eamque vt omnium beatitudinem primam & principem statuerit. Attamen maior eius laus est, quod hanc ipse toto vitæ tempore opere & exemplo nos edocuerit. Hæc quippe prima fuit lectio, quam, dum nasceretur, magnus ille magister de cathedra illa præsepii nobis prælegit. Hoc siquidem nos docet illud stabulum, hoc panniculi illi viles, hoc quod fœno & animalium halitu opus habuerit, vt tegeretur & calefieret. Hæc item postrema eius lectio fuit; quam quo profundius mentibus nostris imprimeret, magis nobis commendaret, in alia illa cathedra crucis prælegit, vtpote totus nudus, & in tanta paupertate moriens, vt etiam, quo iam defunctus sepeliretur, ei collatitia necesse fuerit pecunia sindonem, cui inuolueretur coemere. Ecquænam maior hac esse darique paupertas posset? Quale autem vitæ principiũ fuit & finis, talis fuit & reliqua illius series: quia ne denarium quidem habuit, ad tributum quod petebatur, soluendum; vti nec domum, in quam post laborem sese reciperet, & vbi Pascha cum discipulis suis manducaret: quia omnia ei commodato dari debebant. Vnde etiam de se ipse ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Quia scilicet mundi Redemptor in perfectionis Euangelicæ fundamẽtum ponere paupertatem volebat (*Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*) hinc etiam exemplo ipse suo ita confirmare, asserere, & constabilire voluit.

In regul. breuior. interrog. 205.

Vita Christi & mors paupertatis fuere speculum.

Matth. 8. 20.

Luc. 9. 58.

Matt. 19. 21.

Atque hinc etiam videre est, quam isthoc paupertatis fundamentum Ecclesiæ Christianæ, iam inde ab eius exordio & initiis, profunde impressum fuerit, sicut in actis Apostolorum legimus: neque enim tunc inter fideles locum habebant, Meum aut Tuum; sed omnia illis erant in communi. Qui enim domos aut hæreditates, aut alias quaslibet possessiones habebant, eas diuendebant, & redactum inde pretium ante Apostolorum pedes ponebant, atq; ex eo deinde vnicuiq; prout opus habebat viritim diuidebatur. Notat hoc loco curiose & solerter Hieronymus; ideo fideles pretium ante pedes Apostolorum

Ecclesiæ primitiuæ paupertatis amans. Act. 4. 32.

Hier. Epist. ad Demetriad.

rum ponere solitos, *vt ostenderent pecunias esse calcandas*, contemnendas, & sub pedibus proterendas. Quin imo S. Cyprianus, Basilius, & idem Hieronymus, & alij docent, fideles passim tunc paupertatis votum facere consueuisse. Idque probant & colligunt è castigatione illa Ananiæ & Sapphiræ, qui quia pretij ex hęreditate sua redacti partem absconderunt, subitanea morte mendacium suum luerunt. E quo colligere est, voti reos ipsos fuisse; nisi enim votum violassent, tam graui supplicio digni non videbantur.

Cyprian. lib. 3. ad Quirin c. 3. Basil serm. de instit. monach. Ep. 8. ad Paulin. de instit monach. & in epist. ad Demetriad.

Hanc itaque doctrinam diuinam secuta Ecclesia, sancti item Patres, atque adeo omnes Religiosorum Ordinum fundatores votum paupertatis, & necessarium & firmissimum Religionis fundamentum ponunt. Vnde priscam hanc doctrinam secutus Beatus Pater noster, de paupertate agere incipiens, sic loquitur: *Paupertas vt murus Religionis firmus, diligenda, & in sua puritate conseruanda est, quantum diuina gratia aspirante fieri poterit.* Paupertas ergo Religionis cum murus est, tum fundamentum: plane aliter atque in mundo hoc æstimari solent, in quo maioratuum, & statuum fundamentum est opulentia & diuitiæ. Contra vero fit hic: nam status Religiosi, necnon altitudinis perfectionis fundamentum, est paupertas, quia, vt ædificium quod construere debemus, prorsus aliud est & discrepat ab ædificiis huius mundi, ita & fundamentum eius diuersum est.

Paupertas Religionis fundamentum.
6 p. Constit. c. 2. § 1.
Structura sæcularis fundam est opulentia. Spiritualis vero paupertas.

Hoc nos etiam Christus Dominus per parabolas illas Euangelicas docere voluit, dicens: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes incipiant illudere ei dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere cum alio bellum aduersus alium Regem, non prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.* E quibus comparationibus concludit & infert: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Significat ergo, sicut ad bellum gerendum numerosus exercitus, sicut ad ædificandum magna pecuniæ vis requiritur, ita ad ædificium & militiam spiritualem, ante omnia paupertatem, & omnium rerum mundanarum despoliationem desiderari. Hinc locum hunc declarans S. Augustinus, per turris huius Euangelicæ constructionem, vitæ Christianæ perfectionem ait designari; sumptus vero & pecunias ad ædificationem eius requisitas, esse vt quis rebus omnibus terrenis renuntiet, hoc enim si fecerit, liberior, & minus impeditus est ad Deo seruiendum, & à dæmonis, hostis sui, insidiis & insultu securior, eo quod minus habeat eorum per quæ ipsum oppugnare & impetere valeat.

Luc. 14. 28.

Turris Euangelica, perfectio est vita Christiana.

S. Hieronymus & S. Gregorius, hoc ipsum tractantes, in mundum venisse nos aiunt, vt cum dæmone, qui prorsus nudus est, nec quidquam de hoc mundo possidet, pugnaremus: vnde necesse est, vt & ipsi nos ab omnibus rebus mundi denudemus, vt cum ipso confligere possimus. *Nam qui oneratus vestibus cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur; quia habet vnde teneatur* & ab aduersario affligatur solo. *Vis firmiter* & viriliter *cum diabolo dimicare? Vestimenta proijce*, ab omni re terrena te despolia, ne à dæmone aliquid inueniente quod apprehendat, prostratus *succumbas. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui plus possidet, citius vincitur;* quia plura habet, quibus dæmon comprehensis, ipsum ad terram deiiciat. Rogat Chrysostomus, quid causæ sit, cur in primitiua Ecclesia tanta primorum Christianorum pietas esset & feruor, modernorum autem tantus tepor & remissio? Causam esse dicit, quod tunc cum diabolo pugnaturi, nudi in arenam descenderent, ab omnibus sese rebus, bonis & facultatibus denudando: modo autem prodeunt, beneficiis, possessionibus, & hono-

Apud Eusebium de morte Hieronym. Greg. Hom. 32.

Super illud Act. 2. Et appositæ sunt in die illa.
Cur primi Christiani tā fuerint feruidi.

honoribus vestiti: hæc autem indumenta magno illis impedimento sunt & obstaculo. Hanc igitur ob causam diuitiis renuntiemus, & omnia quæ mundi sunt, à nobis abdicemus, vt ita liberi, expediti, deonustique melius cum dæmone decertare, & Christum sequi possimus. *Nudus athleta fortius dimicat, natator exuitur vt fluuium transeat, viator reiectis sarcinulis bene cursitat.*

Quapropter primum, quod in Religione concepimus votum, est paupertas, quoniam ea omnium aliorum est fundamentum. Sicut enim Apostolus omnium malorum radicem esse ait cupiditatem, ita omnium bonorum & virtutum radix & fundamentum est paupertas. Vnde S. Ambrosius, *Vt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum*: quia cui pecunia suppetit, is modos & vias inuenit, vt quæcumque vitia & peccata mente concepit, opere ipso ea exequatur: *sic harum abnegatio* propter Christum, *generatrix est, nutrixque omnium virtutum* Sicut videre erit, si per harum singulas discurramus. De humilitate quidem ait S. Gregorius: *Paupertas bonis mentibus solet esse custodia* conseruatioque *humilitatis*. Castitatis autem conseruandæ quam efficax medium paupertas; & cum in victu, tum vestitu austeritas sit, in aperto est, ac nemini non notissimum. Idipsum quoque de abstinentia & temperantia dicendum. Pari modo de virtutibus reliquis discurrere possemus. Hinc non immerito sancti Patres paupertatem vocant virtutum cunctarum modo quidem custodem & magistram, modo matrem. Postremo hoc nomine eam in Constitutionibus vocauit B. P. Noster; *Diligant*, inquit, *omnes paupertatem vt matrem*. Ipsa namque, ceu bona & vera mater, virtutes cæteras in animabus nostris progignit, nutrit & conseruat; ipsa quoque est, quæ disciplinam Religiosam in flore & vigore conseruat. Vnde etiam videmus, Religiones quæ à primæua sua paupertate desciuerunt, à Religionis integritate defecisse, & esse ceu filios matri dissimiles & degeneres. Quamobrem erga sanctam hanc paupertatem, velut erga matrem carissimam afficiamur; idque non qualicumque & vulgari quodam amore, sed intenso, tenero, reuerentiali, & appretiatiuo. Vnde etiam B. Franciscus paupertatem, dominam suam appellare non dubitabat; itaque in Regula Monialium S. Claræ sic loquitur, *Obligamur ad dominam nostram sanctissimam paupertatem.*

1. Tim. 6. 10. — *Paupertas est radix omnium virtutum.*

Humilitatis fons. Lib 21. c. 12. Moral & lib. 26. c. 24. Castitatis custos.

Mater virtutum est S. Ignatio. p 3. Constit. c. 1. §. 25 & reg. 24. Summarij. Conseruatrix disciplina Religiosa.

Dominam suam vocat. S. Francisc. Bonauent. in vita S. Francisc. cap. 7.

CAPVT II.

De incomparabili præmio, quo pauperes spiritu à Deo Opt. Max. donantur.

ADolescens ille Euangelicus, ad perfectionem adspirans, cuique exacta mandatorum legis obseruatio satis non erat; postquam à Christo audiit, vt, si perfectus esse vellet, venderet vniuersa quę possidebat, eaq; in pauperes elargiretur; contristatus inde abijt, eo quod amplas facultates haberet, & perdite erga easdem afficeretur, ac propterea animus illi ac robur ad easdem deserendas deesset: defecit eum videlicet sumptus, ad illam perfectionis Euangelicæ turrim ædificandam necessarius. Ne itaq; idipsum etiam nobis contingat, sed animus & vires, ad omnia quæ in mundo sunt deserenda, omniaque generosa mente proculcanda, suppetant: Saluator noster Christus ingens illud præmium, quod propterea consecuturi sumus, ob oculos nobis ponit *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Vide, num æqualis & æquiualens futura sit commutatio, si omnia quæ in terra sunt, pro regni cœlestis comparatione tradantur: & , num prudens futurus sit mercator ille, qui omnia sua abdicabit & impendet ad thesaurum hunc comparandum? Acute inprimis notat S. Bernardus Christum de hac beatitudine non esse locutum,

Matth. 19. 21.

Matth. 5. 3.

Serm. 4. de aduentu.

Regnũ Cælorum est iam & erit pauperis spiritu.

eũtũm, in futuro, vti de aliis, *ipsorum erit:* sed in præsenti, *ipsorum est regnum cælorum.* Iam tum ergo regnum cœlorũ tuum est, esto id nondum tibi traditum donatumue sit: quia ipsum mundi rebus, quas deseruisti, comparasti. Quemadmodum si centum aureos pro vase aliquo aureo, vel gemma pretiosa, quam venditor adhuc domi suæ habet, persoluas, illa iam tum reipsa tua est, esto nondum tibi eam venditor tradiderit, quod ære tuo tibi coemeris: pari modo regnum cœlorum iam tum ad pauperem spiritu spectat, quod ipse id omni eo quod possidebat emerit: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem bona pretiosa margarita, abijt & vendidit omnia quæ habuit & emit eam.* Itaq; sicut ille margaritam pretiosam facit suam, auro suo pro ea dato: ita tu regnum cœlorum fecisti tuum, quia omnibus quæ habebas, illud comparasti.

Matt. 13. 43.

Prærogatiua pauperum.

At non hic promissa Christi stant; longe namque plura pauperibus spiritu promisit. Aliquidne ergo regno cœlorum maius aut dignius haberi potest? Potest. In cœlo namque quædam sunt præeminentiæ: sicut etiam hic in terra diuersæ sunt generosorum militum laureæ & præmia. Magnam ergo pauperibus spiritu præeminentiam & prærogatiuam præ reliquis omnibus beatis spondet. Postquam adolescens ille, qui facultatibus suis remittere nuncium nolebat, iam abiisset, dixissetque Redemptor, *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum,* ecce tibi Petrus, reliquorum omnium nomine in medium prosilit, & ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quibus Dominus mox respondit, *Amen dico vobis, quod vos secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel.* Declarant hoc loco sancti Patres, isthanc dignitatem & prærogatiuam generaliter de omnibus iis intelligi, qui Apostolorum in statu paupertatis, per vota confirmato, erunt imitatores: vel sunt Religiosi, modo in Dei gratia ex hac vita decedant. Docent ergo illam omnibus his præeminentiam & dignitatem dandam, quod in vniuersalis iudicij die, ante diuinum tribunal astabunt, tum vt iudicentur, tum vt vna cum Christo Iudice sint assessores, & vt tales, illius sententiam ratam habeant & confirment. Ita id expressis verbis docent S. Augustinus, Beda, Gregorius Magnus, & ad hoc propositum adferunt illud Isaiæ, *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius.* Necnon illud Salomonis in Prouerbiis, loquentis de Ecclesiæ sponso, *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Hos quippe esse dicunt Principes, vna cum Christo mundum iudicaturos: & senes & senatores, qui cum sponso Ecclesiæ, id est Christo, in supremo iudicij die in tribunalibus considebunt.

Matth. 19. 27.

Religiosi & pauperes sedebunt iudicaturi.

Epist. 89. *ad Hilarium.*
Homil. in natali S. Benedicti.
Lib. 10. *Moral. c. vlt.*
Isa. 3. 14.
Prouer. 31. 25.

Soli paupertatis voto obstricti putantur iudicaturi.

Nonnulli quidem dignitatem hanc etiam ad omnes omnino sanctos canonizatos extendere volunt: at communis opinio, quam D. Thomas sequitur, est, dignitate hac solum donandos illos, qui paupertatis statum professi fuerunt, etsi alioquin Diuorum catalogo asscripti non sint. Et multas adferunt Theologi ac Patres rationes & congruentias, easque non contemnendas, cur hac præeminentia potius donentur ij, qui hanc voluntariam paupertatem professi sunt, quam reliqui beati. Quocirca conuenienter admodum cum Propheta hic exclamat S. Gregorius, *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Id est, Benedictio, & laus & honor sit tibi Domine, qui amicos tuos ita honoras, ac præsertim eos qui voluntariam propter nomen tuum paupertatem professi sunt. Neque enim satis tibi est, regnum cælorum iis dare, sed etiam illustres & inclytos Principes eos ibidem facis, vt vniuersales tecum mundi totius sint iudices.

Psal. 138. 17.

(∴)

Ca-

Caput III.

Non solum in altera vita, verum etiam in hac, pauperes spiritu remuneratur Deus.

NE vero existimes præmium totum in alteram vitam tibi reseruari, solutionemque nonnisi ad creditum, & post longum tempus soluendam tibi assignari, cum tamen tu prompta pecunia emas; noris, non in altera vita solum, sed & in hac pauperes spiritu à Deo remunerari solere, & quidem magno cum prouentu, & quam amplissime. Nam, quia nos homines ita proprium lucrum spectamus, & commodo visibili & præsenti adeo mouemur, vt, nisi ipsum appareat, animo cadere aut languere videamur; propterea tenuitati infirmitatique nostræ Dominus condescendit, & ne quidem in hac vita eos, qui omnibus propter nomen eius renunciant, carere præmio voluit: vnde post priorem sponsionem ilico subnectit:

Matth. 19. 29.

Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.

Centuplum huius vitæ pauperum.

Centuplum porro quod accipiet, tam de acceptione in hac vita, quam de altera futuro danda intelligendum est. Ita namque id ipsemet Dominus apud S. Marcum declarat: *Accipiet*, inquit, *centies tantum nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.*

Marc. 10. 30.
Luc. 18. 30.

Quod propter Christi paupertatem vltroneam assumpseris, non modo postea vitæ perpetuæ præmium & coronam, verum etiam in hac vita centuplum recipies.

Lib. 3. in Matth.

S. Hieronymus vero illud *centies tantum*, de bonis spiritualibus intelligi debere vult: *Qui carnalia pro Saluatore dimiserit, spiritualia recipiet, quia comparatione & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero centenarius numerus comparetur.*

Centuplum in bonis spiritualibus.

In collat. vlt. Abbat. Abraham. c. 26.

Cæterum Cassianus id etiam de bonis exterioribus declarat, aitque nos Religiosos etiam quoad illa centuplum in hac vita recipere, vti colligere est è verbis, quæ eo loco statim S. Marcus subiungit.

Etiam exteriorib. puta in domibus, agris &c.

Quod ad litteram adimpleri nimis quam manifeste videmus; quin & quotidie ipsum dicimus ac promittimus iis, qui de nouo ad Religionem accedunt: Reliquisti domũ vnam propter Christum, iam tot & alias eius loco habes; omnes quippe domus totius Ordinis tuæ sunt, quia eas tibi Deus in hac vita pro vna quam reliquisti, attribuit.

In patribus fratribus.

Vnum patrem & matrem reliquisti, & eorum loco tot tibi Deus dat patres, qui sane maiori in te amore feruntur, quam ij quos deseruisti, magisque de te solliciti sunt, & magis ea quæ ad bonum tuum spectant, procurant. Fratres tuos reliquisti, & iam multos nouos hic fratres inuenis, qui magis te diligunt quam illi, quia te in Deo & propter Deum, sine vllo ad proprium commodum intuitu amant; mundani veto fratres, nonnisi proprij commodi & vtilitatis causa diligunt, & tantũ tunc, quando opera tua opus habent.

Quot fratres, totidem seruos habes.

Seruos aliquot deseruisti, & forte etiam nullos habebas: hic vero tot habes qui tibi seruiant & obsequantur, alius quippe obsonatoris, alius dispensatoris, alius coqui, alius refectorarij, alius denique tibi infirmarii officium præstat; &, quod maius est, si in Castellam, Lusitaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Indias vtrasque, aut in aliam quamcumque mundi regionem abeas, tibi domum paratam inuenies, necnon eos qui hæc tibi officia certo præstent, & qui eadem tibi cura & diligentia ministrabunt, vt nullus sit in terra Princeps, qui tam late patens, & ita obsequens famulitium habeat. An non hoc est centies tantum in hac vita, & plusquam centies in altera accipere?

Quid porro de his ipsis rebus dicam quas reliquisti? Etiam quoad has plus multo hic habes, quam in mundo, & centuplo amplius,

amplius, quam propter Deum in hac vita reliquisti: quia habes hæc omnia, & magis rerum & opum mundanarum Dominus & possessor es, quam ipsimet diuites. quia non ipsi facultatum & diuitiarum suarum Domini sunt, sed tu; quippe earum serui sunt & mancipia. Hinc sacra Scriptura eos vocat *viros diuitiarum*; non ait diuitias virorum, sed vice versa, *viros diuitiarum*; vt ostendat diuitias ipsis dominari: ipsæ enim præcipiunt, mandant, imperant, hi vero serui & mancipia earum sunt: quia illis obsequenter seruiunt, & illarum causa laborant, cum in iis comparandis, tum in amplificandis, tum in conseruandis; & quo maiores opes & possessiones habent, eo vilius ancillantur, magisque sunt serui; maiore quippe eos propterea opus est cura intendere, & laborem intensiorem adhibere. Vnde Sapiens, *Saturitas diuitis non sinit eum dormire:* in molli enim lecto noctu se versat & reuersat, quia diuitiæ & opes ei somnum eripiunt. At Religiosi, quam sine omni cura & labore, & non curando an cara, an vilis sit annona, an felix, an vero tenuis eius fuerit prouentus, omnia nihilominus habent. *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*, ait Apostolus. Ita sine omni prorsus cura & molestia viuunt, quasi qui nihil habent, & nihilominus in hac securitate & incuria nihil ipsis deest, sed habent omnia. Quid vero dicam de gaudio? Næ centuplo isthic maius habemus, quam in sæculo habebamus. Id si credere nobis, interroga mundanos, & quidem eos qui inter eos sunt felicissimi; & videbis quibusnam ad singula prope momenta molestiis & amaritudinibus angantur: à quibus nos Religiosi prorsus immunes sumus. Quid de honore? Centuplo maiorem in Religione habes, quam in sæculo habebas: quia viri illustres, Principes, Prælati, qui, si in mundo mansisses, nullum tibi honorem detulissent, imo ne quidem aspicere voluissent, cum hic te in detrito laceroque habitu vident, magno te honore prosequuntur, & officiose colunt. Quid deniq; de quiete & tranquillitate? Profecto omnimodis centuplo magis nobis in Religione dat Deus.

Pauper Dominus & facultatum, diues autem seruus.

Diuites sunt misere fœlices.

Eccles. 11.

2. Cor. 6. 10.

Centuplo maius capiunt gaudium.

Honor Religiosorum centies auctior.

Tranquillitas multis modis serenior.

Quo spectant cuncta hæc? Nostin' quo? Vt ab omnibus mundi rebus expediti & liberi, easque parum curantes, cor nostrum ad cœlestia sustollamus, vt, quam in rebus mundanis procurandis, iisque quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt conquirendis, diligentiam adhibere debebamus, eam in magis placendo Deo, & vt quotidie in virtute & perfectione crescamus, adhibere satagamus; secundum illud, quod de filijs Israel Propheta ait, *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Idem quoque per Ezechielem Prophetam DEVS significat, de sacerdotibus suis loquens: *Non erit eis hæreditas, ego hæreditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israel: ego enim possessio eorum* Propterea itaque nostris ipsi hæreditatibus & possessionibus renuntiamus, quia Deus nostra esse hæreditas & possessor vult. Beata ergo Religiosi sors, quod talis ipsi hæreditas & possessio obtigit; *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Hæreditatis nostræ sors & portio in meliore & feliciore parte obuenit, quia fratribus nostris contigit terra, cœlum nobis. *Dominus pars hæreditatis meæ*, & sors mea. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* Dicebat itaque S. Franciscus, paupertatem, cœlestem quandam & diuinam virtutem esse: per illam namque omnia terræ huius bona despiciuntur & pedibus proculcantur, omniaque impedimenta & tricæ tolluntur, vt anima ab omni eo, quod mundi est, expedita & soluta, liberius & sine vllo obstaculo cœlestibus duntaxat intendere, Deoque se vnire & coniungere queat.

Ps. 104. 44.

Ezech. 44. 18.

Deus hæreditas pauperum.

Psal. 15. 6.

Psal. 15. 5.

Paupertas Cœlestis est Virtus S. Francisco.

§) o (§

CAPVT IV.

In quo paupertas spiritus consistat.

SAtis Redemptor noster Iesus declarat, in quo paupertatis illius,quam nos Religiosi profitemur, perfectio consistat; nimirum in illis verbis, *Beati pauperes spiritu*. Spiritus ergo, voluntatis & affectus paupertatem esse debere dicit. Non satis est, diuitias & facultates mundi exteriori modo relinquere: sed debent & corde animoque relinqui. Illa scilicet est paupertas spiritus: nimirum quæ non corpus solum, sed & spiritum & cor ab omnibus impedimentis liberat, & ab omni erga res terrenas affectu ac pedicis expedit: vt ipse liber, & ab sæcularibus & terrenis omnibus expeditus, libere & sine vllo impedimento Christum sequi, penitusque se perfectioni (qui finis est qui spectatur,& ob quod Religionem iniimus) tradere possit. S. Hieronymus serio diligenterque hic ponderat id quod Redemptor Iesus S. Petro dicenti: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis?* respondit: nempe, *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me.* Nota, inquit Hieronymus, non dixisse Dominum, *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia:* sed, *vos qui secuti estis me* Nam omnia relinquere, possunt & fecerunt Diogenes, Antisthenes,& alij non pauci Philosophi: quorum vnum, nomine Cratetem, patria Thebanum, idem Hieronymus scribit,cum multa possideret, & Athenas ad Philosophiæ & virtutum studium iam abire vellet, ne in hoc sibi diuitiæ impedimento forent, omnes suas facultates & possessiones vendidisse, & magnam auri vim ex iis redactam vno in mare impetu abiecisse, dicendo: *Abite pessum mala cupiditates,ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Phocion Philosophus, quem paupertatis amantissimum fuisse scribunt,cum centum illi talenta (id est,ad computum nostratem, sexaginta aureorum millia) mitteret Alexander Magnus, petiisse ab eadem afferentibus fertur, Cur isthanc mihi pecuniam Alexander mittit? Respondentibus illis, Ob solam virtutem tuam, & quia te inter omnes Athenienses virum optimum & integerrimum reputat, ait Phocion: *Sinat igitur me esse talem* Atque hoc dicens,aurum accipere noluit. Tam celebre porro inter omnes Græciæ Philosophos hocce Phocionis factum & dictum fuit, vt ad multos dies aliud inter ipsos non quæreretur, quam, vter fuisset maior, an Alexander tantum auri offerens, an vero Phocion ipsum repudians, hocque eius responsum: Si me vt virum bonum & virtutis studiosum habet, eum esse me sinat,neue diuitias mihi mittat, quæ,quo minus sim, impedimento sint. Et horum plurima adferre possemus exempla. E contra S. Augustinus & Hieronymus docent, nec aurum nec argentum vllum homini nocumentum adferre,& hoc multorum Patriarcharum, & sanctorum veteris testamenti exemplo probant, vtpote qui multas possederũt facultates,vti fuere Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph Patriarchæ, qui in regno primus à Pharaone fuit, & dominatus in tota terra Ægypti. Nec non Daniel, & tres eius socij, qui in Babylone magna cum potestate & imperio dominabantur: sicut & Mardochæus & Esther in vniuerso regno Assueri: denique Dauid, Iob,& alij permulti: qui inter amplas opes & mundi splendores, primariam paupertatis huius spiritus partem habebãt,eo quod animum & cor iis non adiungerent, nec affigerent, sed exacte illud Prophetæ seruabant, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Vt ergo ad propositum materiæ punctum veniamus, duo potissimum ad hanc paupertatem spiritus, quam nos Religiosi profitemur, requirũtur. Primum, vt reipsa & effectu omnia quæ mundi sunt dimittamus & renuntiemus: sicuti per votum paupertatis id facimus. Secundum, vt hæc ipsa

Matth. 5. 3.

Diuitiæ etiam affectu relinquendæ sunt.

Matth. 19. 28.

Epist. ad Iulia. Diacon. & epist. ad Paulin. & lib. 2. cõtra Iouinianum.

Crates magnam auri vim in mare abijcit.

Phocion ethnicus homo repudiat sexaginta aureorum millia.

Maior phocion Alexandro pecuniam offerente.

Epist. ad Hilarium. Epist ad Saluinam de seruan. virginit.

Dan. 2. 49.

Psal. 61. 11.

Duo requiruntur ad paupertatẽ spiritus. Primum. Secundum.

ipsa toto etiam affectu & corde relinquamus. Et secundum hoc præcipue & maxime requiritur, vt animus iam liber & expeditus, Deo se & perfectioni totum applicet. Hinc etiā docet S. Thomas, primum illud (scilicet reipsa omnibus renunciare) ad hoc secundum ordinari, vt ita facilius omnem erga eadem affectum exuamus; quia id efficax quoddam mediū est, ad sequentem hunc effectum assequendum: & ad hoc ipse adfert illud S. Augustini, *Terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita:* atque inde longe difficilius est tunc affectum erga illa exuere, quam dum non possidentur. Multo enim facilius est nolle quod de facto non habetur, quam deserere & abdicare quod iam habetur: quia quod non habetur, non curatur, & parui fit velut extraneum quid; at quod quis iam reuera habet, id ei vnitum & incorporatum videtur: hinc dum id relinquit, perinde dolet, inquit D. Thomas, & dolorem sentit, ac si membrum aliquod sibi præsecaretur.

2. 2. q. 186. art. 3.

Epist. ad Paulinum.

Difficilius est relinquere quod possederis, quam respuere quod non habueris.

S. Hieronymus, Augustinus, & Gregorius occasione illorum D. Petri ad Christum verborū, *Ecce nos reliquimus omnia:* egregie id ostendunt. Dicit quippe Gregorius, *Grandis fiducia: Petrus* (& reliqui Apostoli) *piscator erat, diues non fuerat cibos manu & arte quærebat:* nihil habebat præter meram miseriam & inopiam, cymbam rimosam, & retia quædam semitrita: *& tamen loquitur confidenter, Ecce nos reliquimus omnia.* Sed bene respondet S. Gregorius; Merito, inquit, ita loquuntur, quia *in hac re, fratres carissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum* qui relinquitur: *multum relinquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit Certe nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus, & Andreas* (& reliqui) *dimisit, quando vterque etiam desiderium habendi reliquit* Multum sane is relinquit, qui deserit omnia quæ habet, necnon suum habendi desiderium ac voluntatem. Idem quoque dicit S. Augustinus: *Piscatores vocante Domino quod naiculas & retia dimiserunt, omnia se dimisisse, & Dominum secutos esse commemorando lætati sunt Et reuera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit.*

Matth. 19. 27.

Hom. in Matth.

Multum amore Dei relinquit, qui quæ habere, & desiderare potest, relinquit.

Epist 34. ad Paulinum.

Hoc magnæ consolationis futurum est nobis, qui quia pauca possidebamus, etiam pauca dimisimus. S. Augustinus de semetipso loquens, quod videlicet cuncta quæ habebat vendidisset, & deseruisset, ait: *Nec enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur: nam nec Apostoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit.* Tantum quis propter Deum relinquit, quantum propter illum optare & velle relinquit: atque idcirco totum mundum & omnia prorsus dimisisti, si affectum & desiderium dimisisti non modo eius quod iam habebas vel habere poteras, verum etiam omnium quæ & velle & desiderare poteras Quocirca etiam cum Apostolis gaudere & dicere re fas est, *Ecce nos reliquimus omnia* Vnde qui multum in hoc mundo possidebat, non propterea pluris se faciat, neque idcirco multum se deseruisse arbitretur: nisi enim simul desiderium erga omnia quæ velle & desiderare poterat, exuat, parum sane dimittit. Nec ille amplius longe dimisit, qui simul omne erga cuncta mundi bona desiderium dimisit.

Epist 89. ad Hilarium.

Totū mundum & omnia relinquit, qui quæcunque, animus potest velle, & optare, relinquit.

Matth. 19. 27.

In hoc ergo primaria & potissima paupertatis huius spiritus pars consistit: in hac inquam affectus à rebus omnibus diuulsione, alienatione, & despectu, vt nimirum omnia mundana & creata pedibus proteramus, & ceu stercora arbitremur, vti dicebat Apostolus, *Omnia arbitror vt stercora, vt CHRISTVM lucrifaciam* Cuncta nobis sunt, vt Christum lucremur, proculcanda, spernenda & parui ducēda Hi quippe sunt pauperes spiritu, quos ipse beatos vocat. Nec sine ratione: non solum, quia ipsorum iam est regnum cælorum, vti supra diximus, verum etiam, quod iam tum magna quadā satietate gaudere incipiant; quæ quædam est in terris beatitudo & felicitas. Neque n. vera

In paupertate spiritus caput est exuere rerum omnium affectum & cupiditatem.

Pauper spiritu omnia arbitratur, vt stercora.

Phil. 2. 8.

Lib. 3. de consol.

hominis beatitas & felicitas, iuxta Boetium in eo sita, vt multa possideat, sed vt desideria sua plene adimpleta videat. Et S. Augustinus ait, *Beatus est qui habet quidquid vult, & nihil male vult.*

Lib. 3. de Trin.

Hanc porro beatitudinem magis habent qui pauperes spiritu sunt, quam potentes & opulenti mundi huius: quia pauperes spiritu habent quidquid desiderant; cum nihil desiderent præter id quod habent: hoc contenti & saturi sunt, nec amplius quid cupiunt; quin imo omnia illis superesse & redundare videntur. at diuites huius sæculi nunquam pleni sunt, nunquam contenti: nam, iuxta Sapientem, *Auarus non implebitur pecunia*; & cupiditas *nunquam dicit, sufficit.* quia hæc omnia appetitus eius satiando & replendo adeo non sufficiunt, vt etiam eum excitent & adaugeant. Sicut hydropicus quo plus bibit, eo amplius sitit, ita & auarus semper habere plura concupiscit.

Pauper spiritu beatus est, quia nihil ei deest.

Eccles. 5.9.

Auarus miser est, quia semper ipsi multa desunt.

Iuuenal. Sat. 14.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. & quantumcumque possidet, semper tamen inhiat iis quæ sibi desunt, & semper plura habere desiderat; quia non curat ea quæ iam de facto habet, sed quæ habere posset: ac magis eum cruciat & angit id quo caret, quam recreat & delectat id quod habet. hinc perpetuo in angore & cruciatu degit, dum semper plura habere sitit, desiderat, & procurat.

Plutarch. lib de tranquill. animi c 69.
Val. Maxi.

Alexander Magnus cum Anaxeroncium, vel Anaxarchum Philosophum disserentem docentemque audiret, infinitos in mundo mundos esse, flere cæpit. Caussam sciscitantibus suis, respondit, An non immerito lacrymari posse videor, quod, cum tot supersint (vti ille docet) mundi, nondum vnum sub potestatem meam redigere potui? Magis videlicet illum cruciabat desiderium eorum quibus carebat, quam oblectabat omne id quod iā subegerat. Et è contra Crates Philosophus, vili tunicula, & paupere palliolo ita contentus & quietus erat; vt semper festiuitatē solennē agere videretur: abundātior scilicet ac magis contentus, & opulentior sua in paupertate, quam Alexander in totius orbis possessione. Vnde etiam idipsum huic Alexandro Diogenes Cynicus scite venusteq; respondit, vti inter alios S. Basilius refert. Cum enim Rex summa cum paupertate conflictantem hunc Philosophum cerneret, ait illi, Multis rebus opus habere videris: has à me petito, & accipies. Respondit Diogenes: Vtri, tibi, o Imperator, plus videtur deesse: an mihi, qui præter tunicam, & manticam meam nihil quæro, an tibi, qui cum Rex sis Macedoniæ, tanto vitā discrimini exponis, ad regni tui limites dilatādos, & cuius cupiditati ne totus quidem terrarū orbis explendæ sufficit? Equidem te ditior sum & opulentior. Addit autem S. Basilius, bene eum apteque respondisse. Nam, dic mihi, inquit, Vter tibi videtur locupletior, illene cui suppetit, ac nimium est, an is cui deest? In confesso est, eum ditiorem esse, cui suppetit & redundat. Hic porro Philosophus omnia sibi censebat superesse, & nihil deesse omnium eorum quæ desiderabat; quia plura non cupiebat quam habebat: Alexandro Magno vero multa deerant respectu eius quod optabat & habere volebat. Opulentior ergo Diogenes erat Alexandro, & magis deerat huic quam Diogeni.

Alexandrū Monarchā sitis plurīū mundorum cruciabat.

Crates paupertate cōtentus sua felicem latamq; semper vitam agebat.

Hom. 24.

Pauper Diogenes Alexandro Monarcha se ditiorem esse ostēdit.

Adeo vt veræ diuitiæ & gaudium, vitæque huius felicitas non tam in multarum opum possessione, quam in solo desideriorum complemento, & voluntatis satietate consistat: & paupertas non tam in rerum defectu aut carentia, quam in nimia hominis erga easdem fame, desiderio, affectu, necnon in insatiabili illarum habendarum siti & cupidine. Vnde aiebat Plato, *Quæ* (sitis) *si recesserit, qui bonus est, diues quoque fuerit.* Quod Chrysostomus egregio quodam simili declarat. Si quis, ait, tam intensa laboraret siti, vt post vnam situlam haustam, hauriret mox aliam, & iterum aliam: & nihilominus tantum introrsum æstum sentiret, vt satiari prorsus non posset, hunc, etsi magna illi aquarum copia ad manum esset, quam bibere posset, non propterea tamen beatum aut felicem duceremus; sed multo hoc illum feliciorē, qui nec sitim, nec bibendi desiderium in se

Diues & felix est homo, qui bonus est satur: contra pauper ac infelix est, qui nunquam potest satiari.

Lib. 1. de legib.

Cle. Alex. lib. 2 strom.

Diues est instar hydropici, & febrientis semper sitientis.

Pauper spiritu instar sani, & saturi hominis.

se sentiret: quia prior ille instar hydropici est, vel eius quem ardentissima & vehementissima quædam febris adurit; alter verò, tanquam qui bene valet, & sanus est. Hæc ergo est inter diuitiarum & opum appetentiores, & veros pauperes spiritu, qui contenti sunt eo quod habent, nec aliquid ex hoc mundo sibi cupiunt, differentia; quod hi sani & bene valentes, illi ægroti: hi saturi & repleti, illi famelici & sitibundi: hi denique opulenti, illi mendici sint.

Prou. 13. 7. Paradoxon: Pauperes sunt verè diuites, & diuites verè pauperes.

Hoc scilicet per Salomonem Spiritus insinuat: *Est, inquit, quasi diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper cum in multis diuitijs sit,* vtpote semper esuriens, & plura appetens, semperque sibi defuturum quid existimans. Hæc est nimirum miseria, infelicitas & penuria, quam bona & opes mundi huius secum trahunt, quod satiare & vllum possessoribus suis adferre gaudium nequeant: hæc exaduersum felicitas ac beatitudo, quam spiritus paupertas includit, quod beatos efficiat eos, qui ipsam habent; propterea quod hi iam tum in hoc sæculo ingenti quadam satietate gaudere incipiant.

Laert. li. 2. Fulgos. li. 5. c. 22. Pauper Deo simillimus, quia paruo contentus nullius eget.

Socrates eum dijs esse simillimum dicere solebat, qui quam paucissimis egeret, cum dii nullius egeant rei. Atque hic ipse per forum transiens, tantamque rerum venalium multitudinem videns, dicere solitus fertur: *Quam multis rebus ego non egeo!* sed imperita multitudo, auari quoque & cupidi, cum tantam rerum abundantiam contuentur, gemunt ac dicunt, *Quam multa mihi desunt!*

CAPVT V.

De Religiosis, qui cum maioris momenti res dimiserint, in Religione erga minutias ac reculas afficiuntur.

Ex supra dictis, ad nostram vtilitatem discere possumus primò: nisi nos qui mundum & opes & facultates eius dimittimus, simul etiam omnem erga easdem affectum exuamus, verè spiritu pauperes non esse. Hæc namque paupertas in eo consistit, vt non solum corpore & exterius cunctas mundi res missas faciamus, sed & voluntatem & affectum penitus ab iisdem auellamus. Atque hoc potissimum paupertatis spiritualis membrum est. Vnde, si adhuc quidam erga illas affectus in te viuit, nondum eas penitus & ex animo reliquisti; sed vna tecum ad Religionem adduxisti, cum in corde eas tuo adhuc infixas retineas: itaque non verè, sed fictè & mendaciter es pauper: & consequenter nec verus, sed fictus & per speciem Religiosus: cum corpore solum in Religione sis, spiritu vero & animo verseris in mundo. Ergo falso Religiosi nomen habes.

Non est verè pauper spiritu dicendus, qui affectum erga res mundanas non exuit.

Secundò, hinc sequitur Religiosum, qui mundi facultates & diuitias iam contempsit ac missas fecit, si hic in Religione erga minutas reculas, puta cubiculum, vestem, librum, imaginem, aut alia id genus perditè afficitur, verè & perfectè pauperem spiritu non esse. Eadem hic militat ratio quæ antè; quia scilicet primaria paupertatis spiritus pars in affectu erga res mundi, auulsione, & cordis ab iisdem alienatione consistit. Qui vero sic affectus est Religiosus, affectum hunc & amorem neutiquam deposuit: sed quem in sæculo erga res illas amorem habebat, hunc in Religioso statum ad minutas ac nullius momenti res conuertit ac transtulit: & tam cor eius modo erga ineptias hasce pueriles afficitur & adhæret, quam in sæculo erga facultates & opes omnes afficiebatur. Egregiè punctum hoc Cassianus pertractat. Nescio, inquit, quomodo rem quandam ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam vsu venit, exponam: quod, postquam facultates omnes & diuitias, quas in mundo habebant, generose dimiserunt, tanta tamen in Religione erga reculas & minutias contemptibiles sollicitudine & passione ferantur, ac superuacaneas aliquas & impertinentes commoditates tam efflictim quærant & consectentur, vt harum cura nonnun-

Paupertatem spiritus non habet religiosus, qui res minutulas efflictim amat.

Collat. 4. Abbat. Daniel c. 21.

Sæpe religiosi magnarum opum contemptores ad res minutulas nimium adhærescunt.

quam *pristinarum omnium facultatum superet passionem.* Quibus parum profuturum ait, amplas se possessiones & substantiam copiosam deseruisse, eo quod affectum erga eandem haud deposuerint, sed eum ad res friuolas ac minutas commutarint & traduxerint. *Nam vitium cupiditatis & auaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed immutasse se probāt pristinam passionem. Eadē, qua antea, libidine detinentur, quasi vero differentia tantūmodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur innoxia:* & quasi propterea magna deseruissemus, vt affectum & amorem nostrū paruis & minutiis applicaremus neq; enim ad hoc maiora dimisimus: *sed idcirco pretiosiores abiecimus materias, vt facilius disceremus viliora contemnere.* Alioquin enim, si affectus & cupiditas cor nostrum modo constrictū detinet & occupat, quid pluris mea interest, vtrum isthæc circa res magnas, an viles & minores passio versetur; cum ita perditè hic erga nugas & inanias afficiamur, & tāto cor nostrum amore iis affigatur, quanto erga res maiores ferretur? Omnia sanè in idem recidunt; perinde atque idem est, non videre solem, siue oculis aurea, siue ferrea, siue stannea obiecta sit lamina: quia tam illa, quam hæc aspectum hunc impedit.

Æquali in vitio ponitur, siue in parua siue in magna re æque immoderatū affectum ostendas.

Idem quoque declarat Abbas Marcus, in quadā consultatione & colloquio, qua quam alloquitur animam: *Et nos, inquies anima mea cara, nec aurum cumulamus, nec argentum nec prædia possidemus. Et ego respondeo tibi, nec aurum, nec prædia per se detrimentum afferre, sed præposterum illorum vsum* & inordinatum erga eadem amorem. *Quidam enim diuites cum diuitiarum amore minime tenerentur Deo placuerunt, vt S. Abraham & Dauid: nos vero sine diuitijs,* vtpote quas abiecimus, *auaritiæ vitium in materia abiectissima nutrimus: non cumulamus aurum,* vel argentum, *sed res vilissimas congerimus,* & iis affectum & animum applicamus, & tanto eas amore prosequimur, quanto in sæculo aurum argentumue prosequēremūr: & subinde non minus ob has inquietamur & angimur, quam ob illas inquietaremur in sæculo: & fortasse etiam magis. *Principatus, Episcopatus, & dignitates non accepimus,* non aspiramus ad illas, neq; exambimus; *sed omni ratione gloriam & laudē hominum aucupamur,* eamq; quomodocunque possumus, procuramus, gaudemusq; cum vel laudamur, vel magni ducimur, tam ab ijs qui domi sunt, quam qui foris.

Est vlt. opuscul. eius in Biblioth. SS Patrum Tom. 3.

Aurum vel argentum non inficit animum: sed immoderatus erga illa affectus.

Religiosi sæpe ob res minutulæ iacturam turbantur.

Religiosi sæpe in minutiis inordinatos affectus produnt.

Miserabiliores ergo & reprehensione digniores sumus quam ipsi mundani, inquiunt sancti illi scriptores, quod nos indignius & vilius quam ipsi deiecerimus. Esto enim mundani affectum ad aliquid transferant, cum tamen applicant iis, quæ magni momenti & pretii videntur: at nos, cum hæc grandia deseruerimus, ad res viles & tenues amorem transferimus. Ad primam pueritiam redijmus, grandescere deberemus & inolescere, & adolescere, ac cum Apostolo *in virum perfectum* quotidie crescere: & contra plane facimus, dum è viris (quales eramus, dum Religionem intraremus, omnia quæ mundi sunt relinquentes, & viriliter omnia transcendentes) denuo pueri facti sumus, ad inanias & pueriles ineptias animum traducentes. Atq; vti puer, dum pomum illi cimeliaque infantilia auferuntur, quamprimum lacrymatur: ita illi, dum recula, erga quam afficiebantur, carere coguntur, vel denegantur illis petita, statim turbantur & tentantur. Hoc est, quod Cassianus vna ex parte risu, ex altera vero magna commiseratione & compassione dignum ait: quod nimirum vir grauis & Religiosus, cui animus fuit & mundum, & quidquid in eo erat dimittendi, vsque eo se rebus inferioribus, vilibus & minutis submittat, vt se turbet & inquietet (vti turbari solet puer si quando pomum illi negatur) dum nugæ aliquæ pueriles & ineptiæ ab eo sublatæ sunt.

Stultiores sunt religiosi mūdanis eo quod hi rebus grandibus, illi exilibus affectum suum affigant.

Ephes. 4.13.

Religiosi qui mundi opibus valedicentes viriliter se gesserant, minutijs affixi repuerascunt.

Religiosi minutijs affixi pueris similimi.

S. Bernardus ad Monachos quosdam scribens, in hæc verba loquitur: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos monachi, si pro tam exiguis* in Religione *tanta patimur detrimenta,* id est, propter illa,

Ad monach. S. Bertin. Religiosi minutijs

affixi magnam religionis & meriti sui iacturam faciunt.

omne quod hactenus collegimus bonum, & quidquid reliquimus, id disperdamus *Quid enim insipientiæ, imo quod insania est, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus?* Videre vis iacturam? rogat S. Bernardus: *Si mundum contempsimus vniuersum, si abrenuntiauimus affectibus propinquorum, si Monasteriorum carceri mancipauimus nosmetipsos, si denique non venimus voluntatem nostram facere, sed imposuimus homines super capita nostra: quid non oportet fieri, ne fortè contingat hæc omnia nobis in insipientia nostra & negligentia deperire?*

CAPVT VI.

De tribus gradibus paupertatis.

Fucata & simulata paupertas est res quidem mundi, non tamen earum affectum relinquere. Cap præcedenti.

TRes paupertatis gradus à sanctis Patribus, & vitæ spiritualis magistris communiter traduntur. Primus est eorum, qui quidem exterius res mundi deseruere, sed nondum interius, nec per voluntatem: imo vero adhuc erga easdem perditè afficiuntur. Et hos iam ante diximus, non veros, sed fictos esse pauperes, & falsò Religiosorum nomen obtinere. Alter paupertatis gradus est eorum, qui omnia quæ mundi sunt, effectu simul & voluntate dimiserunt, quin etiam hic in Religione omnem erga superflua quidem affectum deposuere, erga necessaria tamen mire afficiuntur, seduloque procurant, ne sibi quid desit eorum quæ sibi necessaria sunt, atque in omnibus, scilicet in victu, vestitu, cubiculo, & omni denique re alia, bene sibi commodeque prospectum cupiunt: vnde si quid in iis defuerit, dolent, conqueruntur & expostulant. Hæc non est perfecta paupertas.

Imperfecta & delicata paupertas est res quidem mundi cum affectu relinquere sed nimia tamen cura res vitæ necessarias prosequi.

Vnde egregiè S. Bernardus: Dolendum sane & deplorandum inprimis est, tot hodierna die reperiri, qui specioso paupertatis nomine gloriantur, & taliter esse paupe- res volunt, nihil vt sibi velint deesse, sed omnia quã abundantissimè suppetere. Hæc non tam inopia & paupertas est, quam copia & opulentia: & quidem tanta, vt ne diuites quidem huius sæculi parem habeant: vtpote quibus non raro multa in his rebus desunt: modo quidem, quia non habent per omnia quæcunque desiderant: alias ne quid de rebus suis expendant, hinc magis ex parsimonia abstinent & se continent, quam nos ex amore virtutis: alias denique quia, esto omnia habeant, & etiam insumere audeant, famuli tamen vsquequaque ad lubitum & mentem ipsis non seruiunt. Tu vero, qui Religiosus es, & paupertatẽ profiteris, quin imo votum eiusdem concepisti, nullam pati necessitatem cupis, & nulla re carere. Hoc non est paupertatis, sed commodorum tuorum amicum & cupidum esse, & velle vt omnia tibi affatim suppetant Forsitan etiam in mundo multo plura nobis deessent. Dissentaneũ proinde ac nefas est, vt in Religione, ad quam venimus vt nos mortificaremus, ac pœnitentiam ageremus, maiores delicias & commoditates sectemur, quam in mundo habuissemus.

Serm. 4. de aduentu.

Idem S. Vincent. tract. de vita spirit. c. 1.

Albert. Magn in paradiso anim c. 5.

Paupertas quæ nihil sibi vult deesse, non est inopia, sed plus quam diuitum omnium copia.

Paupertas proprij semper commodi satagens Religiosum dedecet.

Si ergo ad ipsam paupertatis huius spiritus perfectionem peruenire volumus, si nomen Religiosi prorsus adimplere, & vt vita nostra cum nomine quo dicimur coincidat, vlterius ad tertiũ paupertatis gradum vt transeamus, nobis enitendum est, qui est, *paupertas necessariorum: vere enim pauper, etiam necessaria parui pendit.* Oportet inquam affectum, non solum superfluarum, & quibus haud ægre careri potest, verum etiam necessariarum rerũ deponere: adeo vt etiam in his verè simus pauperes, & affectum & desideriũ quoddã paupertatis ostẽdamus; & esto eis ex toto carere, & prorsus relinquere non possimus, id saltem quod necessarium est, satis parce & limitate vsurpemus; hancq; necessitatem non nimis extendamus aut dilatemus, sed quam possumus arctissimam & angustissimam faciamus, gaudentes semper aliquid quoad hoc, ex amore paupertatis, pati.

Paupertas perfecta etiam res vitæ necessarias negligit.

Paupertas perfecta necessariis parce vtitur.

Scribit

S. Vincent. de vita spirit. c. 1.

Scribit quidam vir sanctus: Laudabile non est, aliquem pauperem esse, nisi dum cum pauperrimus est, eam qua laborat paupertatem diligit, ea gaudet, eam perfert, & quicumque in eadem occurrunt defectus & carentiæ, æquo animo ex amore Christi Iesu tolerat. Qui ergo videre vult, verene pauper spiritu sit, & num in eo proficiat, videat num paupertatis effectibus, nec non eiusdem amicis & sodalibus (puta fame, siti, frigore, defatigatione, nuditate) lætetur. Vide num veste trita obsoletaque, & calceis veteribus læteris: vide num gaudeas, cum quid in mensa tibi deest, quando in re aliqua prætereris, quando quid non vsque adeo ad palatum tuum est: vide denique, num volupe tibi sit, cum cubiculum vsquequaque accommodum non est. Si enim in his non gaudeas, nisi hæc non ames, sed declines, nondum ad spiritus paupertatem peruenisti; quod postea vberius declarabimus.

Vere pauper est spiritu, qui paupertatis delectatur incommodis.

CAPVT VII.

Aliqua ad paupertatem spiritus consequendam, eamque conseruandam media suggeruntur.

AD paupertatem spiritus obtinendam, illiusque conuersationem non parum adiuuabit, primo id, quod B. P. N. in Constitutionibus quoad eandem sanxit: *Omnes nulla re tamquam propria vtantur.* Id ipsemet egregia similitudine indicauit: dicebat quippe Religiosum in omnibus quibus vtitur cogitare debere, se ijs perinde ac statua solet, vestiri & ordinari: nam vti hæc nullo modo resistit dum ornamenta eius auferuntur, nec cur auferantur, quærit; pari modo tu te in veste qua indueris, in libro, breuiario, & omni eo quo vteris geras oportet. Vt si tibi dicatur, vt ipsum alteri cedas, aut eum altero mutes, non magis inde doleas, quam statua cum suis vestibus spoliatur. Si id tali modo possideas, minime id velut proprium duces. At si, cum tali cubiculo emigrare, tale quid à te abdicare, aut cum altero commutare iuberis, magnam in te repugnantiam sentias, vel difficultatem, nec instar statuæ te geras; signum euidens est, id te velut proprium duxisse, propterea quod doleas & angaris, cum ipsum tibi aufertur.

Pauper spiritu nulla re tanquã propria vtitur.
3. p. Constit. c. 1. §. 7. & reg. 24. Summarij. Lib. 5. c. 4. Vita B. P. Ignatij.
Pauper religiosus instar statuæ sinit se hac vel illo vestitu indui, aut exui.

Hanc ob causam sanxit B. P. vt Superiores nostri subinde subditorum suorum quoad virtutem paupertatis & obedientiæ, periculum faciant ac tentent, perinde ac olim Deus, inquit, Abraham tentauit, vt qua quisque virtutem habeat, appareat, hacque ratione illis detur occasio magis in eadem crescendi. Optima quædam probandi ratio, & conuentissimum quoddam ad id quod dicimus, medium est, auferre nobis id quod habemus, & ipsum cum alio vt commutemus iubere. Quocirca S. Augustinus, de affectu erga res hasce terrenas loquens, ait, *Plerumque cum adsunt nobis putamus quod non ea diligamus, sed, cum abesse cœperint, inuenimus qui simus.* Si, dum vel ipse rem aliquam relinquis, vel ab Superiore ea tibi tollitur, repugnantiam vel difficultatem aliquam in te sentis, & fortasse tu te tentas; signum est te nimiopere erga eam affici; ex affectu enim dolor hic & sensus est enatus. *Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit*, ait Augustinus; *& non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur.* Quando sine dolore rei alicui renuntiamus & tristitia, argumento id est, illi nos affectu non adhæsisse, nec perdite eam adamasse: at, quando cum dolore & amaritudine animi relinquimus, indicio est, mire erga eam nos affectos fuisse. Optimum ergo & consultissimum est, vt sæpe nos hisce in rebus Superiores exerceant, cubiculum quod fortasse commodum nobis erat, & erga quod valde affecti eramus, nos mutare, librum quoque carum dimittere, & vestem cum alia incommodiore mutare iubendo; ne quid in huius-

3. p. Constit. c. 1. litt. V.
Paupertas religiosi subinde tentanda.
Lib. 1. de serm. Dom. in monte. & lib. de vera Relig. c. 4. & 48.
Paupertatis specimen edit, qui rem, qua vtitur, libenter relinquit.
Paupertatem suorum recte explorant Superiores per rerum vtensilium permutationem.

modi

modi rebus nobis præscriptione vindicemus. Hac enim ratione paulatim subingredi posset proprietas, & solidissimus hic paupertatis murus, sesim subrui ac euerti.

Exercitium hoc perfrequẽs fuisse legimus apud priscos illos Patres, ne erga friuolum, quod haberent, nimiopere afficerentur, idque sibi velut proprium assererent. Sic S. Dorotheus cum discipulo suo Dositheo fecisse legimus. Cum enim hic illo iubente vestem consuisset, & optime sibi accommodasset, eam deinde Superior illi auferebat, & alteri dabat. Hic porro S. Dorothei liber cum nostra procedendi ratione & instituto optime congruit, & ad multa minuta particulatim descendit. In eo legitur S. Dositheus, cum domus infirmarium ageret, & gladioli cuiusdam & cultri amore caperetur, eum à S. Dorotheo superiore suo, non in suiipsius, sed in nosocomij, cui præerat, vsum petiisse; ex hoc vero audiisse: *Placetne tibi Dositheo? Visne fieri huius gladioli seruus, an seruus Christi? Non erubescis appetere & velle, vt gladiolus hic dominetur tibi?* Quoties id nobis ipsis dicere possemus, Non erubescis, vt puerilis aliqua ineptia dominetur tibi, teque transuersum abripiat? Eum posthac amplius ne tangas. Dictũ factum. Nam ex inde eum Dositheus cultrum in manus non sumpsit. Nostrum vero est hæc non vt inanias, vel pueriles nugas, nulliusque momenti rem ducere: vti S. Hieronymus simili in exemplo præclare scribit: Iis, inquit, qui virtutis valorem & pretium ignorant, nec ad perfectionem puritatemque eius peruenerunt, hæc fortasse ludicra & puerilia, paruique momenti videbuntur; sed reuera non nisi summe cuiusdam perfectionis, & sanctæ sapientiæ sunt, quæ à sapientibus & prudentibus huius mundi abscondita, at humilibus ac simplicibus corde reuelata & manifesta est.

Alterum, quod nobis ad in hac spiritus paupertate inuiolate manendum, mirifice conducet, erit, nihil habere quod superfluum sit. Quod in Societate, singulari Dei beneficio inprimis seruatur. Cubicula quippe nostra perinde sunt, atque illud, quod pia illa Sunamitis in Elisæi Prophetæ vsum, semper instructum & paratum tenebat. Cum enim identidem Propheta per eius ædes transiret, ait viro suo, *Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste: faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi.* Hæc ergo cubiculorum nostrorum esse suppellex debet; videlicet lectulus, mensa, sella, candelabrum, id inquam tantum quod necessarium est. Nequaquam enim apud nos moris est, nec vllo modo permittitur, vt quis cubiculum figuris, tabulis, pictisve imaginibus, aliisque id genus rebus instructum & adornatum habeat; illicitum quoque est sedilia ornatiora, armariola, pulpitumve operis elegantioris, tapetia mensalia, aut ad ianuam prætensa velamina habere, vti & electuaria, tragemata, aut aliud quodcumque delicatius hypotrimma ad nostram, vel aliorum, qui nos visitaturi sunt, consolationem recreationemque asseruare: adeo quidem vt, quo vel pauxillum aquæ bibatur, facultas Superioris petenda sit, & ad refectorium eundum; imo, ne librum quidem habere fas sit, in quo vel linea calamo ducatur, & quem secum quis tollere possit. Negari profecto non potest, quin hæc magna sit paupertas: Simul tamen id non parua quies est, & ingens perfectio. Certum est enim, per isthæc religiosum mire turbari, inquietari & impediri: Etenim hæc non sine magna animi anxietate & distractione haberi, conseruari, & adaugeri constat. Porro dum ea haberi vetatur (vti id apud nos vetatur) nullum prorsus omnia hæc inconuenientia locum habent. Hinc inter alias rationes, ob quas in Societate exteros ad cubicula nostra admittere non solemus (vt alia taceam incommoda, hinc sequi solita) non postrema est hæc, vt hoc pacto suo in vigore melius nostra conseruari paupertas queat. Homines siquidem sumus; nescio autem vtrum, si in cubiculum nostrum veniret nobilis, mercator, aut doctor, cuius confessionem excipimus, tãtum virtutis nobis futurum esset,

S. cœnobita suo ... pan... rebus ... tenebant.

... 3. Bibl. SS. P.

Pauper religiosus rei minutulæ ... aque ... affixus ... rei, non Christi seruus est.

... regul. monast. c. 14 ... m. 4.

Magnum paupertatis est meritum res etiam minimas flocci pendere.

Pauper spiritu nihil habet, quod superfluum.

4. Reg. 4. 9. 10. Quæ sit pauperis religiosi cubicularia supplex.

Quæ sint in pauperis religiosi cubiculo superflua.

Paupertas cubicularis in Societate Iesu.

Per superflua in cubiculo turbatur religiosus.

Ad paupertatem tuendam Societas exteros ad suorum cubicula non admittit.

eſſet, vt ea quam in ipſis præferimus, paupertate contenti ſimus: at vereor potius, ne ipſum libris inſtructiſſimum habere vellemus: nam propter libros ſaltem, me viſitans, vt doctum magnique nominis virum exiſtimabit. Proinde magno hoc nobis eſt ad paupertatem noſtram cõſeruandam, ſuperfluaque nulla habenda, auxilio, ipſumque magni faciendum, danda quoque opera, vt ſemper in eo progrediamur.

Inſigne paupertatis documentum eſt ſi res bellas & ſuperfluas religioſi ſuperioribus in manum tradant.

Optimum quoq; ad in ſancta hac paupertate manendum, medium, ipſumq; inprimis laudandum eſt, id quo religioſi nõnulli vtuntur, dum cunctas ſuas reculas (quas affectiones vocitant) ad Superiorem deferunt, eaſque omnes à ſe abdicant, tametſi eæ alioquin ſint huiuſmodi, vt licitè & præter obedientiæ prætergreſſionem haberi poſſint. In Chronicis Ordinis S. Hieronymi legitur, hoc illius ſub initia exacte ſolitum obſeruari, tamque ſollicite aduigilaſſe Superiores, ne quis religioſorũ ſuperfluum aut curioſum quid poſſideret, vt cum penes aliquem quid aut curioſitatem, aut paruam religioſitatem ſpirans reperiretur, fratres omnes ad Capitulum cõuenire, ibiq; ingenti excitato foco, ipſum flãmis abſumere ſolerent, dicebantq; ſancti hi viri, id genus inanias religioſorũ idola videri. Hoc ergo noſtrũ eſt imitari, & omnia quæ nobis hand ſunt neceſſaria, cubiculis excludere, eaq; à nobis omnimodis abdicare, ad Superiorem ea, ſine vlla eorum redhabendorũ recuperandorumve ſpe deferendo, eique offerendo. Vt aũt hæc à nobis abdicemus, & Superiori offeramus, affectu nos quodã in illa ferri non eſt neceſſe, ſatis eſt, ſi ea neceſſaria non ſint.

Cap. 43. Pauperes ex S. Hieronymi ordine res olim ſuperfluas & curioſas in vnum collatas in capitulo concremabant.

Lib. de informat. Nouitior. p 2 c 9.

Res ſuperflua ad Superiorem delatæ non facile aliis dandæ.

Addit his aliud quid S. Bonauentura, nimirum, ne quidem vt alijs detur (vti nõnullos facere cõſtat) per ſpeciem præmiorum, & ad eos lucrifaciendos, vel ſub deuotionis prætextu, huiuſmodi àquoquam reculas poſſidẽdas videri: quia tandem cor hominis occupant, & diſtractionis magnæ ſunt occaſio: vt taceam, hominem hoc pacto ſe ſingularem facere, & inter alios velut eminere velle: ipſe quippe videtur eſſe is, qui harum rerum in domo velut officinam teneat, & ad quem omnes recurrere debeant. Eſt & aliud, inquit ſanctus ille Doctor, præterea hac in re incommodum, nimirum, quod ſæpenumero id genus reculæ ſine Præpoſitorum licentia alijs dentur (modo quidem, quod inaduertenter id fiat: modo, quod toties ad Superiorẽ cum huiuſmodi nugis recurrere aliquem pudeat) ſimul etiam quod is in cauſa ſit, cur & alij eas ſubinde ſine licẽtia & facultate recipiant: tum quod illas recuſare non audeant, tum ne ei qui illas dat, pudorem incutiant. Atq; ideo in cauſa eſt, cur alij propterea partim ſcandalizẽtur, partim ſerupulũ & remorſum ſentiant. Interdũ quoque per hæc donaria & munuſcula particulares quædam foueri alique ſolent amicitiæ & familiaritates, quas ſancti Patres admodum ſugillant, quod hæ (ſicuti ſuo loco diximus) in ſummum fraternæ caritatis & vnionis præiudicium cedant. Hanc ob cauſam noſtris hæc, ait S. Bonauen. maioribus nõ placent; vti & in religione hac noſtra mire diſplicent. Etſi enim id in nõnullis, ob ea quibus funguntur, miniſteria toleretur, in alijs tamen, ſuperioribus id non placere, & fratribus noſtris ſcandalo eſſe, in confeſſo eſt. Religioſus quippe adeo eſſe debet inops, vt quod det, non habeat. Atque hoc eſt, quod alios ædificat: qui autem minutias & reculas habere geſtiunt quas aliis dent, nec proximum ædificant, nec tanti ab aliis ducũtur. Quocirca æquum videtur, vt in hoc ſancti Bonauenturæ conſilium ſequamur.

1 p. tract 4. c. 18.

Proprietariỹ ſunt mali exẽplũ

Huc quoq; non parum conferet ſi conſuetudinem moremque, in quo ſanctæ paupertatis vritus non mediocriter relucet, & quæ in Societate per Dei gratiam, ſatis exacte vſurpatur, promouere ſtudeamus: quod nimirum cubicula occluſa non habeamus, & ſine particulari Superioris venia nos armarium, pulpitum, arcam, aut aliud quid quod ſera clauditur, habere nefas ſit. Omnia quippe Superiori aperta ſunt & patentia. Adeo vt etiam in ipſo modo habendi ea quæ habemus, & quibus vtimur, dicere palã videamur, Accipe id ibi, ſi velis. Bene autem id ponderauit S. Hieronymus

In Regulis.

Triplex ſera qua cubiculum cuiuſque obſeratur.

ronymus dicens, *Neq; opus ſit clauibus, vt iam ex ipſis monſtretur exteriorum indiciis quod nihil habetur extrinſecum præter Ieſum.* Eſto autem omnia ita in propatulo & aperta ſint, à parte domeſticorũ tamen ea per Dei bonitatem tutiſsima ſunt. Vt enim ipſum facile ſatis & ſecure facere poſsimus, B.P.N. regula quadam particulari ſanxit: Primo quidem, ne quis alterius cubiculũ ſine Superioris facultate ingredi præſumat: qua inhibitionis ſera & claue cubiculum noſtrum melius cuſtodiatur oportet, quam claue quadam ferrea. Deinde ne quis è domo vel fratris ſui cubiculo Præpoſiti iniuſſu quidquam accipiat: quæ ſecunda ſera & clauis eſt, & quidem validiſsima. Omnia obſignat & confirmat ipſum paupertatis votum, quod tertia catena & obſeruatio eſt, eaque ſolidiſsima

1 p. tract. 4. c. 18.

Proprietarij ſunt mali exẽpli

Tribus hiſce ſeris & clauibus, ita fortibus, magis tum cubiculum, tum quidquid eo continetur, à domeſticis tutum & clauſum eſſe debet (etſi omnia pateant & in propatulo ſint) quam ſi ferreis ianuis & catenis obſerata eſſent. Omnes ergo dare operam debemus, vt id paſsim obſeruetur, quo magis in vſu ſit, ac ſemper latius promanet. Magna porro caſtigatione dignus foret is, qui per audaciam ſuam in cauſa eſſet, vt hæc ſimplicitas, ſinceritas, & perfectio, quam Societas quoad hoc obſeruat, violaretur, noſque periculo exponeret, vt rem tam ſanctam, & in qua ſanctæ paupertatis virtus ita reſplendet, immutaremus. Quos grauiter, & verbis efficaciſsimis Sancti Baſilius & Bonauentura perſtringunt.

In Conſtit. monaſt. c. 35. In ſpecul. diſcip. p. 1. c. 4.

CAPVT VIII.

Aliud ſuggeritur medium, quod nobis ad paupertatem ſpiritus obtinendam, & ad in eadem manendum, mirifice conducet.

AD paupertatis ſpiritus conſeruationẽ, & ad perfectionem eiuſdem obtinendam non parum quoq; nos iuuabit, ſi non ſolum ſuperflua à nobis abdicemus, verum & operam demus, vt etiam in ijs quę prorſus neceſſaria ſunt, & quibus plane carere nõ poſsimus, paupertatis virtus reluceat, vt in omnibus iis, pauperes cum ſimus, pauperes appareamus. Hoc nobis S. P.N. Ignatius in Conſtitutionibus præſcribit, & ſecundum commendat. *Victus*, inquit, *veſtitus & lecti ratio erit vt pauperibus accommodata: & vnuſquiſq; ſibi perſuadeat, quod quæ viliſsima erunt ex iis quæ domi ſunt, ei tribuentur, propter maiorem abnegationem, & ſpiritualem profectum.* Et alio in loco. *Diligant omnes paupertatem vt matrem, & iuxta menſuram ſanctæ diſcretionis ſuis temporibus eius effectus aliquos experiantur.* Vult ergo S. P. vt id quod vile, & omniũ peſsimũ eſt, nobis deſideremus: non tamen, vt nonniſi nuda ſemper concipiamus deſideria, ſed vt re & opere ipſo aliquos interdum paupertatis effectus ſentiamus: vt, eſto nunquam deſit quod ad vitam ducendam neceſſarium eſt: ſemper tamen ſit, in quo ſanctæ paupertatis virtus queat probari. Neque vero ſatis illi id fuit ita in genere ſemel & iterum declarare: verum etiam poſtea in ſexta Conſtitutionum parte, ex profeſſo & in particulari explicat ac deſcribit, qualis noſter eſſe veſtitus debeat, vt, cum vna ex parte religioſus ſit, ac miniſteriis noſtris cõueniens, ex altera etiam paupertati quam profitemur, reſpondeat. Tria porro in illo ſeruanda monet. Primum, vt honeſtus is ſit, quia religioſi ſumus. Alterum, vt regionis, in qua viuimus, conſuetudini vſuique ſit accommodatus: propterea quod noſtra viuendi ratio quoad exteriora communis & vulgaris eſt. Tertium, vt paupertati non aduerſetur. Tum autem, vt eo loco declarat, veſtis noſtra paupertati aduerſaretur, ſi è panno ſubtiliori conficeretur. Quem ſi parentes, conſanguinei, amici ac benefactores dare cupiant, illius eſt eum minime vſurpare: neque enim ea pauperis & Conſtitutionibus noſtris conſentanea veſtis foret. Obiiciunt autem nonnulli,

Cap. 4. Exã. gen. §. 2. & regul. 25. Summar.

3 p. Conſtit. c. 1. §. 25. regul. 24. Summar.

3 p. Conſtit. c. 2. §. 3. & littera C.

6 p. Conſtit. c. 2. §. 15. & in declaration.

Veſtitus ſit honeſtus. Conſuetudini accommodatus. Paupertati conueniens.

N 2 panno

panno pretiosiore vti longe vtilius & compendiosius videri, quod ex eo panno confecta vestis diutius duret, quam duæ vel tres aliæ, è panno secundario: proinde maiorem paupertatem videri, si talis ad vsum comparetur. Sed hæ mundi & carnis rationes sunt. Longe quippe potius est paupertatē relucere in veste quā gestamus, & in eo quod pauperes videamur, & ad instar pauperum vestiamur (quoniam pauperes sumus) quam in omni quæ cogitari possit parsimonia & compendio. Adhæc, non in panni qualitate tantum, verum etiam in ipsa vestis forma paupertas eluceat necesse est: nam si quis vestem omni ex parte completam, laxam, & magnificam habere vellet, ea pauperi religioso consentanea ac decens minime foret.

3. p. Constit. p. c. 2. litter. C. Duo tantum P. N. in vestitu spectari vult: Primo, decorem & honestatem; deinde, vt nos à frigoris iniuria defendat. ob hæc enim duo vestis primo vsurpari cæpit, & hic primarius eius est finis. *In regul. fusius disp. interrog. 22.* Est hæc item doctrina S. Basilij, qui ad hoc propositum adducit illud Apostoli: *Habentes alimēta, & quibus tegamur, his contenti simus.* *1. Tim. 6. 8.* Vbi sanctus quidam expositor ait. *Nota, dixisse Apostolum, Alimenta, non oblectamenta: & quibus tegamur, non quibus honoremur.* Satis nobis esse debet solum necessarium; reliquum quod magnificentiam & inanem ostentationem spirat, à religione prorsus est proscribendum, & nullatenus permittendum, quia vanitas & profanitas est. Apage procul hinc hæc omnia: & per hoc ostium & rimam mundus ad nos non penetret. Quam S. Franciscus etiam in sua olim religione hoc timuit! Nam cum F. Helias (vt in Chronicis Ordinis scribitur) *p. 1. li. 2. c. 19.* magni vir in eo nominis, quique etiam vt Generalis Ordinis Minister ei præfuit, vestem sibi longam, amplam, ac manicis oblongis, & è panno subtiliore comparasset, *S. Franciscus actione mirabili ostendit quā Religiosos dedeceat magnificus habitus.* cum S. Franciscus ad se coram multis fratribus vocauit, sibique vestem illam, quam indutus erat, petijt exhiberi. Hanc ergo acceptā protinus suæ superinduit, plicas sinuum eius concinnando, pendens capucium accommodando, & manicas complicatas inuertendo, gestibus quibusdam vanitatem sæcularem spirantibus: Vnde mox erecta ceruice, pectore turgido & inflato, gressu superbo incedere cæpit: ac voce sonora & ad grauitatem composita frātres præsentes compellare, dicens, Saluet vos Deus, gens honorata. Stabant attoniti fratres, visis & auditis ijs, quæ vir sanctus faciebat & dicebat. Hoc porro iam facto, magno quodam feruore & zelo, indignabundus raptim vestē hanc exuit, & quam poterat contemptissime à se procul abiecit, F. Heliæ, audientibus omnibus, dicens. Ita degeneres Ordinis filij, vestiti incedunt. Deinde in habitu suo humili, contemptibili, angusto & curto manens, vultu ad hilaritatem & mansuetudinem composito, magna cum humilitate & familiaritate fratres suos alloqui, ac summa illos mansuetudine paupertatem & humilitatem edocere cæpit. Nos ergo fratres, inquit, non spurij ac degeneres religionis filij, sed legitimi simus, vt omnibus matri nostræ sanctæ paupertati similes appareamus. Vestis nostra talis esse debet, qualis pauperum esse solet, nimirum vt in ea reluceat paupertas, & ex ea pauperes nos esse appareat. Et propterea etiam minus fratres oporteret, quam decenter facere possumus; necnon aliquanto infra eum gradum descendere, quem suo nobis homines iudicio necessarium censent. Neq; enim is in vestitu pauper dicitur, qui quidquid vestium sibi necessarium est, completissime habet, nec in eo pauperem se esse ostendit, sed ille, cui aliquid etiam deest de eo quod necessarium est. *Vera paupertas defi-cientibus necessarijs gaudet.* Vnde etiam supra diximus, veram paupertatem consistere in eo, quod gaudeamus cum aliquem nos defectum & carentiam pati contingit, etiam in ijs quæ necessaria videntur: & eum, qui nullam prorsus necessitatem pati ac perferre vult, nondum ad paupertatis spiritus perfectionem peruenisse.

Quod de vestitu dictum est, etiam est de reliquis rebus quæ ad vsum nostrum seruiunt, intelligendum: nam in omnibus illis procurare debemus, vt sanctæ paupertatis virtus vbique reluceat, & deforis appareat

pareat esse nos pauperes; in cubiculo aliud non habendo, quam quod omnimodis necessarium est, atque id etiam vilissimum, puta mensam pauperrimam, lectum contemptissimum; denique quod domi pessimum est, tibi vt cedat velle debes. Libros vero, qui tibi non pernecessarij sunt ad Bibliothecam communem deferas, magnificum tibi nolito putare quod multos in cubiculo libros habeas. S. Bonauent. hac in parte satis ad particularia & minuta descēdit, religiosum etiam atque etiam monendo, ne quid habeat præter id quo facile carere non potest: atque hoc etiam procurare debet, vt ne sit nimis curiosum, vel elegans; sed secundarium, ineptum, vetus & detritum. Nolito velle, vt libri tui optime & ex arte sint cōpacti, aut vt Breuiarium vel Diurnale tuū curiosum sit, pulchrum, scitum, singulare. Nolito gestare penes te imagines curiosas, neu rosarium magni pretij & valoris. Si quem vero Agnū Dei, vel crucem, vel thecam reliquiariam, ad tuam deuotionem habueris, cōformia ea sint paupertati, quam profitemur: Et, quo in his eris pauperior, eo Deo sanctisque omnibus eris carior. Hinc D. Franciscus dicere solebat, spiritus emortui signum esse, curiosa quædam, & quæ minime sunt necessaria, habere. Nam quibus ait, spiritus tepidus, & calore gratiæ destitutus contegi ac foueri melius potest, quam friuolis hisce reculis? quoniam enim nullam in rebus spiritualibus consolationem inuenit, hinc in exterioribus his delectatiunculis eam quærit. Est autem hæc euidentissima & probatissima quædam veritas. Atque ideo tanti nugas & inanias has Superiores nostri facere solent. Primo quidem intuitu & ratione ipsius paupertatis: deinde, quod norint nullum in homine esse spiritū posse, quando id genus nugis animum applicat. Neque vero in his solum, verum etiam in ijs quæ necessaria sunt (vti iam ante dictum est) pauperes nos esse & videri oportet, gaudentes cum quid etiam in his nobis deerit, quo Christo Iesu Redemptori nostro hac ratione assimilemur. *qui cum esset diues, propter nos egenus factus est*, & tantum, etiam in rebus necessarijs, defectum ac penuriam sentire dignatus est, famem, sitim, frigus, defatigationem ac nuditatem patiendo: In cœlo, inquit, maxima bonorum & diuitiarum erat abundantia, nulla vero inueniebatur paupertas; at in terris ingens quidem mercis huius erat copia, homines tamen mortales eius pretium & valorem non agnoscebant. Quid fecit ergo Dei filius? Ceu prudens mercator, erga mercem hanc affici cæpit, eamq; in humeros sustulit, vt hoc pacto etiam homines eam cognoscerent & æstimarent, & multum sibi ex ea coemerent, cum tanti ipsa in regno cœlorum sit valoris ac pretij.

De informat Nouit. p. 2 c 9.

Pauperi religiosos tiār a reculis abstinendū.

F i. l. 1 c 19 Chonic. Minorum.

2. Cor. 8. 9.

Serm 1. in Vigil Natiuit.

CAPVT IX.

In quo ea quæ dicta sunt, exemplis confirmantur.

ABbas quidam Ordinis Cistercienfis in Saxonia, cum non contentus esset panno, qui in terra patria texebatur, singulis annis subtiliores & pretiosiores è Belgio pannos petebat, è quibus dein vestes sibi parabat. Qui cum iam vita functus esset, monachi vestes eius inter se diuidere cœperunt: Monasterij vero Priori aliquot de tunicis illius obtigerunt, quarum vnam cum nocte quadam ratione festi solennioris, induisset, tanquam si laminas quasdam candentes corpori applicatas sentiret, clamare cœpit, toto se corpore velut aduri: atque hæc identidem vociferans, ilico vestem à se abiecit: Quam mox omnes monachi scintillas quasdam ignitas à se emittentem viderunt, quasi si ferrum candens fuisset. Hoc prodigio attoniti & perterriti omnes, qui aliquid de defuncti Abbatis vestibus sumpserant, statim id eodem detulerunt, quas cum simul omnes accumulassent, ecce subito vndecunque ex omnibus partibus scintillæ igneæ, velut è fornace quadam succensa, prorumpere cæperunt. Tamdiu vero hocce prodigiū durauit, vt de eo omnes vicini Abbates certio-

Lib viror. illust. Ordin. Cistercienf.

Vestis panni pretiosi instar ferrī candentis scintillat.

res reddi potuerint; qui quam primum illuc aduolantes, suis rem oculis notarunt, & de horrendo hoc Dei iudicio testimonium perhibuere.

Cæsarius lib 4 dial. c.12.

Cum vir quidam illustris, quoddam Benedictinorum in Gallia cœnobium grauibus modis diuexaret, statuerunt monachi de suis quendam ad Regem Philippum destinare, qui de ijs quæ iniquè patiebantur, grauaminibus, apud eũ cõquereretur, remediumque exposceret. Miserunt ergo ad curiam monachum iuuenem & nobilem, quem ob parentes & consanguineos in aula claros benigne sperabant à Rege audiendum Is ergo ad Regem cum venisset, dixit: Quidam monasterio nostro granes iniurias intulit, cuius vim rogo vt Maiestas vestra reprimat, & impediat, & ea quę nobis abstulit bona, restituere eum compellat. Rex, monachi vestem & agendi modum considerans, petiit, quisnam esset? Cognito vero eum Equitis cuiusdam celebris filium esse, alia quædam præter rem respondit; donec monachus denuo loqui orsus, ait, Vere, Domine, quidquid in Cœnobio habebamus, iniquus ille nobis abstulit, vix vt quidquam nobis reliquum fecerit. Tum Rex, Facile id apparet ex calceis tuis. Nam si vel pauxillulum corii tibi reliquisset, non essent ij tam angusti. Quo aliis nobilior es, eo esse debes humilior. Eum vero confusum lenire cupiens, addidit; Minime tibi grauis monitio mea videatur, quia ex boni & vtilitatis tuæ amore ea profecta est. Reuertere ad propria; equidem dabo operam, ne quam nobilis ille posthac amplius iniuriam vobis inferat.

Monachus ob vestitum à Philippo Rege reprehenditur.

Cæsarius lib. 4. c 13.

Simile Cæsarius exemplum mox capite sequenti refert de Philippo Rege Romanorum, qui eodem prope modo Abbati cuidam Cisterciensi respondit. Cum enim hic cum Rege de conuentus sui necessitatibus & angustiis ageret, Rexque calceos scitos, & elegantes; quos indutus erat, aspiceret: Satis, inquit, apparet è calceis tuis, domus tuæ res satis angustas esse, cũ ne vixquidẽ coemere queas. Quo respõso Abbas accepto, mire confusus recessit.

1.p li 2 c.20 Chron. Minor

Gardianus quidam Franciscanorum, & B. P. Francisco satis familiaris, quoddam in vsum fratrum oratorium construxit, & iuxta illud cellam, etsi aliquantulum inde remotam, in qua vir sanctus habitare, & orationi se dare posset, cum ibidem commoraretur, atque ideo diutius ibi manere vellet. Erat autem cella è ligno rudites dolato tantum constructa. Ad quam cum Franciscum huc recens appulsum duxisset, vt ipsam inspiceret; ille mox dicere cæpit. Si me, frater, in hac cella habitare vis, intus eam viminibus ramisque arborum circumuestias, vt in his paupertas reluceat. Quod cum factum esset, ad dies aliquot in eadem est commoratus.

S. Franciscus vili cella delectatur.

R. P. Franciscus Borgia, in omnibus rebus suis verum se pauperem, & perfectum virtutis huius amatorem se exhibebat, in vestitu, scilicet, victu, & cubiculo: quin & in rebus minutis, puta in charta cui conciones suas inscriberet, in foco, qui aliquando illi in summa necessitate struebatur, & in alijs id genus rebus: adeo quidem, vt ab eo nulla ratione impetrari posset, nouos calceos, aut caligas nouas vt indueret: semel etiam alij quoad hoc illum fallere voluerunt, nouos in locum veterum antequam surgeret supponendo: sed in irritum pia illa fraus cecidit, & decipi oculatissimus ille paupertatis amator non potuit. Cum eleemosynam ostiatim emendicabat, frustilla & buccellas pannis, quas aut ipse aut alii deforis afferebant, maiori gustu comedebat, quam de integro qui in mẽsa domi ponebatur, pane. Ne quidem in itineribus suis, quantumuis longis & laboriosis, & quantumuis valetudo afflictissima id exigere videbatur, permittebat vt vel vnum mundum linteamen sibi dormituro præberetur, veritus ne id in sanctæ paupertatis præiudicium foret. Non raro, tempore perfrigido, in saccis stramineis, sub tecto imbribus & ventis vndiquaque peruio somnum capiebat: idque tanta voluptate & gaudio, vt sociis suis admirationi & confusioni foret. Illius cudo & penula viatoria tam hieme quam æstate, non erat alia

Franciscus Borgia in omni re paupertatem sectatur.

Frustis panum emendicatis cum voluptate vescitur.

quam

quam pallium complicatum, & quidem inuersum, ne tantum destrueretur. Et velut miraculi loco habendum videbatur, cum aut ocreas aut aliud quodpiam contra pluuiam monimentum admittebat: quod pileo suo diceret, satis & solis æstum, & pluuiæ iniurias posse arceri. Hinc non raro ad diuersoria veniebat, totus perplutus & madidus, & frigore rigens: cum autem hoc in statu ad hospitium veniens, ipsum vel non satis instructum, vel multis necessariis rebus destitutum inueniebat, insolito quodam gaudio perfundebatur. Nulla eius vnquam tanta fuit infirmitas, nullum frigus ita intensum, vt suo in lecto & cubiculo, quoddam ad frigus arcendum velamen obtendi pateretur: cum etiam delicias sapere illi videretur, si vel parua aliqua storea ad lecti caput assueretur, quæ omnia eo in ipso erant gratiora & mirabiliora, quo maiora in seculo reliquerat.

S. Francisc. vili cella dentatur.

Franciscus Borgia in omni re paupertatem sectatur.

CAPVT X.

Ad quid, & quomodo paupertatis voto Religiosus obligetur.

IAm reliquum est, vt in sequentibus ostendamus ad quid in rigore nos paupertatis votum obliget, quando contra ipsum delinquatur, & quando id letale delictum futurum sit. Æquum est namque nosse religiosum quæ sua sit ex ratione status, nec non ob vota quæ fecit, obligatio. Alias tractauimus, quæ perfectionis sunt, nunc tractabimus ea quæ sunt obligationis; quæ semper primum, ac velut fundamentum esse debet, super quod reliqua omnia sunt inædificanda. Quam ergo possumus succinctissime in vnum hic colligemus ea quæ quoad hoc Doctores tum Theologi, tum Canonistæ tradunt, eaque ex ipsomet iure Canonico, & sanctis Patribus deprompta. Votum itaque paupertatis ex se religiosum obligat, ad nullum vllius rei temporalis, sine legitima Superioris licentia, dominium, proprietatem, & vsum habendum. Hæc est communis omnium Doctorum sententia, & expresse in sacris Canonibus declarata.

Habetur. c. cum ad monstar. de Im. mona. c. Monachi eod. tit. c. Ex parte. de eam. & 12 q. 1. c. Non dicatis c. Nolo. c. Expedit. c. Scimus. & Clem. ne in agro Dominico. de statu monach.

Hinc sequitur primo, religiosum ex voti paupertatis obligatione, nullam prorsus rem temporalem habere, possidere, dare, sumere, accipere posse, ad eandem retinendam, ea vtendum, aut de illa disponendum, sine expressa superioris facultate Hoc namq; eius proprium est, qui rei proprietarius ac dominus aut de facto est, aut esse potest: vnde qui secus faceret, votum paupertatis infringeret. Ita id inferunt ac docent Doctores omnes, & ita in sacris Canonibus expressum & declaratum est.

Secundo, hinc consequitur, non solum illum religiosum cōtra paupertatis votum facere, qui aliquid de rebus domesticis, Superiorum iniussu, capit, retinet, dat, aut de eo disponit: verum etiam eum, qui ab externis, puta parentibus, amicis, benefactoribus quid sine Superioris permissu accipit, retinet, vel de eo disponit. Hæc quoq; est communis sententia Doctorum, & in Iure Canonico, velut res certissima, statuta.

Hæc sunt totius huius materiæ principia, ac velut fundamēta; & super hæc struendum, quidquid hic nobis dicendum est, ex hisce principijs cōclusiones, ad casuum particularium, qui occurrere queunt resolutiones, eliciendo.

Omnia hæc S. P. N. in Constitutionibus, de hac ipsa materia loquens, nobis proponit ac declarat, & sunt in regulas eadem relata, vt ea velut in oculis habeamus. Regula quippe vigesima sexta ait: *Intelligant omnes, quod mutuo dare vel accipere, vel dispensare quidquam de ijs quæ domi sunt, minime possunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit.* Ne vero quis putaret, solum contra paupertatem esse, cum sine Superioris venia aliquid è rebus domesticis accipitur & dispensatur; non vero si quid huiusmodi ab externis recipitur, aut de recepto ab illis, Superioribus inscijs, disponitur; hinc secundum hoc in alia regula declarat, dicens: *Nemo*

3. p. Constit. c. 1. §. 8. & reg. 26. Summar.

Reg. 9. Communium.

Reg. 9 Communium.

rem vllam ex domo, vel ex alterius cubiculo sibi vsurpet, aut ab externo quouis modo sibi, aut alii accipiat, sine Superiorū licentia. Hisce in regulis breuiter B. P. N. complectitur id, ad quod in rigore paupertatis votum nos obligat.

Porro nemo falso sibi imponere ac decipere debet, cogitando peccatum nō esse, aut saltem non mortale, regulas suas infringere, quod nostræ constitutiones & regulæ ad peccatum non obligent. Fieri n. posset aliquem quoad hoc grauiter decipi, dicendo, Videbam quidem me cōtra regulam facere, dum illud ab alio accepi, vel alteri dedi; sed quia regulæ nostræ ad peccatum non obstringunt, non putaui peccatum esse, sed tantum contra regulā quandam me facere. Fateor quidem, regulas & constitutiones nostras ad peccatum non obligare (vti id in his ipsis constitutionibus S. P. declarat) id nihilominus certum est, vota, quæ facimus, ex se ad peccatum, & quidem mortale, obligare. Atque ita id eo loco B. P. declarat, ne quis vllam prætendere ignorantiam, aut inde errandi occasionem capere possit; etsi alioquin res ex se nimis quam sit clara. Liquet enim, quod, sicut religiosus, qui castitatem violat, mortaliter contra votum, quo ad eam se obligauit, peccaret, & nouum sacrilegium admitteret: pari modo, qui votum paupertatis prætergreditur, mortaliter contra votum, quod ipse concepit, delinquat. Nullum in hac re dubium est; liberum quippe tibi erat, in mundo cum tuis opibus manere, eisque ad libitum & prout velles, vti, nec in religionem intrare, & votum paupertatis non facere: & postquam iam ingressus es, & eiusdem, voto te obligasti, in tua manu iam non est vel argenteum vnum accipere, vel aliquid sine licentia possidere, quia ad id te voto nuncupato obstrinxisti. Atque hoc est, quod Apostolus Petrus in Actis Apostolorum dixit Ananiæ ac Sapphiræ, qui votum paupertatis fecerant (vti notant sancti Patres) cum enim hæreditatem & agrum quem possederant, vendidissent, & eius pretium pro more, ad pedes Apostolorum detulissent, aliquam eius partem sibi reseruarunt, pluris eum se vendidisse negantes: ait viro Apostolus: *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebit, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus sed Deo.* Mox vero eum diuina est subsecuta castigatio: derepente enim concidens in loco exspirauit: quin & vxor eius Sapphira, quæ delicti huius fuerat particeps, easdem mox pœnas dedit. Et additur in sacro textu: *Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.* Ergo & nos par est non parum timere, ne quid contra paupertatis votum committamus, cum eius præuaricatio tam à Deo acriter puniatur.

7 p. constit. c. 5.

Votum paupertatis obligat etiam ad mortale peccatum.

Act. 5. 3.

Act. 5. 11.

Vt ergo ad propositum reuertar, dico, nisi tantum per regulam aliquam ad paupertatem obligaremur, contra ipsam facere, peccatum non fore; at quando constitutiones vel regulæ materiam alicuius voti continent ac declarant, dicunt obligationem sub peccato: non tam quod vim illæ habeant ad peccatum obligandi, quam ex obligatione voti ad hoc obstringentis. Verbi gratia, dum continent & declarant materiam castitatis, vel legis naturalis, dicunt obligationem sub peccato, non quidem ex virtute regulæ, sed ex obligatione, quam castitas aut ipsa lex naturalis includit. Quoniam vero hæ regulæ voti paupertatis substantiam, & ad quid tale votum hominem ex sese obliget, dicunt & declarant; hinc, qui istas regulas infringet, peccabit; non tam quod regulam violet, quam quod paupertatis votum, quod in illa includitur, frangat. Adeo vt non propterea regulas has præ oculis habere debeamus, vt hinc occasionem capiamus cogitandi, id solum regulam esse; sed hoc præsupposito, cogitemus his totam voti paupertatis substantiam, & id ad quod ipsa in rigore obligat, paucis summatimque comprehensum contineri; idque è Iure Canonico, & ex omnibus, vti dixi-

Regulæ nostræ quomodo ad peccatum obligent.

De communi Vita Clericor. & habetur c. Non dica. 12 q 1.

diximus, Doctoribus, æpromptum. Vnde de religiosis in communi viuentibus loquens sanctus Augustinus, ait. *Certum est eos nihil habere, poßidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere:* quod ad litteram idem est, quod regula nostra præscribitur. Hoc enim est vere pauperem esse; alteri autem fas esse, ex sua voluntate & arbitrio, & prout lubet, & sine alterius facultate, rem aliquam temporalem accipere, vel dare, vel possidere, vel dispensare, est esse proprietarium; & per consequens, voto paupertatis repugnans.

Quis sit proprietarius.

Vt autem hoc, quod velut primum in hac materia principium tenendum est, melius intelligatur: notandum est hanc, secundum Doctores, Theologos, & Iurisconsultos, esse inter vsum & dominium rei alicuius differentiam; quod qui rei dominus est, communiter de ea facere possit quod placuerit. & eam cuicumque voluerit, dare, & prout visum ei fuerit, mutuo dare, vendere, insumere, & dispensare. at qui absolute eius dominus non est, sed tantum vsumfructum eius habet, non potest de ea prout voluerit disponere; neque enim alteri eam dare, nec vendere, nec alienare potest: sed tantum ea vti ad eum vsum, ad quem illi fuit concessa. Id similitudine quadam declarant. Sicut, inquiunt, dum quis alium ad conuiuium inuitat, solum ei facultatem dat comedendi de omni eo quod apponetur; ciborum autem appositorum eum dominum non facit: quod eos nec domum deferre, nec alij cuipiam amico suo de iis sportulas mittere, non item vendere, non denique de ijs prout voluerit disponere possit; sed vsum tantum & facultatem habeat ad comedendum illic de eo quod voluerit. Atque ideo vsum distingui dicunt à dominio etiam in rebus quæ vsu consumuntur, & quidem vsu primo. Taliter ergo, docentibus Doctoribus, se Religiosi particulares habent, etiam quoad illa, quæ Superioribus annuentibus habent: solus quippe vsus eorum ipsis conceditur, vt illa vsurpare, & in vsum suum conuertere possint: attamen certum est, alteri cuipiam te vestem, quam

Quid sit discriminis inter vsum & dominiū

Regula nostræ quomodo ad peccatum obligent.

habes, sine Superioris facultate dare non posse, quia non est tua: &, si absque facultate eam dares, contra paupertatis votum peccaturum: ita namque te absolutum eius dominum faceres, cum de ea facias, quod lubuerit. Et quod de hac re dico, etiam est de reliquis rebus quibus vtimur intelligēdum: aliis quippe te breuiarium, portifolium, aut galerum sine venia Superioris dare nefas est: nihil enim horum tuum est. Solum tibi ijs vti datum est ad vsum proprium vti cōuiuæ dum inuitatur, vsus datur ciborum. Simile hoc & exemplum semper in memoria habeamus, quia vtrumque id proprium est, & rem de qua agimus accommode declarat.

Bonauent. in specul. discipl p. 1. c 4.

Si vero ne de iis quidem, quæ cum licentia Superioris in vsum proprium possidet, Religiosus facere possit quodcumque voluerit, nec ea aliis dare; minus ergo sine Superioris venia, de reliquis quæ in domo sunt, dare, accipere ac disponere poterit, aliquid è vestiario, bibliotheca, refectorio, penu, aut alio quopiam loco accipiendo, tam vt aliis det, quam in vsum proprium. Hoc enim etiam euidentius contra paupertatem foret.

Capvt XI.

Ostenditur, contra paupertatis votum esse, sine Superioris venia aliunde quid accipere vel dare, esto id de domo acceptum non esset.

IAm ante diximus, communem esse Doctorum sententiam, non modo voto paupertatis aduersari aliquid è rebus domesticis in vsum proprium accipere, & alteri id sine licentia dare; verum etiam aliunde quid ab aliis sine eadem Superioris potestate accipere: vsque eo, vt si quis amicus, vel benefactor, vel pater, vel cognatus tuus tibi quid ad vestem, ad librū, ad aliud quod-

quodcunq; demum comparandū elargiatur, tuque ipsum Superioris iniussu recipias, vel possideas, vel eo vtaris, contra votum paupertatis peccaturus sis: tam si id tute petas, quam non petas, sed non petitum & sponte, tum per viam amicitiæ, tum eleemosynæ, tum etiam cognationis, aut quocunq; alio tibi detur. Ah, dicet aliquis, Fateor quidem, quando res illa domui propria est, eius vsurpationem contra votum paupertatis videri: at, quando externus quislibet eam mihi donat, quomodo hoc pacto in paupertatem peccetur, non video: cum nihil de domo ipse accipiam, nec aliquam illi iniuriam aut nocumentum inferre videar. sed potius ei prodesse ac benefacere, hac ratione parcendo iis quæ ipsa mihi dare debebat. Quodnam est hac in re peccatum? Contra quod præceptum hic peccatur? Dico, ordinariè furti id peccatum esse, & contra septimum Decalogi mādatum sic peccari. Ita id expresse sua in Regula tradit S. Augustinus: *Quod si aliquid*, inquit, *detur alicui, redigatur in communem rem, & cui necessarium fuerit præbeatur.* Si quis religioso quid dare velit, vt v. g. parentes filio vestem, vel aliud quidlibet, non id religiosus sine facultate accipere potest, sed Superior, neque vero ad huius solius vsum, sed domus totius & communitatis, vt deinde detur illi, qui eo magis opus habere videbitur. Si, quæ tibi missa fuit, vestem alteri dare Superior velit, ne id tibi graue videatur, quia non est tua: statim enim ac domum subit, fit communis, & tam mea quam tua est. Sed, vt ad rei caput veniatur, illico sanctus Augustinus subiungit *Quod si aliquis rem sibi collatam*, & sine Superioris facultate acceptam, *celauerit*, nec ei declararit, *furti iudicio condemnetur.* Nec diuersus ab illo abit sanctus Basilius sic scribens. *Furtum est priuata rei*, nescio Superiore, *possessio.* Cui autem eam surripi putas, cui furto tolli? Religioni toti & communitati, inquit sanctus Basilius: *Societatis*, inquit, *expilatio est, rei cuiuscunque, & vndecumque in priuatum vsum seuocatio.* Neque vero est, vt hyperbolicè quis sanctos Patres locutos hic esse credat, vbi aliis interdum in rebus exaggeratiuè loqui solent, vt eum quem alloquuntur, magis reuellant & teneant; ita se res hic non habet: sed hæc est plana apertaque quædam veritas, & communis Doctorum omnium opinio, in quodam principio, in quo communiter omnes conueniunt, fundata. Est autem hoc, Religiosum per votum paupertatis prorsus se habendi dandive incapacem & inhabilem reddere. Nam sicut iam non est amplius suus, sed religionis; ita quidquid acquirit, & quodcunque illi datur, vel habuerit, statim ac in ius illius quomodocunque transit, religioni cedit & acquiritur. Vnde si cui religioso cathedra aliqua Doctoralis, vel alius quislibet census obtingit (sicut Salamancæ eos habere constat) stipendium illud scolasticum, ac reditus ille non tam religioso, quam Monasterio illius cedit; vnde hæc Superior illius, aut eius nomine procurator recipit, perinde ac alios quoscunque Monasterij reditus: Religioso vero cathedram hanc occupanti, Superior de omnibus quibus opus habet, prospicit, sicut etiam prospicere debebat, esto cathedram hanc doctoralem non haberet.

Reg. 3. c. 28.

In Constit. monast. c. 25.

Vnde luce meridiana clarius patet, religiosum quid ab alio accipientem, & sine Superioris voluntate retinentem, furti crimen committere. statim quippe atque in ius religiosi illud transcribitur, ipsum religionis est; ac proinde si ipse id sine venia sumat & retineat, contra Superioris voluntatem id vsurpat & religioni furatur. Furtum namque sic definiri solet, Rei alienæ contra domini voluntatem, acceptio vel retentio. Vnde consequitur, quod, si religiosus id alteri sine licentia, esto per viam eleemosynæ, donet, acceptor ille nullum eius ius aut dominium acquirat; sed religioni ipsum teneatur restituere. Hinc etiam videre erit, quam grauiter errent ij, qui se parenti, pœnitenti, amico, librum, imaginem, reliquiariam thecam, aut quid huiusmodi dare posse existimant, quod hæc se nec à domo, nec à Superiore, sed ab alio quolibet externo accepisse

Fur est qui accipit quid aut retinet absque licentia.

accepisse dicant. Adeo, vt, sicut furtum & voti paupertatis fractio est, aliquid quod domus est, non conscio Superiore capere, dare, ac dispensare; ita non minus furtum fit, si quid ab extremo fine Præpositi venia capiatur sumaturque, aut acceptum possideatur ac dispensetur.

Notandum porro hic, quod, esto illud furtum non esset, nec aliquid hoc pacto domui, Monasterio, aut alicui priuato damnum noxave inferetur (vti quopiam in casu contingere posset) mortale nihilominus in genere suo peccatum foret, temporale quid, ignorante Superiore, accipere, sumere, vti, aut de eo ad libitum disponere. Per paupertatis quippe votum Religioso hoc illicitum, & ad hoc se ipse, quemadmodum diximus, incapacem reddit: &, quicunque tale quid à religioso acciperet, adeo eius sibi dominium non compararet, vt etiam ad eiusdem restitutionem obligaretur: quoniam id accipit ab eo, qui dandi in habilis & impotens est, sicut qui ab impubere & pupillo quid accipit.

Lib. 4. Dialog. c. 55. 8. Surius.

Religiosus punitur grauiter à S Gregorio accipiens pecuniam à fratre sine venia.

In rei huius confirmationem facit id quod olim sancto Gregorio Papæ contigit, cum Monacho quodam eius Monasterio, quod in Vrbe cum Pontificatū gereret, construxit, quodq; tam ipse in libro Dialogorū, quam in vita S Gregorij Surius commemorant. Quidam ergo loci illius monachus, Iustus nomine, à fratre suo viro sæculari petijt, quādam vt sibi tunicam compararet Frater, manu ad crumenam admota, tres inde argenteos regales educens, ait, En tibi tres argenteos, & ex iis ad lubitum tunicam eme. Ita quidem Surius, qui hoc se ex ipso originali & autographo transcripsisse asserit; tametsi in S. Gregorij Dialogis, tres aureos fuisse nummos dicatur. Verumtamen parum ad rem nostram facit, tresne fuerint argentei, vel aurei; & sane ad tuniculam coemendam tres ea tempestate argentei satis erant, & etiam plusquam satis Sed veniamus ad id, quod ad propositum nostrum facit: nempe, monachum demum tres hosce argenteos, aut, si mauis aureos, inscio Abbate accepisse, & in cella asseruasse. Contigit autem interea ipsum in grauem morbum incidere. Forte alius quis, casu nescio quo didicit, hunc tres illos argenteos penes se habere. Vnde, premente conscientia, confestim Abbatem pecuniæ huius reddere certiorem voluit: perinde atque etiam nos regula quadam iubemur, si quid graue de aliquo fratrum nouerimus, statim id ad Superiorem referre. Abbati porro grauis hic casus videbatur, ac dignus super quo Pontificem cōsuleret. Ergo S. Gregorium adit, rogaturus quid sibi hic faciendum foret. Intret ergo Gregorius, vt ne quis monachorum ægrum hunc inuiseret, nec alloqueretur, sed omnes eum vt excommunicatum auersarentur, eo quod paupertatis votum violasset. Adhæc, ne, cum expirasset, cum aliis in loco sacro, sed extra Monasterium in sterquilinio, sepelirent, super cadauer autem tres illos nummos proijcerent, illi inclamantes, *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ergo cum ex hac infirmitate demortuus esset, omnia ex ordine, vti Pontifex iusserat, facta sunt. Addit autem Gregorius, tanto factum hoc vniuersam domum timore & honore complesse, vt monachi omnes, cellas suas & reculas, quas etiam cum licentia habebant, quæque licite haberi poterant, excutere cæperint, & ad superiorem securitatis ergo detulerint, ne quid paupertati repugnans possiderent. Ex hoc, alijsque priscorum illorum Patrum exemplis, hæc est per sacros Canones, contra religiosos, qui proprietarij demoriuntur, pæna constituta.

Act. 8. 20.

c. Monachi 18. *c.* Cum ad Monasterium. *de statu monach.*

CAPVT XII.

Descenditur ad casus aliquos particulares, voto paupertatis contrariantes.

Ex principiis & communi Doctorū doctrina, quā iam attulimus, particulariū qui occurrere possunt, casuū resolutiones peti dariq; possunt. Et, quoniā moralia hęc

optime per exempla & casus particulares declarantur, aliquot id genus casus hoc loco afferemus, è quibus reliqui haud difficulter intelligentur, itaque materiæ huic abunde erit satisfactum.

Porro ergo dico, & è dictis infero, si Superior religioso copiam hic pecuniam, ad iter quoddam suscipiendum agendumque det, eum ex illa nec rosaria, nec imagines, neu quid aliud simile, siue in vsum proprium, siue vt alijs donet, comparare posse, nec ad Agnum Dei, vel lipsanothecam suam adornandam insumere: etsi alias in victu per viam sit parcior, & tantum non impendat, quantum licite in diuersoriis insumere posset. Ratio est: quia hæc illi pecunia tantum ad eum vsum datur, vt illa per iter suum vtatur: atque ideo, omne quod in eo non insumet, quomodocumque demum id fiat, ad Superiorem, à quo missus est, aut ad eum, ad quem proficiscitur, referat oportet: si quid vero sibi reseruet, vel in aliud quid insumat, religioni suffurabitur, & contra votum paupertatis peccabit. Intelligendum hoc est, quando religio religioso omnia, quæ ei ad iter necessaria sunt (quemadmodum in nostra fieri consueuit) subministrat. Nam aliud esset, quãdo tantum, & nõ amplius, in singulos dies illi insumendum limitate præscriberetur; ita quidem, vt licet plura per viam opus haberet, plura tamẽ non acciperet; id quippe signum est, eum tunc expressam, aut tacitam, & interpretatiuam facultatem habere, id, quod sibi è dato, parce vsurpando, superfuerit, in alias res honestas impendendi.

Secundo, idem quoque locum habet, esto hoc illi viaticum non religio, sed aut pater, aut cognatus, aut pius aliquis benefactor dederit; ita vt ex eo nec Breuiarium, nec thecam, nec conspicilia, nec aliud quodcumque, tam sibi, quam aliis dandum emere possit. Nemo vero in hoc erret, dicendo: Pecunias has mihi non religio, sed consanguineus amicusve meus dedit: Nam parum refert, easne tibi religio dederit, an consanguineus, vel amicus tuus. Illæ namque, ex quo iuris tui sunt, fiunt religionis, & perinde est, ac si Superior, vel procurator domus eas tibi dedisset; vt capite superiore insinuauimus. Vnde in alium eas vsum conuertere non potes, quam in quem illas tibi Superior dedit, nimirum in iter tuum, & omne quod tibi quomodolibet superfuerit, ad Superiorem referre debes; si autem in aliud quid ipsum impendas, vel tibi serues, contra votum paupertatis peccas; & tantundem est, ac si religioni per furtum id surriperes. Idem quoque vsu venit, etsi has pecunias quis cum venia Superioris accepisset: nam si eas sine facultate eius reciperet, etiam tum ex hac parte votum paupertatis violaret, vti ante dicere memini.

Pecunia, aut res alia data religioso est religionis.

Tertio, idem locum habet, quando quis ex aliqua missione, vel è patrio solo, vbi aliquid (verbigratia, quoddam ad iter munimentum, aut alia quæpiam vestis) ei datum fuit, domum iam reuertitur: ex quo enim id in ius eius transit, fit communitati commune. Ergo iam domum reuersus, Superiori, vel eius nomine res vestiariæ præfecto, ipsum consignare debet. Sin autem id sibi sine venia reseruaret, proprietarius fieret, & furti crimen committeret in votum paupertatis delinquens.

Quarto, esto quis iam in ipso procinctu sit, aliam domum aut collegium aditurus, imo iam equum inscenderit, nihil omnino ab extrariis petere, vel accipere, ne quidem ad viaticum, sine præsentis Superioris licentia potest: esto, alium illum Superiorem, cuius domum adit, plurimum propterea gauisurum norit, quod hoc pacto minor eius sit sumptus, & impendium futurum. Ratio est, quia ille adhuc in præsens eius Superior est, non autem hic ad quem proficiscitur; itaque hoc sine Superioris, quem ad manum habet, & à quo eam petere potest, licentia acciperet. Aliud foret si quis iam extra domum, & in via esset, nec Superiorem à quo veniam petat, ad manum haberet: Tali quippe in casu licite accipere potest id, quod Superiorem sibi cõcessurum esse

Sine licentia Superioris præsentis nihil licet accipere religioso.

probabilis

probabili coniectura præsupponit, cum intentione, id, quamprimum domum venerit, illi declarandi, & de eo illum certiorem reddendi: tunc quippe ipse Superioris assensus, & facultas præsumitur; minime vero, quando aut statim Superior adiri, aut res haud difficulter differri potest.

Pecuniam in al. ū vsi conu... quam permiserit Superior non ... votum est.

Quinto, ex dictis item sequitur, si Superior alicui copiam, ad pecunias aliquas recipiendas, & eas apud procuratorem domus asseruandas, ad rem quampiam certam (verbi causa, ad scripta aliqua exscribi curanda) faciat: eum in aliud quid hasce sine superioris scitu insumere, & ex iis ne quatuor quidem regales argenteos, alicui religioso de domo, ad occurrentem aliquam, vel ipsius, vel pœnitentis, vel consanguinei, vel amici sui necessitatem, tam per viam eleemosynæ, quam ad præmiola (pura rosaria & iconculas) aut aliud quodcumque, dare, atque alium ea sine licentia accipere non posse: sed tam hunc, quam illum contra votum paupertatis peccaturos: quia rem aliquam temporalem, Superioris iniussu, aut non permissu, dare, accipere, vel administrare contra votum est paupertatis, vti ante ostensum est.

Sine licentia nihil licet mutuū dare.

Sexto, sicut religioso permissum non est, quid, Superiore ignorante, dare vel accipere, ita nec mutuo dare vel sumere: quia omnigenus illi contractus, ratione voti paupertatis, prohibitus est, etsi in rebus minutis, quæque frequenter occurrunt, tacitam vel generalem quandam quis licentiam habere se, ad alij eiusdem domus religioso mutuo dandas eas, quas Superiore conniuente possidet, posset præsumere: ad breue saltem tempus, plus vel minus: prout vsus religionis, vel praxis id faciendum iudicarit.

Inscio Superiore non licet religioso depositum admittere.

Septimo, Religiosus contra suum paupertatis votum peccabit, si inscio Superiore aliquod, tam ab externo quam domestico, depositum acceperit. Depositum quippe verus quidam contractus est, & natura sua religiosum, qui ipsum inijt ad rationem rei depositæ reddendam, & soluendum si quomolibet ea sibi, culpa sua, de iure requisita, deperierit, obligat; vt tantam intricationem & sollicitudinem, quam ipsa pecuniæ, aut rei alterius pretiosæ, ad alium spectantis, custodia & asseruatio secum trahit: nec non scandalum, quod haud dubie sequeretur, si pecuniæ in religiosi potestate, sine licentia, & non sciendo vndenam & cuius eæ sint, depositæ inuenirentur. Sed in rebus ordinariis, quas cum facultate religiosus possidet, & in cubiculo suo asseruare potest, religionis vsus & praxis declarat, eas etiam alteri de domo, ab illo in custodiam dari, & deponi posse.

Depositum habere apud alium sine licētia, contra votum est.

Octauo, sicuti contra votum paupertatis est, pecunias, aut aliud quidlibet ijs æquiualens, sine facultate præpositi accipere, vel in potestate sua habere; ita quoque ei aduersatur, pecunias, aut aliud iis æquipollens, sine eadem potestate, apud alium quemcumque depositum habere. Eodem quippe redit, vtrum id in amici, an in propria potestate habeatur. Proinde si quis in clientis, vel amici sui manu, verbi gratia, penulam viatoriā, aut aliam quamcumque rem haberet, quam ille sibi, cum hinc alio proficiscendum esset, daret, perinde paupertatis votum in eo infringeret, ac si penes se eadem asseruaretur.

In Societate contra paupertatem est, aliquid sine licētia de domo asportare.
In instruct. & regul. 25. commun.

Nono, paupertati, quam in Societate profitemur, conforme non est, quin imo aliquam proprietatem sapit, si quis, dum alio commigrat, libros, imagines, siue quid huiusmodi, secum absportat & auehit. Vnde id etiam in Societate vetitum est. Sed quæcumque quis habet, ea describi & annotari, ac velut res Collegij, ac domus, in qua commoratur, propria haberi, ibidemque, illo abeunte, manere iubentur, nec inde auferri ab eo vllatenus permittuntur: quæ si absque licentia secum tolleret, perinde faceret, ac si de domo, cui iā applicata sunt, eadem furaretur, ac consequenter contra votū paupertatis ageret. Idem etiam dicendum, tametsi quis alius ei singillatim, non vero religioni illa dedisset: tantundem quippe id est, vti supra demonstratum est.

Caput. 5.

Decimo, contra paupertatis votum peccabit religiosus, si quid in res illicitas, vanas,

Religioso nō licet in res vanas pecuniam collocare.

Clem. 1. de statu monach.

vanas, aut superfluas, etiam Superiore ad hoc copiam faciente, insumet. Hoc namque per votum paupertatis illi prohibetur. Atque ita sacris Canonibus id declaratum est. Imo ne Superior quidem in id genus res pecuniam impendere potest: proinde nec alteri ad hoc licentiam dare: sed in res necessarias, vtiles & honestas. Vnde consequitur fore, vt qui, quæ religiosus inutiliter dispenderet, illa acciperet, ad eorum restitutionem religioni teneretur: iuxta id, quod capite superiori dictum est.

Tenetur ad restitutionem is, qui aliquid accipit à religioso prodigo.

Vndecimo, paupertatis voto aduersatur, si quid absc̄ōditum religiosus habeat, ne videlicet id sibi à Superiore inueniente auferatur. Nam, vt Doctores notant, est hoc, quidam sibi id appropriare, & contra voluntatem Superioris detinere volendi modus.

Absconditum seruare quippiā, contra votum est.

Duodecimo, si cui ex officio aliqua distribuere, vel dispensare iniunctum est, nō id suopte arbitrio & voluntate, sed iuxta superioris voluntatem & beneplacitum facere debet. Hinc si magis vel minus, melius, vel peius det, quam Superiorem velle norit, contra paupertatis votum faciet; quoniam res domus perinde vsurpat, & administrat, ac si earum dominus & proprietarius foret, nec ab alio dependeret.

Abul to. 2. in Matth c. 6. q 37. Syluest. Restitut. 6. q. 7 dicto 2 Molina to. 2. disp. 276. Lessius lib. 2 de iustit. c. 18. dub. 11. num. 85. Nauara li. 3. de restit. c. 1 n 117. & 182. Petrus de Ledesm. 2. p sū tract. 3 c 2. conclus. 10.

Decimotertio, Quemadmodum contra paupertatis votum ageret religiosus, qui data opera & studio res domesticas curæ suæ concreditas, aut ad vsum priuatum concessus dissiparet, male insumeret, aut ab alio male insumi permitteret: pari modo contra paupertatis votum peccabit is, qui notabili sua culpa, aut iniuria eas dissipat, aut perdi sinit. Nam id in idem recidit, cum culpa lata dolo æquiparetur. Ratio huius est, primo, quia dumtaxat ad eum qui absolutus rei dominus est, spectat, eam posse prout libuerit consumere ac destruere. Secundo, quia religioso solum conceditur vsusfructus earum rerum, quæ ipsi tum ad propriam, tum ad religionis suæ vtilitatem & commodum dantur & concreduntur: Vnde si has ipsas destruat, consumat, & infructuose impendat, contra votum paupertatis peccabit.

Omnia ad mentem Superioris in religione distribuēda Contra votum peccat, qui aliquid sua culpa perire sinit.

Aduertendum porro hic, etsi damnum, quod hoc modo religioni infertur, singulis vicibus exiguum sit, si tamen frequenter fiat & repetatur, fieri posse, vt in immensum crescat.

Religiosus destruens aliquid, pauper. at... violat. ... la multa ...cent.

Notabile id est exemplum, quod quoad hoc de priscis illis Monachis Cassianus commemorat. Obsonator vel procurator Monasterij quodam tempore in culinam ingressus, tria lentium grana, quæ coquo ea ad coquendum lauanti è manibus forte exciderant humi iacere conspexit. Id ille mox ad Abbatem retulit, qui vocatum ad se coquum acriter primo verbis corripuit, dein publicam ei pœnitentiam imposuit, quod rem monasterij tam iniuriè tractaret. Siquidem sancti illi Monachi, inquit Cassianus, non solum seipsos, verum etiam omnia, quæ Monasterij erant, velut rem Deo dedicatam consecratamque contempabantur, vnde insigni cum accuratione & reuerentia ea, quantumlibet exigua forent, tractabant.

Minima paupertatis violatio summam meruit reprehesionē.

Religiosæ personæ & res Deo sacra.

Capvt XIII.

Cuidam respondetur obiectioni, per quod materia hæc mirifice illustratur.

Obijciet vero hic mihi aliquis, Nimis quam rigidum & seuerum hoc videri, quod alios religiosos, qui votum paupertatis non minus nobis conceperunt, sine vllo prorsus scrupulo, aliquid à consanguineo pænitente, amicoue suo, ad Breuiarium portifolium, quin & ad vestem subinde, comparandam accipere videamus, qui tamen & docti sunt, & Dei timorem præ oculis habent. Hos ipsos quoque cuipiam amico suo, tam domestico quam externo, quendam de iis quos habent libris, necnon alia maioris valoris, nullo ad hoc

Obiectio ab aliorum exemplo.

hoc petito consensu dare solere; nec remorsu conscientiæ, quasi hoc facto votum suum paupertatis violent, ideo affligi. Ergo nec nos in Societate idem faciendo, contra votum paupertatis peccabimus, sed ad summum tantum contra eiusdem perfectionem, Superioris obedientiam, Constitutionum ac regularum nostrarum obseruantiam faciemus,

Bona quidem hæc est obiectio, ideoque etiam hoc loco eam posuimus, vt ex eiusdem confutatione magis pateant & manifesta fiant, tum quæ dicta sunt hactenus, tum quæ postea dicturi sumus.

Dico ergo, vera esse hæc omnia, & Religionum nonnullarum religiosos omnia contra paupertatis votum non peccare: hinc tamen non sequi nos, ita si fecerimus, minime peccaturos. Imo vero dico, hæc si à nobis fierent, non modo contra obedientiam & regulas nostras, verum etiam contra paupertatis votum à nobis peccandum.

Quæ in aliis ordinibus tacite licent, in Societa expresse vetantur.

Differentiæ porro ratio est hæc: quod in aliis religionibus omnia hæc iam, annuentibus Superioribus, licite fiunt, quia ad hoc vel expressa, vel saltem tacita & interpretatiua, aut virtualis habetur licentia: quæ iuxta Doctorum sententiam, est, quando iam communiter & passim aliquid in illa religione vsurpatur, & Superiores eius id norunt, & vident, cumque contradicere & impedire valeant, neutiquam contradicunt, nec impediunt, sed in eo dissimulant & conniuent: *quia qui tacet* cum loqui & impedire possit quod scit, *consentire videtur*. Religiosus ergo, qui expressam vel tacitam à Superioribus suis, rei cuiusdam dandæ, recipiendæ ac dispensandæ habet facultatem, ipsum si fecerit, minime contra votum paupertatis peccabit. Atque ideo multi Religiosi hæc faciendo, haudquaquam peccant.

Reg 43 de reg iuris in 6.

In Societate paupertatis munus vti recens ita integer conseruandus.

Verum, quia Societas Iesu iam nuper exorta hunc paupertatis murum, quantum per diuinam gratiam fieri poterit, integrum, infractum, & in suo vigore perfectum conseruare gestit, nullam ad hæc facienda habet licentiam, tum expressam, tum tacitam & interpretatiuam: sed expressum potius vsum & praxim plane in contrarium. Ac proinde quisquis huiusmodi quid in Societate attentaret, contra paupertatis votum delinqueret: vti & reliqui religiosi delinquerent, nisi facultatem eius faciendi haberent.

Moniales quædam sibi de vestitu prouidēt

Perinde ac sanctimoniales quædam, etiamsi religiosæ sint, & paupertatis votum conceperint, nihilominus tenues suos habent reditus, de quorum prouentu ipsæ sibi vestem & alia quælibet necessaria comparant; idque ipsas licite facere concedimus, quod Superiorum suarum assensu id faciāt. Liquet autem, si quis nostrum id absque legitimo consensu faceret, contra votum paupertatis eum peccaturum. Nō est ergo bona argumētatio, vt, propterea quod quis in aliis religionibus toleretur, esto in iis non pauci viri sancti sint & docti, idcirco idem in nostra putemus licitum esse: quia in illis ad hoc iam habetur licentia vel expressa vel tacita; in nostra vero adeo ea non habetur, vt potius vsus & praxis in contrarium obtineat. Quamobrem quæ ante diximus, non tam scrupulosa, seuera, & quædam animorum tormina sunt, quam apertissime veritates in omni rigore fundatissimæ, & commune Theologorum dogma.

Societatis praxis pro integritate paupertatis.

Siquidem S. Bonauentura, & Ioannes Gerson, qui, licet sint spirituales & sancti, nihilominus grauissimi sunt Theologi, particularium illorum casuum, quos paulo ante attulimus, non paucos in terminis & expresse tradunt, & vniuersam de dando admittendove à religioso materiam ad hoc caput reducunt, nimirum an ad hoc à Superiore suo expressam vel tacitam is facultatem acceperit, an vero non. Eam enim si non habeat, nihil eum dare, admittere, vel dispensare posse, sed, si quid huiusmodi aggressus fuerit, contra paupertatis votum peccaturum asserunt. Hoc namque pacto desinit esse pauper, & velut proprietarium se ac dominum facit, cum prout libuerit rem det, accipiat ac dispēset. Quin & in ipso Monasterij procu-

In specul. discipl. p. 1. c. 4.

In quodam tractatu nonnull. quæst solutar q. antepenult.

Ad omnem Religiosi dispensationē expressa vel tacita Superioris licentia requiritur.

procu-

procuratore vel oeconomo, qui pecuniam omnem ad necessaria toti domui coemenda habet, casum format Gerson; rogatque, num contra paupertatis votum is facturus sit, si vel sibi, vel alij cuipiam domestico, cultrum, vaginam, thecam, & perspicilia emat? quin & ad minutiora descendit, nimirum ad acum, calamos, vel pauxillum fili. Ac respondet, eum, si particulari vel generali, expressa vel tacita Præpositi licentia id fecerit, minime peccaturum: at si eam non habuerit, contra paupertatis votum præuaricaturum.

Idem quoque censet de eo, qui quid externis dat, vel ab iis datum admittit. Adeo, vt communiter omnes Doctores in hoc consentiant, & doceant, religiosum ex voto paupertatis, ad nihil, Superiore ignorante & non conscio habendum, dandum, accipiendum, dispensandumque obligari: &, si quibus in religionibus vt licitum habeatur, quasdam in cella minutias, electuaria & elegantias habere: & eadem posse ab amicis & consanguineis accipere, vel etiam alteri donare, aut de aliis quibusdam rebus licite disponere: ideo id fieri, quod illa in religione, expressa vel tacita ad hoc facultas passim cuilibet facta sit; alioquin enim non licitum id foret, sed aperte paupertatis voto contradiceret.

Sequitur hinc res quædā dignissima, tā quoad hanc, quā quoad similes alias materias notatu: nimirum vt religioso, petenti num in hac vel illa re peccet, & paupertatis votum infringat, responderi posset, necesse esse ante omnia nosse quis religionis illius quoad hoc vsus sit, num videlicet in ea expressa vel tacita ad hoc faciendum sit licentia. Hoc enim ni fiat, bonum Religionis illius religioso consilium re olutioque dari nequit: multa quippe in vna Religione licita esse poterunt (quod iam in illa passim tacita hæc & interpretatiua licentia vigeat) quæ in alia, quia hanc non habebit, illicita erunt.

Vsus religionis cuiusque in omni resolutione spectandus.

Præterea hinc consequetur, esto auctores aliqui sustineant, religiosum contra paupertatis votum minime peccaturum, ab aliis pecuniam, ad libros aut alia quæpiam id genus comparanda, accipiendo: modo ea quæ emet, non abscondat & occultet, sed in apertum palam proferat & exponat; animo quoque ita comparatus sit, vt Superiore præcipiente, eadē exhibere, & libenter à se abdicare paratus sit: quod tamen religiosus Societatis, ipsum si faceret, votum paupertatis prætergrederetur. Idcirco enim hi auctores id ita docent, quod censeant illam, iam tacitam & interpretatiuam licentiam esse, & Superioribus per hunc subiectionis & resignationis modum aliquatenus satisfieri.

Omnis permissio administrationis cuiusunque rei supponit superioris licentiam.

At in Societate nulla est ad hoc tacita vel interpretatiua licentia, sed manifestissima voluntas de contrario. Siquidem Sotanam, pallium, Breuiarium, quibus bona cum Superioris licentia vtimur, tali modo possidere tenemur, cum hac inquam subiectione, & totali à Superiore dependentia, necnon cum illa animi dispositione, vt eadem parati simus relinquere, si id nobis ipse mandarit: sin minus, aduersus paupertatis votum præuaricaremus: essemus quippe proprietarii, & rem velut propriam possideremus.

Indifferentia paupertati necessaria.

Verum, vt quid ab alio ad Sotanam, libros, aut quid simile comparandum accipiamus, esto postea id palam in cubiculo visui omnium expositum & patens exhibeamus, hancque animi, quam diximus, præparationem quoad hoc præferamus, nullatenus id in Societate licitum est, sed vsus & praxis prorsus in contrarium obtinet: ac proinde id contra paupertatis votum foret.

Nil in Societate sibi accipere licet.

Et sane res certissima est, si in Societate vt licitum quid duceretur, id genus res, hoc modo, sine alia licentia admittere & habere, omnes quotquot sumus, in Cōgregationibus reclamaturos, & omnimodis annisuros, vt hoc ostiolum, per quod tantum paupertas nostra posset detrimenti capere, confestim obstrueretur.

Hæc est vox totius Societatis.

Notant & aliud quid Doctores in hoc de tacita & interpretatiua licētia negotio, docentq; vt religiosum quid dare, petere, vel accipere [illegible] minime sufficere, quod

certo norit, si modo à Superiore facultatem ad hoc postulet, quamprimum eam sibi concedendam; sicut satis tibi non est, vt sine licentiæ petitione foras exire, vel epistolam ad aliquem scribere possis, quod certo scias, illam, si modo petas, minimè tibi denegandam; sed nosse & scire ante te debere, Superiorem gauisurum & ratum habiturum, quod nō petita facultate quid des, recipias, vel possideas, & parum curaturum, quod hanc ab ipso non petas. Hæc scilicet est tacita, interpretatiua, & virtualis ad dandum admittendumque quid facultas, ita vt necesse non sit præterea aliam in particulari petere: ac talis in nonnullis Religionibus, quoad multa eorum quæ diximus, habetur.

Licentia tacita [illegible] est, quod Super non ro[illegible] per[illegible] mitt. sed quod non rogatus fieri vel[illegible]

Verum in Societate tantum abest, vt in Superioribus tacitum hoc beneplacitum sit, vt nihil hi magis desiderent, quam vt omnia ex obedientia fiant: nihilque magis eos affligeret & contristaret, quam si suorum quis libertatem & audaciam sibi ad horum quidpiam sine licentia faciendum arrogaret. Proinde longe alio modo de hoc paupertatis negotio, deque aliis casibus particularibus in Societate loquendū est, quam in aliis quibusdam Religionibus. Idem tamen & in his olim non minus accuratè fuit obseruatum: nimirum cum primum orirentur, vti è singularum Chronicis constat: quin & earum nonnullæ id etiam in hodiernum vsque diem, magna sua cum laude obseruant.

Societas Iesu manult in suis obedientiā quam licētiam interpretatiuā.

Caput XIV.

Votum paupertatis obligat ad peccatum mortale & quæ requiratur quantitas, vt peccatum mortale dici eius præuaricatio possit.

Peret hic à me quispiam, num, quæ contra votum paupertatis esse diximus, semper lethale peccatum futura sint, & quando? Iam ante communem Doctorum & sanctorum Patrum sententiam esse diximus, eum, qui quid contra votum paupertatis agit, peccatum furti committere, & aduersus septimum Decalogi præceptum facere. Dico ergo, quod, sicut septimum mandatum ex genere suo & natura ad mortale obligat, vt Theologi vulgo docent: attamen ratione paruitatis materiæ, fieri potest, vt furtum nonnisi veniale peccatum sit (v. g. si quis pomum, aut obulos aliquot furetur) pari modo, etsi votum paupertatis ex natura & genere suo ad mortale obligat: in re tamen ita leui contingere potest, vt quis id violet, vt tantum veniale futurum sit.

Cap. xi.

Votum paupertatis ex genere suo ad mortale obligat.

Si instando vlterius petas, quæ dicenda sit notabilis quantitas, vt ad mortale pertingere dici possit? Dico, sæpe iam à Doctoribus scholasticis in materia furti quæsitum esse, & etiamnum quæri, quænam notabilis dicenda sit quantitas, vt furtum sit crimen lethale. Et prout de furto loquuntur, ita hic de voti paupertatis violatione loqui solent. Adeo vt, quæ quantitas esset ad mortaliter contra septimum Decalogi præceptum peccandum satis, eadem notabilis & sufficiens futura sit ad mortaliter contra votum paupertatis peccandum. Ita communiter sentiunt quotquot de hac materia scripserunt.

Ad maiorem rei huius declarationem & confirmationem, notant nonnulli Theologi, peccati huius grauitatem è duplici radice sumi. Prima est, quod hic res aliena, contra domini eius voluntatem vsurpetur & accipiatur. Secunda, quod in ea votum Deo factum frangatur. Et addunt, quod, esto, solum primam eius radicem considerando, maior hic quantitas videatur, vt peccatum mortale fiat, requiri, quam in furto; quia hic res non tam videtur aliena, nec dominus tam inuoluntarius, atque in furto: secundam tamen radicem considerando, ea sufficiat vt id peccatum mortale fiat, quantitas, quæ sufficit vt furtum peccatum mortale fiat: propter quod maior

Cordeba lib. de casibus q 109. Nauarr. vbi infra. Serbius in compend. priuileg 1. Verbo Jaderi in explicat Constit. Clem VIII. de largit casu 2 Vers. Sed difficul. Lud Lope. 2 p summæ nostri q. 3 concl.

P

Rodriquez exercit. part 3.

Manuel Rodri. tom. 3 de regul q. 20. a 10. concl. 8. Azor. lib. 12. Instit. Moral c. 12 q 6.

nostri sit ex voto paupertatis, ad nihil contra voluntatem Superioris vsurpandum & accipiendum obligatio, quam ea sit ex septimo Decalogi mandato, ad nihil domino inuito accipiendum.

Tres argentei fuere S. Gregorio sufficiens materia peccati mortalis.

In casu illo, quem supra de D. Gregorio retulimus, monachus ille, vti refert Surius (qui id ex ipsomet originali transcripsisse asserit) nonnisi tres argenteos acceperat, & quidem à fratre suo, & ad tunicam coemendam; quam ei Religio certo dare debebat, si ei frater illam non dedisset. & nihilominus censuit Gregorius, hos tunc temporis sufficientem quantitatem fuisse, vt peccatum mortale constituerent, vt videre est in castigatione & excommunicatione, qua in ipsum animaduertit.

Nauarr. li. 3. tit. de statu mona chor. consil. 3 dub. 3, nu. 18.

Carthusianis minor transgressio paupertatis peccatum est.

Scriptorum, qui nostra hac ætate scripsere, nonnulli, quantitatem notabilem, & ad peccatum mortale contra votum paupertatis incurrendum sufficientem esse definiunt tres regales argenteos; alii quatuor; alii quinque. In Carthusiensi vero Ordine minorem multo quam hæc, quæ ad peccatum mortale incurrendum sufficiat, quantitatem requiri censent; quandoquidem sufficere dicunt ad aliquem sacra sepultura priuandum & excommunicandum, vti bene id aduertit Nauarrus.

Religioso perfectionis cupido parua materia magna sit.

Porro demus, in voto paupertatis laxius paulo nos loqui posse, & trium aut quatuor regalium valorem hac in re materiam leuem esse, & maiorem summam requiri, vt ad mortale pertingat, vti quidem nonnulli censent: ideone se his Religiosus, qui perfectioni comparandæ studet, periculis & dubiis exponet: nũ videlicet quod recepit, dedit, vel asseruauit, ad eam quantitatem pertingat, quæ ad peccatum mortale constituendum satis, necne, & num ad quatuor vel sex regalium valorem ascendat?

Obsonatores & famuli, qui, dum necessaria coemunt, modo quidem quartam regalis partem, alias duos obulos, defalcando sibi reseruant, in eo mortaliter non peccant: quod parua sit quantitas: sed qualis ille futurus est Religiosus, qui ad aliquid emendum destinatus, quartam regalis argentei partem deturpare & retinere præsumit, esto id nonnisi ad veniale pertingat. Porro si tu hoc facere non auderes, sed velut sacrilegium, & perquam vile & sordidum duceres: ne ergo quidpiam vel dare, vel admittere sine maiorum facultate attentes, dicendo, paruum & perexiguum id esse, nec tale vt ad peccatum mortale pertingat: nam quædam, vt minimũ, erit velut defalcatio ac surreptio. Quare parua arceamus, magnique faciamus, maximè in re tam graui, atque est hæc ipsa, quæ trium essentialium Religionis votorum vnum concernit. Qui enim in hoc delinquere ac præuaricari audebit, dicendo, mortalem id noxam non fore, in præsentissimo voti paupertatis mortaliter violandi periculo versatur. Quippe habendi, dandi, recipiendi cupido ac desiderium, vehemens quædam passio est, & naturæ nostræ, quæ ad hoc satis procliuis est, valde conformis; ac proinde apprimè hominem excæcat & decipit. Et sæpenumero, etsi certo & indubitatè dicere non possimus, an ad mortale crimen præuaricatio pertigerit, id saltem certo dicere possumus, dubium esse, mortalene sit an secus. Religiosus autem nimis quam accuratè cauere debet, ne his se dubiis & periculis exponat.

[illegible] ipse parua negligens in paupertate expo[illegible] se periculo maiorum.

Cupido habendi vehementior est, quamuis paucis satiari possit.

Dubia in negotio salutis vitanda.

Caput XV.

Num pecuniam sine licentia accipere, Religioso licitum ad eandem in pia opera distribuendam; & quando in hoc contra paupertatis votum peccaturus sit.

Exigit Societas tantam vt in hac paupertatis materia puritatem & perfectionem præferamus, tamque à pecunia habenda tractandaq; alieni simus, vt regula peculiari nobis vetitũ sit, quidquã à pœnitentibus

Regul. Sacerdot.

nitentibus aut alio quocumque petere, vel admittere, quod vel in pauperes distribuamus, vel alteri satisfactionis nomine restituamus: adeo vt, esto pœnitens restituere iniquè parta teneatur, eaque confessario suo tradere velit, quo legitimo ea domino reddat, ipse sine Superioris venia, ea nec accipere, nec restituendi curam in se suscipere possit. Hæc autem regula tum in summa prudentia & longa experientia, tū in doctrina & exemplo sanctorum fundata est. Ita quippe expressè faciendum consulit S. Basilius: ita B. P. N. Franciscus Xauerius vnice idipsum vt obseruaremus, commendabat, vti illius in vita legere est: ita cum S. Hilarion, quemadmodum in eius vita S. Hieronymus scribit, virum locupletissimum à legione dæmonum, à qua vexabatur, sanasset, & viro sancto multa magnaque munera in grati animi signum offerret, &, Hilarione ea constanter repudiante, vrgeret vt saltem egenis daret, illa acciperet; respondit vir Dei, Melius tu ea illis dare potes, vtpote qui ciuitates frequentas, & pauperes nosti. Equidem à me propriam substantiam abdicaui, quid ergo alienæ me immisceam?

Epist. ad [...]on.

Lib. 6. c. 12. & 17.

Hieron. in vita S. Hilarion.

Nostrum quidem est hæc aliaque id genus opera proximo consulere, non vero aliorum eleemosynas dispensare. hoc quippe adeo ministeria nostra non adiuuat & promouet, vt etiam impediat. Etenim hinc sequetur, vt quotidie cateruatim ad domū nostram confluxuri sint, qui iuuari nostra opera pecuniaque concredita velint: nec duo quidem ianitores satis futuri, ad eorū postulata ad nos deferenda, responsaq; vicissim referenda: & Pater ille qui hoc in se onus susceperit, confessionibus & ministeriis spiritualibus vacare nequeat, quo eleemosynarum distributioni vacet. Ipsi quoque Apostoli alias reipsa experti sunt, temporalibus se functionibus debitè non posse intendere, sine magno spiritualium, quæque maioris momenti erant, dispendio. Vnde dixere: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* quare certos quosdam designari viros oportuit, qui temporalia curarent, quo ipsi totos se animarum cōuersioni possent impendere. Existimant nonnulli hanc eleemosynarum dispensationem, optimū esse ad proximum lucrifaciendum, & ad Sacramentorum vsurpationem pertrahendum, medium; sed grauissimè errant. plus namque hinc sequitur dispendii quam cōpendii: quia plures sunt, quibus ad lubitū non facias, & qui de te conquerantur, quam quibus satisfacias & placeas. Nonnulli quidem, quia nihil acceperunt; alii, quia non plura: immò propè omnes queruntur, & murmurant, priuatis nos in hac rei dispensatione respectibus moueri, & personarum acceptores esse, dicentes; quin imò in priuatam nos rem nonnulla putant cōuertere, & quodcumq; possumus, in domus nostræ vsum applicare. Verū enimuero, nō est hæc bona ad proximo amorem confessionis inserendum ratio; quin imo hæc illis occasio est ad fictas mendacesque confessiones instituendas, & sexcenta confessori mendacia persuadenda, quo eum ad dandam sibi eleemosynam emoueant & excitent. Quam ergo non immerito consulit Sapiens, vt seniori ac viro prudenti & experto credamus, eiusque consilia sequamur. Licitum quidem est interdum, cum bona Superioris venia aliquid, quod restituendum sit, à pœnitente accipere, vti dum res occulta est, quæque non sine pœnitentis probro & nota restitui potest: tunc vero consulunt Doctores (& sane non illaudabile consilium est) vt confessarius chyrographum petat ab eo cui restitutionem hanc faciet, quo se testetur tantum ab illo per viam restitutionis, ab aliquo sibi præstandæ, accepisse; & vt deinde syngrapham hanc pœnitenti, ad maiorem tum eius, tum ipsiusmet confessarij, satisfactionem consignet. Etsi vero pœnitens nihil horum se velle, confessarioque fidere dicat, non propterea hic illud facere negligat: quia gaudebit nihilominus restituens, vbi schedulam videbit, itaque ædificabitur, & in animo securior erit ac quietior, neque vlli exinde oborientur scrupuli vel suspiciones, vtrum res ipsa consignata sit necne, vti suboriri solent

Consulamus, eleemosynas nō dispensemus.

Incommoda ex dispēsatione pecuniarum.

Querela pauperum contra dispensatores eleemosynarum.

Ecclesf. 6. 8.

tum, cum isthoc cautionis ac diligentiæ genus non adhibetur.

Sed, quoniam de obligatione voti paupertatis hic loqui propositū est, & ad quid nos ipsa in rigore obliget: non incongruum erit ostendere, quando quoad hoc contra votum paupertatis quis peccaturus sit, quando non; sed tantum contra obedientiam & contra regulas. in particulari & ex professo Theologi hanc quæstionem proponunt, & quærunt, Facturusne contra suum paupertatis votum sit Religiosus, qui Superiore non consulto, aliquas ab externo pecunias accipit, non tam sibi, quam vt alterius nomine in opera pia, aut quomodocunque illi videbitur, dispenset ac distribuat? Hoc autem facere, non videtur paupertati aduersari: cum eas ipse in suum vsum non admittat, nec suo nomine dispertiatur, sed illius, à quo easdem accepit. Quæstionis porro huius solutio est hæc, duplici videlicet modo aliquem posse pecuniam, aut aliud quid, ad alteri dandum, à quopiam accipere. Primo, quando ipse mihi dat, vt nomine illius, Petro vel Ioanni easdem, vel in tale, vel tale pium opus impendam. Atque eius generis est id quod Confessariis datur, vt sic restitutionem aliquam faciant, vel in pauperes quos norunt, eleemosynam inde erogent. Qui autem in Societate hoc modo ab aliquopiam pecunias ad aliis dandas, Superiore non conscio acciperet, in Regulas nostras id fieri expresse (vt supra demonstratum est) vetantes, peccaret, non autem in votum paupertatis. quia tunc dans pecuniæ suæ dominus manet, eamque pro libitu dispensat, ego vero solum eius minister sum & instrumentum, vt eam ipsius nomine dem, cui dari iusserit. At, si det vt liberè, prout mihi videbitur ac placuerit, etsi in opera pia, insumam ac dispertiar: tunc ipsum recipere, dare ac dispensare sine Superioris potestate, non contra regulas solum, verum & contra paupertatis votum futurum est. Primò, quia tunc alter pecuniæ dominium planè à se abdicat, atque illud, quantum est à parte sua, in me transcribit, vt de ea ipse prout lubuerit, disponam: huius vero rei Religiosus incapax est. Secundò, quia non tantum voto paupertatis repugnat, rei cuiusdam se sine Superioris licentia dominum ac proprietarium facere, verum etiam eius vsum & liberam administrationem ac dispensationem vsurpare. Hoc namque quidam est proprietatis & peculii, quod Religiosum habere è voto paupertatis nefas est, modus. Immò docent Theologi, magis voto huic aduersari liberum facultatum & opum habere vsum, quam dominium & proprietatem. Magis quippe Religiosum distrahit, atque ei officit possessionum vsus, quam sine eo illarum aut dominium, aut proprietas. Vnde etiam finis, ob quem Ecclesia & sancti Patres decreuerunt, ne quod Religiosi rerum dominium & proprietatem habere possent, fuit, vt hac illi ratione ab earum vsu & administratione liberi & expediti forent, itaque magis & liberius se diuino cultui dedicarent: hæ namque curæ magis mentem impediunt ac distrahunt, quam ipsamet proprietas.

Religiosus accipiens pecunias, vt eas pauperibus det, quando & quomodo peccet.

Azor. ubi sup c. 9. §. 1. & c. 12. §. 1. & 2. dicit hoc esse contra iuris.

Proinde Religioso, ne in votum paupertatis delinquat, satis non est pecuniæ dominio & proprietate carere, si liberum eiusdem vsum & administrationem, non rogato Superiore vsurpet. An non, vt benè notat Dionysius Carthusianus, risu dignum se faceret pater ille, cui satis esset filio dementi quem haberet, cultri gladiive proprietatem & dominium auferre, vsum vero illius ei interea liberum relinqueret? Non minus stolidi atque deridendi sunt religiosi illi, qui, esto alienæ pecuniæ dominium & proprietatē non habeant, vsum tamen & dispensationem sibi arrogant: quod enim in diuitijs maximè distractiuum, detrimentosum ac noxium est, id sibi sumunt & vsurpant. Immò vero censent nonnulli, etiam primo casu contra paupertatis votum peccari, eo quod & tunc pecuniæ aut aliud eis æquiualens, sine Superioris venia, possideantur ac distribuantur: esto leuem id materiam

Opusc. de reform. claustral. art. 16.

Azor. lib. 12. Instit. Moral. c. 10. § vlt.

teriam

teriam fore, nec ad mortale crimen peruenturum, cum statim in alios ea dantur, existiment.

Hinc inferri colligique responsio potest ad casum quendam satis obuium; num videlicet contra votum paupertatis peccaturus sit Religiosus, qui, non petita à Superiore licentia, ab alio pecuniam aut eleemosynam in alicuius consanguinei, pœnitentis & amici sui vsum petit, & accipit, & aliis donat, vel dantem, vt iis donet aut mittat, rogat? Dico ergo, si Religiosus, tale quid exigens, aut admittens, id sibi acceptet, eius se Dominum faciendo, vel adeo vtendum, in paupertatis votum delicturum; tametsi id alioquin sit consanguineo & amico daturus & missurus, & de facto etiam postea det vel mittat, siue per se, siue mediante alio, & nomine tertij; At, si id sibi non acceptet, sed aperte edicat, Ego tale quid opus non habeo, neq; mihi possum accipere; sed, si Petro vel Paulo illud dare velis, aut mihi, vt ipse dein illi id in tuo nomine dem vel mittam, caritatem mihi & rem gratissimam feceris; tunc id minime contra paupertatis votum fore; tametsi id alius illius intuitu faciat, & ipse etiam propterea danti gratias agat: quia id ipse non tam sibi arrogat, aut eius se Dominum facit, quam tantum voluntatis alterius executorem, & lenem, vt dans hanc voluntatem habeat, & donationem illam faciat, intercessorem. Multo vero minus paupertatis voto repugnabit, si alium quis roget, vt suo proprio nomine tibi vel tali quid det vel mittat, etsi accipiens sciat vel intelligat, id sibi Religiosi intercessione & patrocinio dari. Cæterum, quamuis aperte contra votum paupertatis non sit, hisce in rebus Superioris consensum & beneplacitum non exquirere; multa tamen hoc secum trahere inconuenientia solet: vt omittam periculum præsens esse, ne quid hac ratione contra votum paupertatis committatur, quod homo non semper ita circumspecte agat, nec tam minute inquirat, num dans id mihi det, vel, sicut id ego recipio; num id dem in nomine meo, an illius; num alius id det, an ego. Præsertim quod pecuniarum habendarum tractandarumque, & rerum distribuendarum ac dispensandarum cupiditas ac desiderium, sæpenumero (vti superiori capite dicere memini) hominem excæcare, &, sub aliquarum rationum apparentium colore & prætextu, impellere soleat, quædam vt faciat, quæ directe votum paupertatis impugnant. Quamobrem tam hæc, quam alia id genus, cumprimis timere & declinare debemus, ne de nobis dici contingat, quod olim Senatori cuidam, qui mundum & vna senatoriam dignitatem deseruerat, Monasterioque se addixerat, sed quædam de possessionibus suis pristinis retinuerat, ne suis, victus comparandi ergo, vti cæteri monachi solebant, manibus laborare cogeretur, respondisse Magnum Basilium refert Cassianus, dum diceret, *Et senatorem perdidisti, & monachum non egisti*: Id est, nec Senator es, nec monachus.

Thom. Sanchez. tom. 1. in decal. lib. 4. c. 7.

Azor. vbi sup. c. 9. §. 1. & c. 12. §. 8. & 2. dicit hoc esse contra iure.

Opusc. de reform. claustral. art. 16.

Cassian. lib. 7. c. 19. & in vitis Patrum. lib. 4. de paupert.

CAPVT XVI.

In quo, quæ dicta sunt, exemplis quibusdam confirmantur.

MOnachus quidam in Nitria, de iis qui labore manuum victum sibi comparabant, pecuniolæ cuiusdam coaceruandæ cupidine laborare cæpit, vt refert S. Hieronymus, ad Eustochium scribens. Erat lini textor; ergo cupiditate hac actus, suo in opere nimium quantum festinabat, & parum comedebat. Vnde ex hac parsimonia tandem factum, vt centum solidos (id est nostrate moneta centum aureos) congregarit: quibus collectis vita functus est. Vt ergo ad eum sepeliendum vicini fratres conuenere, argentum hoc inuenerunt, mirati, concilioque coacto consultarunt quid hic facto opus foret, & quid de illa fieret pecunia. Habitabant autem in vicinia circumcirca, plus minus quinque mo-

Epist. ad Eustoch. de custod. virginit.

Pecunia Monachi proprietarij post mortem vna cū cadauere terra infoditur.

Act. 8.20.

nachorum millia per suas quique cellas ab inuicem disiunctas distributi: quorum aliqui censebant aurum hoc inter inopes dispergi oportere, alij templis impendendum; alij parentibus illius, qui forte indigerent, mittendum. Porro magnus Macarius, Abbas Pambo, Isidorus, & alij de cordatioribus & grauioribus (quos vulgo appellabant Patres) loquente per os eorum Spiritu sancto, statuerunt vt vna cum cadauere argentum hoc terræ infoderetur, dicentes illud Apostoli, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Atque ita factum est. Addit autem Hieronymus, Neque est, vt id quisquam crudelitatem fuisse existimet: nam nonnisi mera pietas fuit. Tantum quippe timorem & terrorem exemplum hoc in omnibus tota Ægypto monachis creauit, vt ingentis piaculi loco ducerent, si apud se in hora mortis vel vnus solidus argenteusue reperiretur.

Serm 5 ad frat in eremo.

S Augustinus horribile quoddam de Ianuario monacho, qui vulgo sanctus habebatur, exemplum scribit, quod ipsius verbis, quę magnum legentibus sensum compassionis moueant, enarrabo: Sæpe, inquit, Ianuarij nostri perditio & ruina nobis plangenda & lamentanda est. Videbatur hic quoddam obedientiæ & paupertatis speculum, sed misera vitam catastropha terminauit. Cum enim multis cum lacrymis ad nostram congregationem admitti petiisset, & toto vitæ suæ tempore paupertatem seruare promisisset, nobis insciis, vineam & agros in sæculo possidebat. O professionem leuiteram! ô promissionem proditoriam! Ore proloquebatur, quod corde auersabatur: sanctū credebamus eū, qui omniū erat pessimus. Atq; hoc in statu duodecim ipsos annos & amplius, Ianuarius apud nos vixit. Male vixit, & mortuus est male. Male inquam vixit, quia clanculo & occulte apud se detinebat, quod non erat suum: male autem mortuus est, quia ne in fine quidem vitæ delictum agnouit, sed in eo obstinatus exspirauit, &, nescientibus nobis, testamento condito, filium, quem in sæculo habebat, hæredem instituit. Vtinam id in mortis saltem hora no-

Ianuarius Monachus proprietarius impœnitens moritur.

bis dixisset, vt, orantibus nobis, veniam criminum à clemētissimo Deo obtinere potuisset. Sed enim nec confessionem instituit, nec facti pænituit. Proinde nostras non est, nec erat dum in viuis ageret. Eius ergo defuncti manus colligate, iisque centum illos & vndecim siclos, quos in cellæ suæ pariete clam asseruabat, in pannum iniectos, inserite, plorantes, & dicentes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nefas quippe est, illos in Monasterij sustentationem, vestitum, aut alia quæpiam opera impendere, eo quod condemnationis æternæ sit pretium.

Act. 20.

Cæsar. lib. 9. Dial. cap. 64.

Cisterciensis Religiosus quinq; solidorum possessor hostia sacram in morte constitutus deglutire non potest.

Religiosus quidam de Ordine Cisterciensi, cum in sua ægritudine Abbati iam confessus sacrū Altaris viaticum ore sumpsisset, ipsum deinde claudere non potuit, sacras species ad stomachum traiecturus. Quo spectaculo fratribus adstantibus perculsis, Sacerdos, viatici administer, sanctissimam hostiam, ore eius exceptam, alteri Religioso, qui ibidem æger decumbebat, porrexit: qui magno pietatis sensu eā suscepit, & sine vllo obstaculo transmisit. Non multo post prior ille monachus demortuus; mox autem apparuit, quænam eum causa à salute & remedio accipiendo impedierit. Cum enim cadauer abluere fratres vellent, apud illum quinq; solidos, eosque non argenteos, sed cereos inuenerūt: quos illū habere nefas erat. Quo viso, vnanimi omnes ore Deum laudarunt, &, Abbatem rei huius certiorem reddentes, illo iubente, in agro eum sepelierunt, & peculiola eius cadaueri iniecta, dixere, *Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in perditionem.* Quem cum Abbas casum in proximo Capitulo Generali enarrasset, addidit: Vt autem appareat, ex aliqua infirmitate factum non esse, quod sanctissimum viaticum transiicere non potuerit, cōstat integram illum ea ipsa die gallinā comedisse.

p.2. lib. 7. c.18. Cl… Minor Laicu ciscanus

Frater quidā Franciscanus Laicus cum aliquatenus legendi artem nosset, sed perfectius addiscere vellet, Psalterium sibi cōparauit quoniā vero regula Ordinis prohibitū est, ne quis de Laicis litteras addiscat;

post mortē apparens ob Psalterium quod clam possidebat se dānatum pr[...]fitetur.

cat: Gardianus, hoc cognito, ipsum sibi librum petiit exhiberi. Eum se habere alter negauit. Rursus ergo Superior indicari sibi librum rogat, vt ne proprietarius existat. Sed Laicus obedire detrectat. Haud multū vero intercessit tēporis, cū graui frater ille infirmitate laborare cæpit. Tū Gardianus, ne forte proprietarius moreretur, in virtute sanctæ obedientiæ tandē præcepit, sibi vt Psalteriū proferat, aut saltē quo reconditerit loco indicet: sed miser & infelix in negando perstans & pertinax, mortuus est, eo à se non abdicato. Prima ergo post sepulturā nocte, cū æditous de more ad Matutinū nocturnū pulsaret, magnā & grauē sibi incubare sensit vmbram: audiit ad hæc horrendā & confusam quandam, sine vlla verborū distinctione, vocē, vnde exanimis in terrā corruit. Fratres cum primum campanæ ad Matutinas pulsum, viso secundum æquo diutius differri, postquam iam bono tēporis spatio exspectassent, tēplum adiere, visuri quid Sacristano factū esset eum ergo defectus virib. velut mortuū offenderunt. Qui postea ad se reuersus, rem omnem ex ordine narrauit. Precibus vero matutinis iam inceptis, horrendum illud spectrum denuo apparuit, terribilem fragorem adinstar raucæ & stridulæ cuiusdam tubæ edens, nihil vt eorum quæ dicebat, posset intelligi. Ad quem cum vniuersus fratrum cætus perculsus turbaretur, Gardianus, bene illos cōfidere iubens, spectrum alloquitur, dicens, In nomine Domini nostri Iesu Christi, & sacratissimę passionis eius, te cōpello & iubeo, vt edicas nobis quis sis: & quid hic tibi velis. Mox ergo respondens, Ego sum, inquit, frater ille laicus, quē heri hoc in loco sepulturæ mandastis. Aliquane, infert Gardianus, à nobis suffragia & orationes exigis? & ad quid huc veneris dicito. Tum vmbra, Vestras orationes non efflagito: quia nihil mihi proderunt. nam propter Psalterium, quod proprietatis iure possidens, demortuus sum, æternæ sum damnationi addictus. His auditis Gardianus, In nomine, ait, Domini nostri Iesu Christi tibi mando, vt, quandoquidem te iuuare nequimus, ilico hinc te proripias, nec posthac huc amplius reuertas, nos inquietaturus. Protinus ergo vmbra illa euanuit, nec vnquam ibi exinde fuit visa vel audita.

Loco supra citato.

Religiosus alius, vti Dionysius Carthusianus refert, vestē laceram cum haberet, vestiarium ingressus, pauxillum inde panni, vt vestem illo suam resarciret, sine venia sustulit. Is tandem in morbum incidit: insignis porro Dei debebat esse famulus, quod, morti iam vicinus tantam vultus serenitatem & hilaritatem præferret. In nullo quippe eum remordebat conscientia, nihil in eo inueniebat dæmon, quod ad illum inquietandum depromeret. At cum forte oculos in quendam cellæ angulum, in quo sua dependebat vestis, coniecisset, vidit ei cacodæmonem in forma simiæ insidentem, & frustum illud panni quod vesti addiderat, sapide lambentem, & magna quadam delectatione in illo sibi complacentem. Tum, hoc se segmentum alias sine venia accepisse, recordatus, Superiorem ilico aduocat, culpam confitetur, cum illo se reconciliat: & statim inde se dæmon subduxit.

Dæmō frusto panni insidet quo Religiosus sine veniæ vestem resarcierat.

p. 1. lib. 1. cap. 36 hist. frat. prædicat.

Cum sanctæ memoriæ F. Reginaldus Bononiæ Priorem ageret (vti Annalibus Prædicatorum fratrum proditum est) Laicus quidam aliquod panni eius, quo ipsi vtuntur, frustum eleemosynę nomine, sine venia Prioris, acceperat, vt hoc suam vestem reficeret. Hunc ergo propterea vir sanctus ad Capitulum vocat, &, coram omnibus Religiosis, in eum ceu furem & proprietarium, tam verbis asperis, quam dura verberatione animaduertit: & pannum illum eo in loco, tum ipse, tum reliquis fratribus inspectantibus, flammæ iniecit.

Frater Reginaldus grauiter in Capitulo in proprietarium animaduertit.

p. 1 lib. 1. cap. 46.

In eisdem Annalibus alia quoad hoc historia legitur. Cum enim Albertus Magnus in sacra illa familia Prouincialis munere fungeretur, seuerissime & rigidissime suis inhibuit, ne quis pecuniæ vel parum, tam penes se, quam penes tertium, tam propriæ, quam alienæ, tam in vsum propriū, quā alterius, haberet; idq; sub grauissimis pœnis edixit, & has ēt de facto inflixit. Nā, cum in Capitulo prouinciali nōnemo

nemo certiſſimis quibuſdam ſignis, decretum hoc & conſtitutum violaſſe conuictus eſſet, tam ſeuere illum Albertus caſtigauit, vt eum (quia nonniſi nuperrime defunctus erat) è ſepulchro effodi, & ſepultura aſini, in ſterquilinio, ſepeliri iuſſerit: ad imitationem ſcilicet priſcorum Sanctorum, quibus hoc ſupplicij genere in fratres proprietarios animaduertere ſolenne erat.

(∴)



TRACTATVS QVARTVS

DE VIRTVTE CASTITATIS.

CAPVT PRIMVM.

De excellentia virtutis Caſtitatis, & gradibus, quibus ad eius perfectionem aſcendendum eſt.

1. Theſſ. 4. 3. & 7.



HÆC eſt, inquit Apoſtolus, *voluntas Dei ſanctificatio*, id eſt puritas & munditia, *veſtra; vt abſtineatis vos à fornicatione: vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: non enim vocauit nos Deus in immunditiam*, vt fœdas carnis voluptates conſectemur, *ſed in ſanctificationem*, vt ei magna cum corporis & animæ puritate integritateque ſeruiamus. Apoſtolus illo loco caſtitatem ſanctitatem vocat: ſanctitatis autem & ſanctificationis nomine caſtitatem ſignificat, vti obſeruat S. Bernardus. Redemptor vero Chriſtus in Euangelio cœleſtem & angelicam virtutem eam indigitat, propterea quod Angelis nos aſſimilet. *In reſurrectione*, inquit, id eſt in vita beata, *neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei.*

Serm 22. in Cantic.

Matth. 22. 30.

Vnde etiam S. Cyprianus, virgines quaſdam alloquens, ſic ſcribit, Quod poſtea futuræ eſtis in gloria, iam nunc in hac vita id habere incipitis: quia, quamdiu in caſtitate & puritate viuitis, æquales eſtis Angelis. Idipſum confirmans Caſſianus, nulla ait virtute ita homines Deo ſimiles fieri, ac caſtitate: per eam namque ita pure viuunt in carne, tamquam ſi carnis eſſent expertes & puriſſimi eſſent ſpiritus, ſecundum illud Apoſtoli, *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Ipſos quin imo Angelos in hoc aliquo modo ſuperamus. nam quia hi corpore carent, propterea mirum non eſt hac illos puritate præditos eſſe: at hominem in carne hac mortali, quæ tam acre bellum & aſſiduam rebellionem ſpiritui mouet, viuentem, ita viuere, quaſi ea circũdatus non eſſet, ſed purus ſpiritus foret, longe ſane maius eſt, & prodigio par.

Caſtitas æquales angelis homines reddit.

Lib. de inſtit. renuntiant c 6.

Tanto-

Tantopere vero hæcce Deo virtus placet, vt, cum vnigenitus Dei filius homo fieret, & è muliere nasci deberet, nonnisi è virgine, quæque suam (vt SS. Patres notant) virginitatem per votum Deo nuncupasset, nasci voluerit. S. Ioannes in Apocalypsi vidisse se ait supra montem Sion, id est in cœlo, Agnū, id est Iesum Christum, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, quæ canticum nouum cantabant: neminem porro canticum illud canere potuisse, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hos esse qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Atque hos Agnum sequi quocunq; ierit. Notat autem hoc loco S. Gregorius, virgines dici cum Christo in celso monte versari: quod ob insigne & eximium castitatis meritum, mire in gloria exaltati sint.

Aug. lib. de sancta virginitate cap. 4. tom. Ambros. in Luc. Anselm. Bernard. & alii.

Apoc. 14. 1.

Lib. 5. in c. 13. lib. 1. Reg.

S. Hieronymus & Augustinus illam S. Ioannis Euangelistæ prærogatiuam, quod nimirum plus cæteris discipulis à Christo Domino diligeretur (hoc enim modo eum Euangelium designat, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*) inde potissime ortum habuisse volunt, quod ipse esset origo. Quod etiam in eius festiuitatis officio Ecclesia videtur insinuare, dum canit: *Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis prærogatiua castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; quia virgo electus ab ipso, virgo in æuum permansit.* Atque hoc in sensu de illo nonnulli explicant illud Sapientis in Prouerbiis, *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Hac de causa tantopere illum amabat, & deliciose complectebatur Dominus: ideo quoque eum super pectus suum recumbere in cæna fecit: & quod S. Petrus, qui coniugatus erat, à Christo in eadem petere non fuit ausus, Ioanni innuit vt ab eodem sciscitaretur. Deinde cum in die Resurrectionis Magdalena Apostolis à mortuis Dominum surrexisse nuntiasset, ipse & Petrus pariter ad monumentum properarunt, sed ille hoc citius cucurrit. Alias, cum in nauicula sua in mari Tiberiadis piscaretur, & Dominum se in littore spectandum exhibentem cæteri non agnoscerent, *solus virgo*, vt loquitur Hieronymus, oculis illis aquilinis *virginem agnoscit, & dicit Petro, Dominus est.* Denique cum Redemptor de cruce penderet, cuinam in vltimo illo suo testamento matrem suam virginem, nisi discipulo virgini commendauit?

Lib. 1. contra Iouinian. tract. vlt. in Ioan.

Ioan. 21. 7.

Christus ob eius virginitatem S. Ioannem dilexit.

Prou. 22. 11.

Sed eximias castitatis laudes & præcellentias, necnon alia multa quæ de ea dici possint, missa faciamus: quia hoc in tractatu quā possum breuissimus esse volo, Sanctum P. N. Ignatium imitaturus. Septē porro castitatis gradus assignat Cassianus: per quos, velut in scala, ascendere debemus, donec ad virtutis huius cælestis & angelicæ perfectionem puritatemque vltimam pertingamus. Primus est, vt homo super se vigilando, à nulla turpi sensualique cogitatione aut motu vinci se abripiue sinat. Secundus, vt id genus cogitationibus diu non inhæreat, sed eas, vt primum senserit, à se eliminet. Tertius, vt nullius mulieris aspectu parum vel multum moueatur concitetur ue. Gradus hic magnæ perfectionis est, nec tam communis vti duo priores, ob magnam carnis nostræ debilitatem & corruptionem, quæ similibus in occasionibus statim concitatur & turbatur. Quartus, nullo modo vt patiatur, vt sibi dæmon insultet, & velut barbam vellicet excubanti, & vt vigilans ne vel simplicem carnis permittat motum. Quintus, vt, si quādo opus erit de id genus rebus tractare, illasq; studij causa examinare, excutere & legere, animo subacto, tranquillo, puroq; ea percurrantur: nec magis huiusmodi rerum memoria recordationeq; moueatur, quam si de laterculis, seminando, ædificādo, aliisque id genus materiis loqueretur. Gradum hunc perfectissime & eminentissime S. P. N. Ignatius iam inde à primo conuersionis suæ tempore habuit, quemadmodum in eius vita legere est. Sextus gradus est, vt ne quidem dormienti turpes illusiones, imaginationes, & rerum fœdarū phantasmata repræsententur. Atq; hoc magnam puritatem innuit: signum quippe est, ne minimam quidem spurcitiei speciem memoriæ

Collat. 12. Abbat. Cheremon.

Gradus Castitatis.

Lib. 1 cap. 2.

moriæ insidere: secus vero cum fit, etsi peccatum vllũ id non includat (quia in somnis fit) signum nihilominus est, appetitum sensualem hauddum penitus debellatum ac subactum esse, neue earum rerum imagines memoriæ tabulis erasas. Septimus & vltimus gradus, teste Cassiano, paucorũ est, vti Abbatis Sereni, aliorumq; similium, quibus hanc conferre gratiam Dominus dignatur: scilicet, quãdo ad tantam homo puritatem peruenit, vt nec vigilans, nec dormiens illos in se motus sentiat, qui è causis naturalibus habere ortum solent, vsq; eo vt, per gratiæ vim, appetitus plane quietus & pacifice subiectus sit, ita vt natura debilis & infirma, iam tum illius felicitatis & priuilegiorum, quæ in primo innocentiæ statu habuit, partẽ sentiat: iuxta illud Apostoli, *Vt destruatur corpus peccati.* *Rom. 6, 6.* In his siquidem per Dei gratiam, sua peccato vis & dominium quod habere solet, eripitur, vt iam nullum inordinatum in se motum, neu quid huc aliquomodo spectans, sentiant, sed perinde in carne viuant, quasi carnem non haberent. Nõ id tamen dicere volumus, perfectioni castitatis aduersari, aliquos id genus motus tũm vigilando, tum dormiendo sentire: hoc namq; naturale est, & etiam viris perfectis posse cõtingere asserit Cassianus: etsi hanc non nullis famulis suis Deus gratiam concedat, vt perfectissimum hoc castitatis donum habeant. Alij per Dei gratiam, vix horum quidquam persentiscunt: alij, si quid oboriatur, statim ita facile ad mẽtis malaciam redeunt, tanquam si nihil occurrisset. Atq; omne hoc est, angelicam puritatem æmulari: quod nobis S.P. in Constitutionibus velut scopum præfigit, in quem collimare nos & oculos dirigere oportet: *enitendo,* inquit, *angelicam puritatem imitari* *p. 6 Constit. c. 1. §. 1.* Notanda vero vox *enitendo*, quia *eniti* non solum significat tantum procurare & laborare simpliciter, sed laborare cum violentia & contentione, vi quadam sibi facta, sicut in rebus arduis & laboriosis fit ad illas superandas. Docere ergo hic & commonere nos vult, esse nobis, vt ad angelicam illam puritatem perueniamus, omni animi contentione & viribus laborandum, & rem hanc alto à principio ducendam, in omnium scilicet virtutum exercitio, maxime in mortificatione, nos exercendo. Nam, etsi hoc donari à Deo debeat, & nulla diligentia humana ad hoc satis sit, vult tamen Deus, vt, quod à parte nostra huc ipsi conferre possumus, adhibeamus: atque hac demum via isthoc nobis Deus donum cœpit elargiri.

Capvt II.

Ad castitatem conseruandam requiritur mortificatio, & accurata sensuum, ac præsertim oculorum, custodia.

CAssianus ait, priscorum illorum Patrum opinionem ac sensum fuisse, vtpote longo multoq; experimento edoctorum, neminem vitium & appetitum hunc carnis & concupiscentiæ posse refrænare, & perfecte expurgare, nisi prius omni in re mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. *Lib. 4. de instit. renunc. cap. 8.* S. Basilius quoq; & alij sancti Patres pluribus probant, ad intimam castitatis puritatem perfectionemq; cum obtinendam, tum conseruandã, omnium exercitium virtutum necessario requiri. Illæ omnes quippe huic virtuti ancillantur, adiuuant & custodiunt. *Remedia pro castitate tuenda.* Sed quia hac de re toto hoc opere egimus, ac præsertim in parte secunda; idcirco solum hic particularia quędam, quę maximo nobis quoad hoc auxilio erunt, prosequemur. Primum vero sit, esse nobis, si castitatis perfectionẽ & puritatẽ consequi, eamq; conseruare cupimus, sensuum, ac præsertim oculorum, portas particulari quadam cura custodiendas. Per has siquidem malum & interitus in animum ingreditur.

Lib. 21. Moral. c. 2. Isa 60. S. Gregorius super illud Isaiæ, *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* scribens, ait, ideo iustos nubiũ instar dici volare, quod se à reb. terrenis sustollant, atque ideo in morem co- *Ius[...] dicuntur.*

lumba-

lumbarum, in fenestris & foraminibus dici consistere quod egredi cauentes, ad res exteriores, quæ deforis aguntur, per has sensuum fenestras prospectãdas, securi & tuti sint ab iis concupiscendis: Qui aũt leuitate quadam ad per has sensuum fenestras res mundi contemplandas, foras egrediuntur, non raro ab earundẽ cõcupiscentia desideriisq; ceu turbine quodã transuersim abripi. David Propheta, tametsi sanctus, &, nubis instar ad mysteriorum sublimiũ ac diuinorum considerationem euolare assuetus, quod semel in videndo non sat cautus & circumspectus fuerit, à re visa abstractus & abreptus est (*Ascendit mors per fenestras nostras*) & peccati mors per illas incautorum oculorum fenestras ingressa, animam eius despoliauit, deprædatus est, & occidit. *Oculus meus deprædatus est animã meam.* Vnde S. Gregorius: *Intueri non decet, quod non licet concupiscere* : quia res visæ & inspectæ te post se abripient, ac cor tuũ subruent & prędabuntur: cũq; minus putabis, captum te & cõprehensum deprehendes.

Oculorum euagatio.

Ierem. 9.21.

Thren. 3.51.

Hac de causa ita se contra hoc malum sanctus ille Iob præmuniit, vti de se testatur, *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Quodnam illud, quærit Gregorius, pacti genus est, cum oculis pacisci, vt non cogitent? cum intellectu potius & imaginatione hoc non cogitandi fœdus pangendum est; cum oculis vero, non videndum. Dicit tamen, *Pepigi fœdus cum oculis, vt ne cogitarem de virgine* : probe namque norat vir sanctus, per ostium hoc malas in animum cogitationes intrare: ac, si oculos & sensuum suorum portas bene custodiret, fore vt & cor & intellectus bene custodita essent. Atque ideo cum oculis suis fœdus se pepegisse ait, de nulla muliere cogitandi. Vnde si & tu ab inhonestis cogitationib. immunis esse cupis, oculos castos & honestos habeas oportet, cumque oculis tuis pactum ineas nihil videndi, quod nefas est concupiscere. S. Chrysostomus occasione horum verborum sic quærit, *Quisnam miretur vbi viderit magnum hunc virum, qui diabolum debellauit & confudit, & pedem cum eo velu-cti conferens, omnes eius machinas elusit, & strategemata subuertit, mulieris vultum non audere intueri? Vt nouerimus,* inquit, *quam necessaria nobis in id genus rebus sit circumspectio, quantumlibet pij & religiosi simus.*

Iob 31. 1.

Quid sit cũ oculis suis fœdus pepigisse.

Serm. de continentia Iosephi.

Tria, inquit S. Ephrem, mirifice ad virtutem, & præsertim castitatis munditiem, comparandam hominem adiuuant; temperantia, silentium, & oculorum custodia. Et quamuis duo prima obserues, nisi oculos bene custodias, parum tuta & firma tua castitas erit. Nam, sicuti, dum aquæ ductus & canales fontis alicuius rupti sunt, aqua eius disperit & dispergitur: ita, dum oculi quaquauersum effunduntur, perit castitas. Alius sanctus auctor visum mulieris esse ait ceu sagittam venenosa quadam herba & cicuta infectam, quæ mox vbi cor tetigerit, ipsum enecat. Et, sicut dum scintilla quopiam in stramenta incidit, nisi quamprimum exstinguatur, sed proserpere finitur, mox ingens excitat incendium: ita & cogitatio mala, & ab incauto hoc conspectu causata, nisi suffocetur.

Tom. 2. pag. 236 c 87 de varia doctrina.

Media ad fouendam castitatem.

Visus mulieris sagitta venenosa.

Antiochus Abbas homil. 18. Biblioth. SS.

S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus (vti in vita eius refert Surius) quinquaginta illis & amplius annis, quibus Episcopatum gessit, tametsi multarũ mulierum confessiones exciperet, multaque negotia, quæ ad ipsum, non ex Episcopatu solũ, sed & ex aliis multis orbis partibus, ob eximiam viri sanctimoniam, referebantur, nullam, præterquã vnam ita in facie mulierem conspexit, vt eã exinde nosset, itaq; nesciebat, iuuenculane ea esset, an anus, formosane an deformis. Hac autem is ipse cautela quoad hoc dicebat opus esse: quod à cogitationibus illicitis cor præmuniri ac custodiri nequeat, nisi ante oculi custodiantur. S. Bernardus quoque ita in hac re fuisse legitur circũspectus, vt, cũ semel leui ex incuria mulierem quampiam intuitus esset, non aduertens quid ageret, postea, vbi ad se reflexionem fecit, ita erubuerit & sui ipsum puduerit, vt hiemali tẽpore in conglaciatum se stagnum vicinũ, ad collũ vsq; demerserit, in eoq; tãdiu mãserit, donec inde semianimis & rigidus totus eductus est.

Custodia oculorum.

CAPVT III.

In hac virtute castitatis inprimis, parua magni sunt facienda.

QVo virtus castitatis altior, eminentior ac dignior, eo ad ipsam conseruandam maiorem opus est curam & diligentiam adhibere. In omnibus quidem rebus magni refert parua & minuta maximi facere (nam, vt ait Sapiens, *Qui spernit modica, paulatim decidet* in maiora) in hac tamen virtute specialiter magis id necessarium est: quidlibet enim, quamuis paruum, castitatem non parum inquinat & infuscat. Quod communiter in rebus pulchris & pretiosis vsu venire videmus, vt defectu eæ, quantumlibet exiguo, valde dedecorentur, & eo magis, quo excellentiores sunt & pulchriores. Eodem porro modo in eminentissima & pulcherrima hac virtute fit. Quin etiam dicere licet, nullam hac esse virtute teneriorem ac delicatiorem. Vnde vir quidam sanctus castitatem speculo nitidissimo cõparat: nam quemadmodum hoc flatu & anhelitu leuissimo inficitur, suumq; nitorem & venustatem deperdit: ita pariter castitas suum rebus leuissimis decus & pulchritudinem amittit. Vnde necesse nos est, magnam singularemq; quoad hoc cautelam adhibere, sensus mortificando, inhonestum cogitatum quamprimum præscindendo & comprimendo, & omnẽ occasionẽ declinando. nam vti flamma semper aliquod sui, vbicumq; fuerit, relinquit vestigium, maius aut minus prout diu subiectum occupat: &, si non adussit, saltem vstulauit & infecit: pari modo hæc, quamuis non comburant, satis sunt vt infuscent: propterea quod in mente imagines & cogitationes castitati contrarias in corpore vero fædos & inordinatos motus excitent.

Eccles. 19.1.

Castitas speculo similis.

F. Aegidius de primis S Francisci socius.

Vnde non sine ratione S. P. N. ait, ea quæ castitatem spectant, nulla interpretatione opus habere. Nefas est, hominem sibiipsi confidere, ac dicere: Eatenus si pergam, non adurar: si vero tantillo longius procedam, periculum adibo: hactenus licitum est, si paulo vlterius progrediar, erit illicitum. ita nec in materia castitatis dicendum, Hucusq; veniam, nec vlterius prouehar. Qui per locum lubricum deuolui sinit, se duntaxat ad locum ante cogitatione prædeterminatum deuoluendũ existimat; sed corporis mole & loci lubricitate longius propellitur, etsi id initio nõ intenderet. Simili modo hic contingit: Locus quippe hic apprime lubricus est, carnis quoque nostræ pondus & vergens huc propensio, nimis quam magna est. Virtutis autem huius teneritudo non patitur, vt ruinæ tam vicini fiamus, periculisque tam euidentibus exponamur. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* thesaurus hic pretiosissimus est, eumq; in vase luteo & argillaceo asseruamus, ita vt si hoc vel leuiter collisum sit, ille prorsus statim depereat. Quocirca magna solicitudine & diligentia hic vtamur oportet, omnes vndequaq; omni inordinato motui, per quem passio hæc cordis nostri dominium occupare queat, vias & aditus occludendo.

p. 6. Constit. cap. 1. §. 1.

2. Cor 4.7.

Quidam de veteribus illis Patribus cum ipsum castitatis donum eminenter haberet, & nihilominus mira, ẽt in occasionib. paruis, diligentia in inhonesta cogitatione sub eius exortum pellenda, in visu quoq; conuersatione, & commercio cũ aliis vteretur: sciscitabantur ex eo socij & Fratres. Pater, cur tantopere formidas, cum castitatis dono te ita Deus Opt. Max. communierit & circumuallarit. Quib. vir sanctus, Ecce, ait, fratres mei, si ego facio, quod à parte mea me in his rebus paruis & minutis facere necesse est, mihi aderit & auxiliabitur Deus, ne vnquã in maiora prolabar: at si negligens sim, & in his intepescere incipiã, nescio sane vtrũ mihi opitulabitur: hoc saltẽ merebor, vt suam Domino manũ subtrahẽte, paulatim corruam. Propterea, inquit, nulla in re negligens esse aut ignauescere velim, sed quæ à parte mea sunt, omni-

Hoc refertur de F. Rogerio ord. Minor. in Chron. ord p. 26. cap. 24. Castitas.

omnibus in rebus, quantũuis paruis & exiguis, exactè semper facere. Sic S. Thomas Aquinas, etiamsi donum castitatis supernaturali quodam modo à Deo accepisset, nullamque eius impugnationem sentiret, Angeli denique ei promisissent, castitatem eum nunquam amissurum, summa tamen oculos cautione, tum in mulieribus aspiciendis, tum in alia re qualibet, quæ puritati suæ posset officere, custodiebat.

Hoc porro & nos imitari par est, si modo virtutis huius puritatem & perfectionem conseruare velimus; sin minus, timendum meritò est ne labamur. Atque hoc significat S. Iob, dum de se dicens, *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, mox subiunxit, si enim id agerem, *quam partem haberet in me Deus desuper?* Perinde ac si diceret: Nisi ita serio cauerem, nisi occasiones tam studiose declinarem, nisi malam cogitationem mox animo proscriberem, nisi denique parua magni facerem; aliquod haud dubiè sinistrum desiderium in me oriretur, per quod Deum amitterem.

Iob. 31. 1.

In quo dæmon furem principem ac magistrum imitatur: hic namque domum aliquam clausam diripere volens, si quod foramen vel fenestellam apertam videt, quam ipse spissus pertrãsire nequeat, puerum aliquem furunculum eodem transmittit, vt hic domum ingressus, magistro ianuam aperiat, quo rem suam intus agat: pari modo diabolus prauas cogitationes, leuem oculorum iactum, & alia eiuscemodi, veluti furunculos præuios intromittit, qui illi cordis ianuam aperiant, viamque sternant ingressuro. Vnde permagni interest summa hic cautione vti, occasiones nimis quam procul & eminus præcauendo ac declinando Quæcumque autem hoc in genere diligentia adhibetur, nonnisi optime fuerit impensa.

Ad hoc propositum adfert Cassianus illud Apostoli Pauli, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet:* Si, inquit Cassianus, athletæ illi veteres, qui in Olympicis certaminibus luctabantur & currebant, ad vires corporis, quæ ad hoc requirebantur, non debilitandas, nec deterendas, cibis, quibus eæ destrui possent, abstinebant, otium cauebant, exercitia vero obibant, quibus robur adaugerent: si adhæc, quo celeriores & robustiores essent, renes plumbo exterius adhibito cõmunibant, vt, ne quidem inter dormiendum motum aliquem inhonestum & illusionem sentirent, neu quid illis contingeret, quo vires & vigor corporis si non perirent, saltem imminuerentur. *Et* hæc *illi* agebant, *vt corruptibilem* ac transitoriam *coronam* & præmium *acciperent:* quid ergo nos, vt angelicam & cœlestem hanc virtutem, necnon sempiternam, incorruptam, & æternum duraturam coronam accipiamus, facere par est?

Lib 6 de instit renunt. c. 7.
1. Cor. 9. 25.
1. Cor 47.

Capvt IV.

In confessione potissimum, magni faciendum omne id, quod aliquo modo castitati contradicat.

S. Bonauentura de confessione loquens, generale quoddam & omnibus conueniens dogma proponit. Omnes, inquit, inprimis caueant, ne qua paulo obscœniora, quæ subinde contingunt, confiteri negligant, dicendo, Hoc non est peccatum, aut saltem non erit mortale, venialia porro confiteri non tenemur. Quia ingentium hoc malorum causa, multis quoque perditionis suæ existit principium. Auertat à te Deus, ne quando hunc dæmoni aditum patefacias, hacque eum via ad te intromittas: quia ei, ad te perdendum, amplius non est necessarium. Quamprimum namque, pudore cum rei vilitate concurrente, tibi persuadebit peccatum non fuisse, quod reuera fuit, aut saltem de quo probabiliter dubitari poterat, an verè esset; atque vt ipsum confiteri negligas. Porro in ho-

In specul. disciplin.

in hominibus bonæ vitæ, quique mortaliter peccare non solent, hæc verecundia potissimè, si quando quid turpe illis euenerit, habere locum consueuit. Nam quoniam superbia & æstimationis propriæ appetitus adeo nobis connaturalis est, intimisque visceribus ita inhærens, hinc ille tunc suppullulans reuiuiscit, maximeque hominem mordet & vexat, quod nomen ac reputationem suam iam amittat, & quam apud Confessarium habebat, existimatione bona excidet. Atque hinc est quod aliquas rationes conquirat, sibi vt persuadeat, rem illam vilem ac turpem, quam iam tantopere erubescit confiteri, ad peccatum mortale non ascendere, itaque ad eam confitendam se non obligari. Alias vero, etsi eam penitus non reticeat, in causa hoc est, vt eam tam minutè & elumbatè atque iis in terminis, circuitionibus proferat, vix vt intelligatur, aut saltem non tam grauis esse videatur. quod perinde est, ac si non dixisset. Quod enim in confessione dicitur, ita clare liquidoque dicatur oportet, vt peccati grauitatē confessarius intelligat Hinc si quis rem ita declaret, vt vel peccatum nō videatur, vel grauitas & necessaria circumstantia non percipiatur, idem facit, ac si cōfessionem nullam instituisset. Pudor, vel vt melius dicam, superbia eos excæcat & fascinat, ne se totos & aperte patefaciant. Parum ille, aut nullo modo de culpis dolet, qui ne quidem ad eas confessori dicendas aperiendasque sufficientem virtutem habet. Pudorem & erubescentiam hanc, homo in aliqualem culpæ quā admisit, compensationem & satisfactionem offerre deberet, vt per eam Deum Opt. Max. in quem offendit, iratum leniat. Hoc tantum, quod in aperienda culpa repugnantiam ac difficultatem sentiat, satis esse homini deberet, ad se vt suspectū habendum, aperteque intelligendum eam aperire oportere: etsi aliud in eo boni non foret, quam quod hanc repugnantiā superet, se ipsum mortificet, atque impediat ne caro & diabolus quoddam de se victoriæ tropœum statuant.

Præsertim quod in hac castitatis materia multa occurrant, quæ imperiti & ignari peccata mortalia esse non putant, cum tamen vere sint: quin & alia, de quibus facile non est statuere vtrum eousq; pertingant, necne; quia maxime dubia sunt & intricata. Vnde etiam hæc sub peccati mortalis pœna homo confiteri tenetur. Adeo vt, cum quis dubitat, num culpa quam admisit, ad mortalem pertigerit necne, satis id sit, vt ipsam confiteri sub peccati mortalis pœna teneatur, & eam nō fatendo, tam confessio, quam diuinæ Eucharistiæ sumptio, sacrilega fiat. Sæpe fit, vt ne confessarius quidem, quantumlibet doctus & gnarus, determinare certo possit, num ad mortale crimen ascenderit, necne; quomodo ergo in causa propria eam pęnitens pertransire, & leui pede certo definire audeat, illam eousque non peruenturam? Magno se haud dubiè hic periculo exponit: præsertim quando ad hanc omissionē & silentium aliquam à natura propensionem habere videtur, & si posset, vellet eam plane non esse, & obliterari, nec tantam tamque grauem apparere, idque ob pudorem, quem in ea explicanda sentit. Equidem non ausim aliquam illi in conscientia securitatem præstare. Alio porro meliori teste hic opus non est, quam propria vniuscuiusque conscientia: nam qui in confessione de aliis noxis minoribus se excusat, non potest non remorsum conscientiæ sentire, cum id se videt negligere confiteri, quod maius esse nouit, quam alia omnia. Sane in hora mortis non auderes id omittere fateri, ergo ne omittas illud etiam modo: ita quippe nos & confiteri, & omnia opera peragere oportet, tanquam si statim vita essemus excessuri. Vnde S. Gregorius, *Bonarum mentium est, ibi etiam aliquando culpam agnoscere, vbi culpa non est:* ita ex aduersum, non bonarum est, ibi culpam non timere vel agnoscere, vbi culpa est. *Epist. ad Angueto. Respons. prima.*

Dicunt adhoc aliqui, Ideo id fateri omitto, ne reddar scrupulosus. Est autem hæc alia quædam dæmonis illusio. Neque enim hoc scrupulositas est, aut dici potest: quia minora multo quam hæc in confessione dicunt, & dicere debeat, qui virtutis

sunt studiosi, non quidem quod ad id teneantur, aut scrupulis agantur; sed ex mera deuotione, & singulari erga sanctissimũ Sacramentum reuerentia. Tanta quippe in hoc puritate procedendum est, vt se etiam de eo quod culpa non est, hominem in hac materia accusare debere viri spirituales consulant: v. g. Accuso me, Pater, quod ad obscœna fuerim tentatus. &, si negligẽtem in ijs refellendis fuisse te credas, ipsum indicare debes, dicens, Videor mihi aliqualem in iis admittendis vel repellendis negligentiam prætulisse, etsi nonnisi leuissimam, & venialissimam. Et sane vt plurimũ aliqua in iis subest culpa vel negligentia, eo quod tenaces & viscosæ sint. Verum tamẽ esto nulla prorsus in eo culpa tua interuenisse videatur, dicere nihilominus potes, Accuso me, quod multas inhonestas cogitationes ac tentationes habuerim; addendo, quamquam, Deo dante, fecisse videor quod à parte mea mihi faciendum incũbebat, nullamque in eo culpam meam extitisse. Sicut etiam consulũt, vt hoc se quis modo de blasphemis contra Deum, & sanctos, & fidem occurrentibus cogitationib. accuset; necnõ de iis quę minoris momenti sunt: qualia sunt ea quæ in somniis eueniunt, in quib. nulla interuenit culpa: quia sine voluntate & libero arbitrio nulla potest esse culpa. Nihilominus salutare consilium est, vt illusionẽ hanc nocturnam homo confiteatur, ob eamq; se humiliet: quãuis id de necessitate non sit, cum nullam eius dederit causam, nec vllam in eo culpam admiserit. Atque ita solent ii qui timent & amant, se ante ei per horum confessionem reconciliare, quam cõmunicent, idque ex magna erga tam diuinum Sacramentum reuerentia. Quærunt quin etiam hoc loco Theologi, num propterea sit omittenda communio? docentque, decentius ac reuerentiæ maioris fore, in aliũ diem ipsam differre, nisi particularis aliqua ratio secus faciendum suadeat, vti in Religioso tum vsu venit, quando vniuersa communitas communicat: qui si tunc cum aliis sacram communionem non adiret, notaretur. At, posito iam illi communionis adeundæ facultatem factam esse, optimum est, si ante positum consilium sequatur.

Capvt V.

Quam vehemens & periculosa sit paßio amoris, & quantopere ea extimenda.

IN iis quę maxime timenda sunt, non postremum locum tenet passio amoris: nã, quoniam est passionum primaria & vehementissima, hinc etiam est ad regendum refrænandumque difficilis: itaque maiori in periculo versamur, ne ab ea præcipites abripiamur. Egregiè passionis huius vim ac vehementiam declarat S. August. quamq; merito hominibus ea timenda sit; idque duobus è sacra Scriptura depromptis exẽplis. Primũ est primigenii parentis nostri Adam: Percontatur ergo S. Doctor, quid causæ sit, quod Adam voci vxoris suæ obedierit, Deiq; præceptũ violando, ex arbore vetita comederit? Anne, fuit Adam fere credens se, si de fructu illo comederet, sicuti Deum fore, quemadmodum Euæ serpens promiserat? Verisimile, inquit, non videtur Adamum, qui tam eminenti donatus à Deo erat sapientia, decipi potuisse, vt huiusmodi quid sibi persuaderet. Vnde Apostolus: *Adam non est seductus, mulier autẽ seducta in præuaricatione fuit.* Quocirca notat curiose S. August Euam dum à Deo rogaretur, *Quare hoc fecisti?* respondisse, *Serpens decepit me & comedi.* Adamũ vero dum rogaretur, non respondisse, Mulier q̃ dedisti mihi, me seduxit, itaq; comedi, Sed, *Mulier quã dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi* Tanto scil. erga vxorem suam amore & affectu ferebatur, vt, ne eam mœrore afficeret, postulatis eius morem gesserit. Hoc igitur modo Adami illusio & seductio contigit, Amor scilicet eum decepit. Idque, non quod à sensualitate & carnis concupiscentia illectus & victus esset, ait S. Augustinus (quia tunc illa in ipso rebellio non fuit) sed ab amore & beneuolentia amicabili, ob quam interdum, quo amico placeamus; Deo displicemus.

Lib. 11 super Gen. ad litter c. 42.

2. Tim. 2. 14.

Gen 3.12.

Adam amore in Euam seductus est, Salomon.

plicemus. Adeo vt per hanc ianuam pec-
catum intrarit, & cum eo mors, atq; adeo
mala omnia, labores, & ærumnæ. Secundū
exemplum est Salomonis. Quis, inquit
Augustinus eo stuporis & dementiæ Salo-
monem compulit, vt idololatra tandem
factus sit? Neque enim credendū est, virum
qui tantam à Deo sapientiam acceperat,
sibi persuasisse aliquam idolis illis diuini-
tatem aut numen inesse, aut vllum ab eo-
rum cultu emolumentum colentibus pos-
se prouenire. Quid causæ fuit, eo cœcitatis
& amentiæ vt venerit, vt eadem adoraret,
incensumq; supplex iis adoleret? Amor,
atque hoc expresse nobis declarat Scriptu-
3. Reg. 11. ra diuina, dū de eo scribit: *Adamauit mu-*
lieres alienigenas multas de gentibus, super
quibus dixit Dominus filiis Israel, nō ingre-
diemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad
vestras: certissime enim auertent corda ve-
stra, vt sequamini Deos earum. His itaque
copulatus est Salomon ardentissimo amore:
cumque iam esset senex, deprauatum est cor
eius per mulieres, vt sequeretur Deos alie-
nos. Quia enim Salomon huic Dei manda-
to non paruit, hinc illi factum quod Deus
præmonuerat. cū enim quampiam de illis
mulieribus adamaret, mox idolo quod ipsa
colebat, fanum ædificabat: accepta rursus
alia, & eius idolo delubrum construe-
bat: atq; ita factum cæteris. Jllæ autem in
his Deos suos adorabant, quib. Salomon ta-
metsi tanta grauitate & sapientia Rex, tur-
piter ancillatus, vna cum ipsis falsa hæc nu-
mina colebat, incensumque adolebat. Non
quod, ait Augustinus, quid in illis adoran-
dum colendumq; crederet, sed amore ex-
cæcatus & victus: ne videlicet suas delicias,
quib deperibat atq; diffluebat, contristaret,
vtq; placeret iis, quæ ipsi tantopere place-
bant: Amor scilicet cor eius peruertit. Hac
de causa sancti Patres, & vitæ spiritualis
magistri, consulūt & monent, vt ab hac pas-
sione, & omnib. occasionibus quæ huc nos
pellicere possunt, remis velisq; fugiamus:
& licet amor hic videatur bonus, & non
nisi erga homines singulari virtute & sancti-
tate præditos feratur, adhæc conuersatio
tractatioq; de rebus bonis sit & spiritualib.
ipsi quoque quibuscum agitur, multum de
tali commercio sese in spiritu proficere &
iuuari credant; nihilominus magnam cir-
cumspectionem & cautelam adhibeamus.
Etenim cōmunis Sanctorum Patrum do- *tom. 2 opusc. 2. de prof. relig. c. 27.*
ctrina est, quam etiam adfert Bonauentu-
ra, Amorem spiritualem facili negotio so-
lere degenerare & adulterari, atq; è spiri-
tuali in carnalem & sensualem transire, ac,
licet in principio purum vinum sit; postea
ei aquam misceri, quodq; initio balsamum
erat, aliorum vilium inferiorisque notæ li-
quorū immistione vitiari, iuxta illud Isaiæ *Isai. 1. 22.*
Vinum tuum mixtum est aqua: Imo vero
hoc esse medium & esca solet, qua ad ho-
minem seducendum, eumque paulatim,
quocunque lubuerit, abijciendum caco-
dæmon vti solet.

Vnde S. Bonauentura, dæmonem perin- *Process. 6. relig c. 16.*
de hic facere ait, atq; olim Architriclinus *Ioan. 2. 10.*
ille in Cana Galilæa, qui sub conuiuij ini-
tium bonum sapidumque vinū propinans,
postea dedit quod deterius erat. Principio
siquidem iis persuadet, omnia non nisi ad
deuotionem tendere, spiritui iuuando mi-
rum in modum conducere, æquè hac con-
uersatione familiaritateq; vt mirifice pro-
ficiant, posteaquam vero eos ad nutum fle-
xibiles ac minime renitentes reddidit, ac
velut arrhis acceptis penitus sibi videt ac-
quiescere, tum demum virus suum detegit
ac manifestat. Illud primum fuit velut es-
ca, ad eos in rete suum pertrahendos ac-
commodata. Neq; vero dæmonem, ait Bo-
nauentura, piget tædetue, escam hanc, quæ
bona videatur, multo cuipiam tēpore pro-
ponere: omne quippe tempus optime illis
insumptum videtur, nempe, vt amor spiri-
tualis tandem in carnalem ac sensualem
degeneret. Quam multi, ait Bonauentura, *Process. 4. de relig. c. 12.*
cum aliis sub prætextu spiritus, familiari-
tatem & amicitiam contraxerunt, rati eam
omnem nonnisi à Deo & spiritualem esse,
& animabus suis perutilē futuram (& forte
in principio talis erat) & postea amore illo
paulatim in malum degenerante, inepta &
impertinentia quædam colloquia miscere,
ac res leuiculas & ridiculas tractare ince-
perunt, cumque spiritu cæperint, carne cō- *Gal. 3. 3.*
summantur.

Refert

I.1.tract. de distinct. Verar. vision. & falsis signo 5. Amor ſpi- rita ſæpe deg- rat in cat de...

Refert Gerſon, cum inſignis quidam Dei ſeruus, præclaris tum doctrinæ, tum virtutis ornamentis conſpicuus, cum religioſa quadam itidem Dei ancilla, ſancte aeque rebus ad animæ ipſius ſalutem ſpectantibus identidem ageret, paulatim vna cum conuerſatione & aſſiduo commercio, amorem & effectum eius erga illam creuiſſe, ſed non in domino, adeo vt ſe is continere non poſſet, quin illam ſæpius inuiſum abiret: multoq; cum eadem tempore colloqueretur, ab ea vero cum abeſſet, non poterat non aſſidue de ipſa cogitare. Nihilominus bonus hic vir adeo excutiebat, nullum vt ſibi in hoc commercio malum, nulla diaboli illuſio, latere videretur. Dicebat enim nullam omnino ſibi rei illicitæ hinc cogitationem oboriri. Quo excuſationis genere nō pauci excæcari & in fraudem pellici ſolent. Hæc ille ita faciebat vſq; dum certa quadam occaſione ſe offerente, longum quoddam iter inſtituere coactus eſt: ac tum demum in diſceſſu ab illa ſeruus hic Dei percepit, amorem hunc nec purum, nec caſtum, fuiſſe, ac niſi per hanc profectionem & abſentiam peccandi ſibi occaſionem Deus eripuiſſet, haud procul ſe à ruina & præſenti exitio fuiſſe. Vnde eo loco Gerſon, de ingenti, quod in hoc amore latet, periculo & illuſione agens, ait, Non quidquid reſplendet aurum eſt, nec caritas, omne id quod caritas eſſe videtur. Virumque quendam ſanctiſſimum dixiſſe tradit, nihil eſſe, quod aut magis timeret, aut ſuſpectius ſibi eſſet, quam amorem, eſto is etiam erga multæ virtutis & ſanctitatis homines feratur, & ad hoc adfert illud Salomonis *Eſt via quæ videtur homini recta, nouiſſima eius ducunt ad mortem & interitum.* Fallis, inquit, via hæc amoris eſſe ſolet.

Prou 4.5.

(?)

Rodriquez exercitij pars 3.

CAPVT VI.

Aliquot ſuggeruntur cōtra tentationes inhoneſtas remedia.

SEcunda parte, tractatu quarto, qui eſt de tentationibus, quædam aduerſus haſce tentationes remedia producimus, nonnulla vero in hunc locum, reſeruauimus, de quibus iam erit in præſens tractandi locus. Primo quidem Oratio inter omnia, quæ à diuina Scriptura & ſanctis Patribus, contra omnigenas tentationes ſuggeruntur media, facile princeps eſt. Hoc nos ipſemet Chriſtus in Euangelio docet, dicens. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Vnde V. Beda, ſicut, inquit, fur dum clamorem audit, fugit, omneſque eo exciti exſurgunt & ad auxiliandum accurrunt: pari modo orationis clamor diabolum fugat, Angeloſque & Sanctos omnes excitat, vt ad auxiliandum nobis & opitulandum accurrant. Sic S. Bernardus fertur, cum impudica quædam caſtitatis prædatrix ſibi immineret, alta voce clamaſſe, latrones, latrones, atq; hoc clamore fœminam à ſe abegiſſe Si ergo ad hominem clamorem & voces fur effugatur, quanto magis, fur ille veteranus, ac veterator, qui ſpirituales animæ noſtræ diuitias furari procurat, ad clamores & voces quas ad Deum & cœlites extollimus, fugam inibit?

Contra carnis tentationes Remedium I. Oratio.

Mat. 28.41.

Singulariſſimum porro aduerſus has tentationes & optimum remedium eſt, ſeria attentaque, paſſionis Chriſti recogitatio, inq; eius vulneribus abſconſio Quocirca præclare S. Auguſtinus: *Nullum*, ait, *tam potens eſt, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis ſicut Mortis Redemptoris mei memoria. In omnibus rebus non inueni tam efficax remediū quam vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.* Vnde etiam Doctor

2. Memoria paſſionis Chriſti.

in Manuali c.32.

quidam grauis curiose obseruat, non dici latus Christi in Euangelio percussum aut trasfossum, sed apertum. *Vnus militũ lancea latus eius aperuit:*

Ioan. 19. 34.

Vt nouerimus, inquit, viam & aditum apertum esse, vt per hunc, ad intimũ cor Christi ingrediamur, atq; ibi nostrum esse refugium & asylum debere *in foraminibus inquam, petræ* (id est Christi) *in cauerna maceria.*

Cant. 2. 14.

Hoc quoque remedium assignat S. Bernardus, dum ait, Quando tentationem hanc senties, quam primum passionem Christi meditari incipe, ac dicito. *Deus meus pendet in patibulo crucis clauis suffixus, & ego voluptati operam dabo?* Vti, ait, olim fidelis ille miles, qui Regi hortanti, vt in domum abiret, ibique quietis paullum capturus, defatigatum corpus lautitiis quibusdã oblectaret, respondit: *Arca Dei & Israel & Iuda*

2. Reg. 11. 11.

habitãt in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciẽ terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Ita & nos dicere oportet, Tu, Domine, in cruce hac fixus es, & voluptates, quas homines peccando captant, tam carè in ea luis: quocirca nolo voluptati indulgere, quæ ita care tibi stet.

3. Recordatio quatuor nouissimorum

Alij in hisce tentationibus, quatuor nouissimorum considerationem & memoriã vt certissimum remedium, adhibent, iuxta illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.*

Eccl. 7. 40.

Multi siquidem inferni considerationem hic vtũtur recogitantes illud S. Gregorij: *Momentaneũ quod delectat, æternũ quod cruciat.* Nam in æternitatem illam, in illud semper, in illud, quam diu Deus erit Deus, penetrare, efficacissimum quoddam est ad minime peccandum, medium, iuxta illud Prophetæ *Descendat in infernũ viuentes.*

Psal. 54. 16.

Nunc namq; & interim dum viuitur, seria in infernum consideratione descendere plurimum conferet, ad eodẽ post mortem non descendẽdum. Alij per ipsam gloriæ cælestis considerationem tentationem hanc expugnant, ingentem esse dementiam & stoliditatem rati (vt etiam haud dubiè est) cum perbreui & exigua voluptatula Dei possessionẽ mutare, & semper duratura gloria propterea in æternum excidere. Quæ autem esse maior stultitia quam non facere, quod Deus gloria sempiterna proposita præcipit: & facere, quod faciendum iubet diabolus, infernalib. tormẽtis propositis, huc nos inuitando? Alii denique ipsa mortis & iudicij supremi recordatio, hac in parte plurimum prodest. Omnes hæ considerationes optimæ sunt: quisque autem eam arripiat & vsurpet, è qua maiorem sibi prouenire fructum, quem modo in hac, modo in illa sentiet, quare indiscriminatim re omni vtendum est.

4. Signum S. Crucis & nominis Iesu inuocatio & in Deiparam Virginem affectus.

Aduersus hasce tentationes nõ mediocre item munimentum est, regni crucis in fronte, & in pectore formatio, nec nõ sanctissimi nominis Iesu cum affectu & deuotionis sensu inuocatio. Mirabiles porro effectus, & permulta miracula, quorum plena sunt passim veterum historiarum monumenta, hinc secuta legimus Ipsum quoq; erga Deiparam matrem studium & affectus, mire quo ad omnis proderit: vnde nemo sit oportet, qui nõ singulariter erga eam affectus sit, & quam primum in discrimine suo magna cum fiducia ad sanctissimam hanc virginem confugiat: neq; n. potest non esse misericors illa, quæ nouem mensium spatio ipsammet virginalibus visceribus suis misericordiam cõplexa fuit Et demum mater misericordiæ, ac fidissima aduocata & patrona peccatorum, quos ipsa singulari modo diligit, quia videt, quantopere eos suus filius dilexerit, quamq; caro pretio eos compararit. Inprimis vero videt, hos ipsos peccatores causam fuisse, cur Dei verbum æternum de corpore suo carnem assumeret, ipsaq; Dei altissimi mater fieret: ac propterea oculis quam potest clementissimis illos respicit, pro ijsdem apud filium intercedit, & quidquid vult, ab eodem intercessione sua cõsequitur. Quid n. filius matris negare queat, & quid talis filius tali matri? Vnde merito S. Bernardus celebri illo elogio eam compellat, *Sileat misericordiam tuam, virgo*

Serm. 1. de Assumpt.

Virgo beata ſi quis eſt, qui inuocatā te in neceſsitatib ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Porro etſi ad omnia quidem tentationum genera & occaſiones, iſthoc remedium efficaciſsimum ſit, inprimis tamen ad hanc de qua in præſentia loquimur; propterea quod puriſsimæ illi Virgini puritas & caſtitas tam grata ſit ac placeat. Hinc nonnullorum Doctorum opinio eſt, eminentiſsimam illam puritatem virginalem, quam Ioan. Bapt. habuit, ita quidem integram, vt ne veniali quidem næuo eam commacularit, ab ipſa virginis huius viſitatione, quæ trimeſtri integro cum Eliſabetha cognata ſua cōmorata eſt, ei obueniſſe. Fuit quippe viſitatio hæc, tam corporalis, quam ſpiritualis, ait S. Ambroſ. *Non n ſola familiaritatis eſt cauſa quod diu manſit ſed ēt tanti vatis profectus.* Et ſi è prima viſitatione & ſalutatione, tantum ſecutum eſt bonū, vt infans in vtero matris exultarit, & ſanctificatus fuerit, ipſa quoque Eliſabeth, audita virginea ſalutatione, repleta fuerit ſpiritu ſancto, ecquem, inquit, fructum, ecquod commodum & tanti temporis præſentia & conuerſatione ſecutum eſſe exiſtimas?

Lib. 2 in Luc. c. 9.

R. D. M. Auila varios effectus & notabiles fructus ſe ſcribit vidiſſe in multis, qui cum ab hac tentatione exagitarentur, Virginis Deiparæ ope, ab eadem mirabiliter liberati ſunt, quotidie aliquas in immaculatæ eius conceptionis (vtpote quæ ſine peccato cōtigit) nec non puritatis eius, quæ vnigenitum Dei filium concepit & apperit memoriam, preces recitando. Cui rei & intentioni peraccommodi ſunt verſiculi illi, quos & concinit Eccleſia. *Poſt partum virgo immaculata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis: &*

Cap. 14. Audi filia

Virgo ſingularis.
Inter omnes mitis.
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.

In quibus immaculatam & perpetuam eius virginitatem ei in mentem reuocando, eam rogamus, hanc nobis virtutem vt impetret, vt per eam tam ei, quam cariſsimo eius filio placeamus. Non cōtemnendum itidem remedium eſt, erga ſanctos, eorumq; reliquias mire aſtici. Refert Cæſarius rem, quam ſe ex ore eius accepiſſe dicit, cui eadem contigit, Monacho, ſc. Ciſtercienſi, Bernardo nomine. Hic cum nōdum religioni nomine dato, aliquo proficiſceretur, quaſdam ſanctorum Martyrum Ioannis & Pauli reliquias de collo ſuſpenſas habebat. In itinere porro inhoneſta quædam illi incidit tentatio: quam cum tunc quidem parum curaret, eiq; non reſiſteret, nec fœdas illas cogitationes pro eo ac oportebat à ſe abigeret, ecce tibi ſanctæ illæ reliquiæ thecæ ſuæ motu pectus eius tundere incipiunt ac molitare, illi tamen minime huc reflectebat, nec quid hoc eſſet aduertebat, ceſſante tentatione ceſſabat & pulſus: At paulo poſt illa redeunt, ſtatim etiam iterari cæpit pulſus reliquiarum, tāquam ſi aurem eius vellicarent & commonerent, ſuper ſe vt excubaret, ac fœdas illas cogitationes à ſe repelleret. Tum demum cæpit reflexionem facere, & cogitare ſeſe hoc pacto officij commoneri, quare ſumma diligentia ſpurcæ tentationi conatus eſt reſiſtere.

5. Affectus erga SS. eorumq; reliquias.

Salutaris quoq;, & ad hoc valde conducens deuotio eſt, ſæpenumero ſanctiſsimum Altaris ſacramentum viſitare, atque ab eo opem & gratiam, ad victoriam referendam depoſcere. Maxime vero huc frequenter eiuſdem ſacramenti ſumptio cōferet, iuxta illud Prophetæ oraculum, *paraſti in conſpectu meo menſam,* quæ ingentem mihi virtutem, & robur *aduerſus eos, qui tribulant me,* ſuppeditat. Aduerſus omnigenas quidem tentationes (vt docent SS. Patres) ſacer hic cibus præſentiſsimum remedium eſt, inprimis tamen, & ſingulari quadam ratione, ad carnis tentamenta ſuperanda, caſtitatemque conſeruandam, vires ſubminiſtrat. Nam peccati fomitem mitigat, motus carnis imminuit, & ardores concupiſcentiæ, non ſecus ac ignem aqua exſtinguit, vt docet S. Cyrillus, & ad hoc adducunt illud Zachariæ. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius niſi frumentum electorum, & vinum permināns virgines?* de quo ſuo dictum eſt loco.

6 Viſitatio frequens V. Sacramenti, & ſumptio.

Catvp VII.

Pœnitentia & mortificatio carnis accommodatiſsima & primaria eſt contra hanc tentationem medicina.

7. *Et præcipuum remedium eſt, carnis mortificatio.*
epiſt ad Furiam.
Hieron in vita eius.

B. Hieronymus ſic ſcribit. *Ardentes diaboli ſagittæ*, ieiuniorum & vigilia-
rum rigore extinguendæ ſunt, & inordi-
nati carnis motus & appetitus pænitentiis
adhibitis & aſperitatibus edomandi. Quod
ipſe etiam opere præſtabat. Sic & S. Hila-
rion referente eodem S. Hieronymo cum
à titilationibus carnalibus, fœdiſque cogi-
tatibus infeſtaretur, ſic corpus ſuum com-
pellabat, Equidem, aſine, efficiam, vt ne re-
calcitres auenam quiqqe laſciuiæ occaſio-
nem tibi ſubtraham, nonniſi paleis te paſ-
cam, fame ſitique conficiam, grauibus o-
neribus opprimam, calore & frigore ma-
cerabo, vt de cibo habendo potius, quam
de laſciuiendo cogites. Hoc genus remedij,
tum & à ſanctis Patribus maximopere
commendari, tum à Dei ſeruis ſemper v-
ſurpari ſolet, etſi alioquin illicitos in car-
ne motus & conflictus non experirentur.

Non nemo, vt in Frãciſcanis annalibus
ſcribitur, à quodam viro ſancto quæſiuit,
cur Ioannes Baptiſta, iam inde à matris v-
tero ſanctificatus, in deſertum ſe contule-
rit, tantaq; ibidẽ aſperitate in corpus ſuũ,
vti in Euangelio de eo ſcriptum eſt, ani-
maduerterit? qui viciſſim ab eo petiit, cur
caro etiam recens & bona, ſaliretur? Re-
ſpondit alter, vt melius conſeruetur &
nõ corrumpatur. Ad hunc ergo modum,
inquit, Ioannes Baptiſta aſperitatis ſale ſe
ſaliuit, quo eius ſanctitas melius amoris
corruptionis expers, conſeruaretur, vti de
eo canit Eccleſia. *Ne leui ſaltem maculare
vitam famine poſſes.* Si ergo etiam ante-
quam hæ tentationes ſentiantur, atque in
tempore pacis, hocce ſeueritatis ac morti-
ficationum exercitium vſurpari cõuenit,
quanto magis tempore belli ipſum adhi-
beri par erit? Hic caſtitatem ait D. Thom. 2.2. q 155. 4 1 & 3.
Ariſtotelem ſecutus, à caſtigatione dici, quod *Ariſt. 3. Ethic.*
ipſa corporis caſtigatione vitium contra-
rium refrenandum ſit, additq; inhoneſtatis
vitia, ſeu pueros eſſe, qui quod ratione pru-
dentiaque careant, virgis coercendi ſunt.

At, quid ſi ex hac corporis caſtigatione
quædam ſequatur debilitas, languor, ac
valetudinis corporalis detrimentum? Ad
hanc obiectionẽ reſpondet, ſed alio in lo-
co, Hieronymus. *Melius eſt*, dicens, *eis ſto-
machum dolere, quam mẽtem.* Satius quo-
que eſt præ infirmitate pedes claudicare ac
tremere, quam vt vacillet caſtitas: tametſi
in omnibus & ſemper ipſa adhibenda ſit
diſcretio. Atq; ideo omnia hæc ſecundum
vniuſcuiuſque vires, tentationis, & pericu-
li magnitudinem commenſuranda ſunt.
Quia aliud eſt tentationem tam vehemẽ-
tem pati, vt caſtitatis amittendæ periculo
hominem exponat: ac tum quidem cui-
cunque diſcrimini corpus exponendum
& obiiciendum eſt, quo anima viuat & ſa-
lutem conſequatur, iuxta illud medicorũ
definitum. *Extremis morbis extrema &* *Simile.*
exquiſita ſunt adhibenda remedia. Sicut
enim quando morbus mortalis eſt, & ho-
mo in præſentiſſimo vitæ perdendæ diſ-
crimine verſatur, extraordinariæ vſurpan-
dæ curationes, & extrema tentanda ſunt:
pari modo in tentationibus & ſpirituali-
bus infirmitatibus, cum eæ vehementes
ſunt, vſu venire debet. Aliud vero eſt, non-
niſi cum mediocri tentatione, cuius tan-
tum periculum non eſt, & ad quam vin-
cendam tam acris contentio non requiri-
tur, decertare. Notant vero hic vitæ ſpiri- *Variæ origines tentationum carnis.*
tualis magiſtri, haſce carnis tentationes
interdum quidem ab ipſamet carne enaſci,
& à corpore deinde in animam redunda-
re: vti fit in iuuenibus, iiſque qui bona va-
lidaque corporis conſtitutione ac valetu-
dine ſunt, carnemque ſuam delicate ha-
bent. Actum quidem perutile fuerit, illud
ei remedium adhibere, quod ante dictum
eſt, & carnem macerare, cum in ea ipſa
mali radix ſit. Alias ab anima cas, dæmonis
ſugge-

suggestione, ortum habere, & ab anima deinde redundare in corpus, quod tũ contingere colligitur, dum magis cum tentationibus & fædis imaginibus homo, quam cum turpibus sensibus & motibus corporis confligit: si autem nec illi deesse cõperiuntur, non inde est quod tentatio ab iis incipiat, sed quid à cogitationibus incipiẽdo, sensus hi & motus in carnem deforis resultent: atq; hæc etsi subinde valde flaccida, debilis, ac velut mortua sit, inhoneste tamen cogitationes viuacissimę sunt: prout S. Hieronymo factũ, vti de seipso cõmemorat. quamuis n. corpore esset euigorato, exhausto, & intensis rigoribus & asperitatibus quas assiduè vsurpabat, pene mortuo; nihilominus se lasciuis puellarũ Romanarũ choreis, ac pluribus subinde putabat per imaginationem interesse. Ex alio præterea signo id colligere est, scil. quod valde importunè se ingerant, quãdo nimirum id minus homo vult, ac minus ad hoc occasionem habet: nullũ quoq; temporis aut loci respectũ habeãt, insinuantes se tũ, cum & incumbit orationi, & tremendo sacrificio missæ interest, vt nec locis abstineat sacris, quib: tamen homo quantumlibet scelestus, & improbus, deferre respectum ac reuerentiã solet, & vbi isthæc cogitare veretur. Interdum quoq; tam extrauagantes & tales hæ cogitationes sunt, vt nihil penitus homo vel audierit, vel sciuerit, vel cogitarit eorum, quæ sibi suggeruntur. E violentia autem, quæ veniunt, & rebus quas introrsum audit, haud difficulter homo percipit eas, non tam à se, quam ab alio dici & fieri. Omnia hæc euidentissima signa & indicia sunt, hoc nonnisi dæmone motore & inuentore contingere, non aũt à carne ꝓficisci, etsi in ea cõtingant. Vnde tunc plane alia adhibenda remedia sunt. Nihil autem ad hoc ex omnium sententia melius, quam bonæ alicui laudabiliq; occupationi intendere, quę hominem ita exerceat, solicitũ habeat, & labore distineat, vt sordidarum harum imaginationũ hoc pacto obliuiscatur. Et hoc fine S. Hierony. vti id ipse de se scribit, linguæ hebrææ addiscendæ, magno cum labore, etsi non sine

Bonæ occupatio iuuat ad tentationes superandas.

fructu incubuit. Idem ipse Hieron. de Monacho quodam iuuene, natione Græco, in Ægypto cõmorante, & à carnalibus hisce tentationibus grauiter diuexato, scribit, cum, tametsi frequẽter ieiunaret, magnasque pænitentias subiret, nihilominus hãc à se vexationem abigere non potuisse; hoc autem ei sanando curandoq; à Superiore medium vsurpatum fuisse. Cuidam de antiquissimis monachis, natura tetrico, graui & seuero mandat, vt iuuenẽ hunc identidem exagitaret, obiurgaret, & verbis asperis cõtumeliosisq; reprehenderet; cumque eum verbis pessime accepisset, postea ẽt ad Superiorem prior eũ deferret, & accusaret quasi, iniuria ab illo monacho affectus esset. Senex egregie personam hanc egit: nam ad singula propè momenta, vndique occasionem eius seuere reprehendendi captabat; præterea apud Superiorem eum insimulabat: qn & testes ad hoc subornatos & præmonitos habebat, qui iuuenem hunc monachum seni immorigerum & inobsequentem esse testarentur. Illum ergo Superior acriter reprehendebat, in eumq; quasi grauioris culpæ reum & promeritum, seueris modis animali, vertebat. Quotidianum id ei erãt: vnde cum ita male se haberi, insuper falsa contra se testimonia ꝓcudi cerneret, valde animo affligebatur. Hin tristitia oppressus, identidem cum lacrymis in cella ad Dominũ cæli clamabat, sui curam vt susciperet, suum patronũ ageret, quod omni patrocinio ac fauore humano se destitutũ videret. Omnes quippe vni illi aduersabantur, nihilq; in domo mali à quopiam cõmittebatur, aut peccabatur, qn id capiti eius affingeretur, qn etiam mox duo tresve monachi ad hoc suppositi contra eum innocuum, deponebãt testimoniũ, vnde reprehensiones & castigationes, in caput eius velut pluere videbantur. Annũ integrũ hoc in statu exegit: quo exacto petiit ab eo monachus quispiã, quomodo carnis tentationes se haberent? Cui ille, *Viuere mihi nõ licet, & fornicari licebit? nulla dum tentationis huius mihi superest memoria.* Hoc ergo modo eum pater spiritualis ab hac carnis titillatione cu-

Epist. 4. ad Rut. Monach.

curauit, ac laborē maiori ablatus est minor. Addit autem loco S. Hierony. in laudem religionis, si ille fuisset solus, quis ei in tentatione hac superanda auxilio fuisset? In ipsa quoq; monachorum regula, inter alias rationes, quas sanctus ille vir adfert ad probandū, quam sit in religione & sub obedientiæ iugo, & communitate conueniens, viuere, est hac: *Vt nō facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis, & operis tui pensum persoluas: Lassus ad stratū venias, necdū expleto somno surgere cōpellaris.* itaq; sibi inuicem succedentibus exercitijs, sic iis quæ à Superiore iniuncta sunt occuperis & distinearis, vt nullus tentationibus admittendis locus sit reliquus, nec tempus aliis rebus, quam quæ tibi ex officio facienda & præscripta sunt, cogitandis suppetat. Vsu se & experientia didicisse dicebat. S. Francisc. asperitate, rigore, seueritateq;, dæmones terreri, & in fugam agi. acriter vero continenterq; impetere & tentare eos, qui delicatam mollemque vitam ducerent. Idem quoque discipulis suis proposuisse Abbatem Antonium, testis est S. Athan. *Mihi credite, fratres, pertimescit satanas piorum vigilias orationes, ieiunia, voluntariā paupertatē.* Adfert ad hoc propositum S. Ambros. illud Prophetæ: *Operui in ieiunio animā meā, & posui vestimentū meū cilicū.* Hæc, inquit, egregia est armatura, & validissima aduersus inimici huius violentiam panoplia. Hūc quoque spectat doctrina, quam Christus Dominus nobis dedit, dum spiritum illum immundum, quem discipuli pellere non potuerant, sua ipse potentia eiecit: *Hoc genus*, inquit, *dæmoniorū in nullo pōt exire nisi in oratione & ieiunio:* Addit porro ad orationem, pænitentiam, & ieiunium, velut conuenientissimam ad hoc dæmoniorum genus effugandum, rationem. Ac proinde cum huiusmodi tentationibus exagitabimur, satis nobis esse non debet ad orationem interdum recurrere, aut actus & proposita tentationi contraria concipere, verum etiam peculiari quodam modo in corporalibus pænitentiæ & mortificationis operib. nos exerceamus oportet, idque semper ex Cōfessarij vel Superioris cōsilio, directioneve, vt in omnibus securius procedamus.

Regul. monach quam è scriptis hier collegit Lupus de Olmeto c.2.

1. p l. 1. c. 21 Chron. Minorum.

S. Antonij consilium in fugandis tentationibus.

In epist. scripta in Concil. Tolens. ad Papam Siricium.

Psalm. 68.

Religiosus quidam, ab hac tentatione mirum in modū oppugnatus, F. Ægid. rogauit, quo illam remedio abigendā censeret. Respondit vir sanctus. Quid faceres, frater, si te quis canis mordere vellet? accepto, inquit, saxo vel fuste, eum tam diu percuterem, donec à me recederet. Pari modo fac, aiebat Ægid. cum carne tua te mordere & impetere cupiente: & hæc à te fugiet tentatio. Tam salutare porro hocce remedium est, vt nonnunquam qualis qualis labor, afflictio & dolor, etiam perexiguus isthanc vexationem auertat & auferat: puta brachia in modum crucifixi distendere, genu flectere, pectus tundere, verbera tergo, infligere, carnem vngue compungere, crimen vellicare, vno pede aliquantisper subsistere, aut alia id genus.

S. Aegidij 1 p l 3 c. 7. Chron. Minorum.

In vita S. Andreæ Apostoli legitur senem quendam, Nicol. nomine, ad Andream tūc Corinthi agentem venisse ac dixisse, septuaginta & quatuor anni sunt, ex quo turpiter & lasciue vixi, plenas inordinatis appetitibus habenas laxando, & omnigenis me libidinibus tradendo: cumque haud ita pridem lupanar publicum, ad Deum offendendum, habito penes me Euangelio, adijssem, quædam de mulierculis illis perditis, qui cum peccare statueram, velut perterrita & stupens, à se abegit me, rogans ne se tangerem, neve loco, in qua ipsa erat, propius accederem, quod mirabilia & mysterio plena in me videret. Exinde Nicol. illū à S. Andr. petiisse, vt sibi aliq̄ in magna hac tua infirmitate, & inueterata carnaliter peccandi cōsuetudine auxilium suggeret. Andream deinde feruenter orationi institisse, & quintiduo ieiunasse, Dominū rogando, vt priora misero huic senecioni delicta ignosceret, donumq; castitatis concederet. Quinq; dieb. iam elapsis, & Apostolo nihilominus in oratione perseuerante, vox ad eum de cœlo facta est, dicens: Concedo tibi, q̄ seni à me dari postulas: at sicut tu p̄ eo ieiunasti, volo, vt & ipse cibis abstineat, seq; affligat, si saluari velit. Suadet ergo Nicolao Apostolus, vt ieiunio carnem macerer,

De Nicolao quodam, qui ieiunio vitam turpem expiant.

ret, Christianis quoq; omnibus indicit, vt pro eo Dominum precarentur, diuinamq; misericordiam exposcerent. Ita porro plene eorum postulata audijt. Deus, vt Nicolaus domum reuersus, quidquid facultatū habebat in egenos distribuerit, magnaque carnem suam asperitate emacerarit, toto semestri nōnisi panem aridum comedens, & pauxillum aquæ bibens. Qua pœnitentia expleta, ex hac vita senex emigrauit, & salute donatus est æterna, vti S. Andreæ, qui tūc temporis casu inde aberat, cœlitus fuit reuelatus. In prato spirituali monachus quidam tentatus, vnum de seniorib. scribitur adiisse, petiisseque. Quid faciam, Abba, qa ferre nequeo tentationes, à quib. impetor? cui senex: At equidem nunquam ad id genus tentationibus diuexatus fui. Quo audito monachus scandalizatus & offensus, alium de saniorib. Patrib. accessit, dixitq;. Talis se Abbas nunquam vllis cogitationibus illicitis impetitum fuisse dixit: quod audiens ego, non mediocriter offensus, quasi audita re, quæ naturā humanam transcendat. Tum Pater, non sine causa, fili, vir ille Dei hæc tibi dixit: quare iterum eum adi, causamq;, cur ita tibi locutus sit, aperiet. Rediit ergo eodem Monachus dicens, ignoscas mihi, obsecro Pater, quod nuper insalutato te, nec dicto vale, tam stolide à te recessi: rogo itaque mihi dicas, quo fit modo, vt minime oppugneris? Respondit senex, Ex quo Monachus factus sum, nunquam panem, aquam, somnum ad satietatem cæpi, & per hanc abstinentiam factum est, nullum vt mihi cum inhonestis cogitationibus, de quibus mecum agebas, fuerit certamen.

S. Aegidij 1p l 3 c. 7. Chron. Minorum.

Tom 2. biblioth SS. PP.

De Nicolao quodam, qui ieiunio vitam turpem expiant.

Capvt VIII.

De aliis contra carnales, turpesque cogitationes remedium.

S. Papa Greg. nonnunquam ait tentationes inhonestas, & quod à carnalib. cogitationib. & motibus sensualibus quis exagitetur, inordinatæ vitæ prioris vestigia, & velut reliquias, nec non liberioris licentiæ ac prauæ inueteratæ consuetudinis pœnam esse & castigationem, ac tum quidem ignem illum pristinum, nonnisi lacrymis extinguendum videri lasciuiam præteritam incessanter irremediabiliterque deplorando. S Bonauent. singulare quoddam in tentationib. remedium esse censet, quod quis se afflictione & labore illo dignum ducat, illam castigationem & flagellum se ob culpas & præteritam licentiam satis promeruisse agnoscat, ipsamque magna cum humilitate & patientia suscipiat, cum fratrib. Ioseph dicendo. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Hoc quippe modo, inquit, Bonauent. & citius placabitur Deus, & tentatio ei nonnisi in bonum, & prouentum spiritus, conuertetur. Dum enim quis se castigatione & flagello immisso dignum æstimat, solent piissima illa & affectuosissima Dei clementissimi viscera mire ad misericordiam prouocari. Vnde etiam legimus filios Israel castigatos hoc identidem medium vsurpare consueuisse, vt sic Deum cœli ad misericordiam faciendam excitarent, sibique propitium redderet. Medium apprime ad diuinam gratiam & opem impetrandam, victoriam de aduersariis nostris in omnibus tentamentis, ac specialiter in his referendam, illisque debellatis triumphum agendum, efficax est, si nobis ipsis plane diffidentes, omnem in Deo fiduciam ponamus. De qua re & alio in loco egimus pluribus, & postea, vbi de Dei timore, dicendi locus erit, acturi sumus. Hoc tantum in præsens dixisse sufficiat, humilitatem singulare esse contra omnigenas tentationes remedium. Notissimum porro est, quid B. Antonio, quoad hoc, cœlitus fuerit responsum. Cum enim is in spiritu mundum laqueis & pedicis plenissimum cerneret, exclamauit cum lacrymis, Quis Domino effugiet? Vox autem ad eum facta, dicens *Humilis*, Esto igitur tu humilis, & ab hisce te laqueis & tentationibus Dominus eripiet. *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum & liberauit me.* Summi quidem montes fluminis telis & tempestatibus impetuntur, arbores procerio-

Lib. 10. Moral. c. 38. Remediū humilitas.

Process. 4. relig. c. 13.

Gen. 42. 21

Dan. 3. 28.

Dan. 5.

p. 2 tract 3. c. 35. & tra. 4. c. 15.

Psal. 114. 6.

res à ventis conuelluntur, sed arundines,
virgulta & plantæ humiles, quæ se submit-
tunt, incuruantur, & hanc illamve in par-
tem inflectuntur, ac cedunt, post tempe-
states & ventorum turbines infracta per-
durant.

Bonum salutare, & fructuosum cum-
primis erit si ex his ipsis inhonestis ten-
tationibus, sui humiliandi, suumque ni-
hilum agnoscendi occasionem homo su-
mat, cũ talia mente reuoluere & cogitare
videt, dicat, v.g. vides hinc Domine, ecquis
ego sim, quid ex hoc sterquilinio & cloaca,
quam id genus fœtores, sperandum erat?
Quid ex hac terra, cui maledixisti aliud,
quã tribuli, vepres & spinæ? talem sc. ex se
illa fructũ dare potis est, nisi à te, Domine,
fuerit excaudicata. Tentationes ergo hæ, &
malæ inclinationes quas habemus, bona
nobis humiliationis sunt occasio, si n. ve-
stes viliores & contemptibiles mire ad cõ-
primendam superbiã, vti docent sancti Pa-
tres, cõferunt, quando ad ipsum potentio-
res & efficaciores sunt tam viles & spurcæ
cogitationes, quæ nobis & imaginationi
nostræ cõtinenter obuersantur? Hinc B.F.
Ægidius, carnem nostram esse dicebat, ceu — 1. par. Chro-
porcum immundũ auidissime & sapidissi- — nic. Frãcis.
me ad lutum & volutabrum, accurrentem, — lib. 7. c. 7.
eoq; se immergere gaudentẽ, vel ad instar
scarabæi, cuius vita & voluptas est in fœtido
stercore volutari. Hæc nobis consideratio
in primis auxilio erit, ne ab hisce nos cogi-
tationibus transuersum abripi patiamur.

Atq; adeo generaliter, in quacunq; ten-
tatione consultissimum est hominem nõ
curare, ac parui facere id, ad quod tenta-
tur, sed quã primum ad seipsum reflexione
facta, sese humiliare ac dicere, Tamne ego
scelestus & improbus sum, vt talia cogita-
tione voluam & agitem? Hoc pacto namq;
& omnis tentationis vis eliditur, & dæmõ
cõfunditur. Non mediocriter quoque cõ-
fert, si quis se ob tentationem, spurcas co-
gitationes, & motus sibi oborientes, con-
fundat, perinde acsi mera sua illi culpa ob-
uenissent, esto nimis, quam ꝓcul ab cõsen-
su in easdem absit. Insanit quippe, frendet
& ringitur præ dolore diabolus, tantã hu-
militatem videns, quia ipse superbissimus
est, hinc illam ferre nequit. Nullã vero pro-
brosiorem infringere illi alapã potest, nec
cõuenientius, vt à te quam longissime fu-
giat, medium vsurpare, quam dum inde te
videt fructum & compendium animi eli-
cere, vnde illius ipse perniciem & exitium
educere procurabat. Vt taceam, hac homi-
nem ratione nimis quam satis ostendere,
quam à Dei sui offendendi voluntate sit
remotus, quod ipsum magnæ satisfactio-
nis & securitatis concipiendæ occasio est.
Sæpe quoque conducet ipsi dæmoni insul- — *9 Remed. dæmoni in-*
tare cõtumeliose exprobare, eumque con- — *sultare, & confundere*
fundere dicendo v.g. Apage hinc immun-
de spiritus pudeat te scelesto: valde spurius
& sordidus sis oportet, quod tam turpia
mihi in memoriam reducas, ac mente re-
præsentes. Quoniam igitur tanta superbia
est, hinc tum despicitur, ridetur, & prout
reuera meretur probrose habetur, pror-
sus id ferre nequit ac fugit. Dacius Episco- — *lib. 3 Dial.*
pus Mediolanensis (vt scribit Greg.) Con- — *c. 4.*
stantinopolin petens, cum Corinthi nul-
lam ad quam diuerteret domum reperire
posset præter desertam & inhabitatam,
quod lemures & tetra dæmonum spectra
eam ab annis plurimis incolere & infesta-
re dicerentur, haud inuitus eam cum suis
ingressus est. Ecce vero nocte media cum
vir sanctus requiesceret, diaboli pro more
horrificum ciere strepitum, diuersarũ be-
stiarũ voces imitando, nam balare vt oues,
rugire vt leones, porcorum instar grunire,
& serpentium ritu sibilare cæperunt. Ad
incõditum hunc strepitum Datius excita-
tur, & dæmones stomachabundè subsanans,
quam, inquit, belle hoc vobis cecidit? quam
è vestro hoc apparatu egregiam scilicet
laudem retulistis? Altissimo quidem volui-
stis esse similes, sed facti estis bestiæ, draco-
nes, & serpentes, quare optime repræsen-
tatis id, quod reuera estis. Quibus verbis
ita confusi sunt dæmones, vt teste Diuo
Gregorio, protinus disparuerint, nec
amplius exinde ad domum illam reuersi
sint, sed ab quibuscunque posthac eadem
incoli tuto potuerit. S. Anthonius, vt de eo
D. Athanas. commemorat, cum maiorem
in mo-

in modum ab impuris tentationibus di-uexaretur, quadam die subito dilapsus est, ante pedes eius ater quidam puer, specie horrenda & tetra, qui permultis se expugnasse gloriatus, ab illo solo victum derisumque querebatur: petiit ex eo Antonius, quisnam esset? Ego sum, inquit, spiritus fornicationis. Hoc audito, parum te inposterum, respondit Antonius, curato vel timebo, cum tam vile quid sis & despectibile. Atque hæc dicentis ilico visio illa ab oculis euanuit. Sic & Redemptor IESVS in Euangelio spiritum fornicationis immundum vocat. Luc. 11.24. *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Hoc ergo modo nos Diabolum confundere, & ei insultare possumus, eum, prout reuera meretur, tractando ac deridendo. Quod ipsum interdum etiam irrisorio, ac sarcasmico gestu, vt nullum ei verbum loquendo, ceu cum eo ratiocinando, fieri potest.

CAPVT IX.

De timore Dei.

Phil. 2. 12. *Timor Dei ad castitatem & gratiam Dei conseruandum plurimum valet.*

CVM *metu & tremore*, inquit, Apostolus, *salutem vestram operamini.* Nihil est ad castitatem tuendam, ac generaliter ad gratiam Dei conseruandam potentius & efficacius, quam vbique & semper sanctum quendam timorem, metum & cautelam præferre, cum nobis ipsis diffidendo, tum ad DEVM recurrendo, omnemque fiduciam nostram in eo reponẽdo. Ostendit id S. Bernardus in hunc modum scribens. Serm. 54. in Cantic. *In veritate didici, nihil aque efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam, & recuperandam, si amissa sit, quam si omni tempore coram Deo inueniaris, non altum sapere sed timere, secundum* Prou. 28.14. *illud Salamonis, Beatus homo qui semper est pauidus.* Et è diuerso vnum ex iis, quæ illustres etiam Sanctos ad graues ruinas, & deplorabiles lapsus perduxerunt, est nimis sui ipsius fiducia, exiguus timor, & parua circa seipsum circumspectio. Prou. 14.16. *Sapiens enim timet & declinat à malo: stultus audacter transsilit & confidit*, atq; ideo nõ raro impingit. Qui pretiosum aliquem liquorem subtilissimo tenerrimoque vestro contentum per ea gestat loca, in quib. magna hominum multitudo, eundo redeundoque, concurrat, quæque à vehementibus Ventorum flatibus & tempestatibus perflantur, nisi vitri sui & norit & timeat fragilitatem non qua par est circumspectione, ipsum deferet, itaque, haud ægre id frangetur, & liquor quem gestat, in terram effundetur. At qui probe nouit, quam vitrum fragile sit, ac metuit, ne ipsum aliquo casu rumpatur, caute ipsum custodit, & considerate ac sollicite defert, ac proinde securus incedit. Eodem prorsus modo contingit quippe & pretiosissimum gratiæ ac donorum Dei liquorem & thesaurum in lateis, fragilibusque vt ait Apostolus, vasis continemus; 2. Cor 4.7. quæ facili collisione frangi possunt, & ita omnis liquor effundi & disperire. Adhæc, in loco plurimorum validorumque ventorum ac tempestatum turbinibus, nec non casibus, impulsibus, & periculis variis obnoxio incedimus. Hinc, qui hanc eorum fragilitatem & imbecillitatem non satis norunt imo nec timent, falsa quadam ac mendaci insecuritate viuunt, sicque quæ haud difficulter pereunt: at qui perspectam eam habent ac metuunt, valde circumspecte cauteque incedunt, vt seipsi conseruent, proinde maiori in securitate degunt: ac si quæ hac in vita ab homine haberi certitudo ac securitas potest, hanc illos habere constat.

Vnde factum putas, inquit, S. Bernardus, vt nonnulli, qui in flore ætatis & iuuentute, tametsi assiduis grauibusque carnis tentationibus pulsi, castimoniam integram seruarunt iam in senio & ætate decrepita, in ea misere prolapsi sunt probra & dedecora, vt se ipsi mirarentur? Causa vnica huius rei fuit, quod in iuuentute, sancto quodã in timore & humilitate viuerent, cumque se in præsentissimo impingendi periculo, ac velut in præcipitij crepidine agere viderent, quam primũ Dei Opt. Max. opem implorarent, quam etiam mox propinquam experiebantur: At postea quam diuino

uino castitatis dono ac possessione iam su-
perbire,nimium sibi ipsis confidere, con-
tinuareq;,ob securitatem negligentes esse
cæperunt;mox,& ipso momento,à diuina
manus derelicti sunt, sibique solis relicti,
fecerunt, quod ipsorum erat: turpiter in-
quam prolapsi sunt. Hanc esse D. Ambro-
sius asserit causam, cur multi, qui Deo ser-
uiunt noctu & interdiu in eius lege medi-
tantur, carnem suam cum vitiis crucifigũt,
carnisque concupiscentias, & inordinatos
sensualitatis appetitus coercitos & edomi-
tos habent,quin & insignem in magnis de-
trimentis,quæ passi sunt patientiam, & ra-
ram in persecutionibus illatis cõstantiam
protulerunt, tandem hacce vitæ stabilitate
& sublimitate penitus amissa, in maximas
prolapsi sunt miserias. Quia scilicet in sua
ipsorum virtute & sanctitate, nec non in
bonis, quæ faciebant operibus, confidere
cæperunt,inordinate de iisdem pręsumen-
do, ac nimiopere iis nitendo. Et quos ad
manifesta diabolus mala pertrahere, & in-
tolerabili prope iniuriarũ persecutionũue
violentia de statu mentis deturbare non
potuit, hos blande leniterq; magna de se-
metipsis pręsumptione,iam insublime ele-
uatos, in lugendum præcipitium allexit.

Plena id genus exemplis est tum sacra
scriptura, tum omnes prope Sancti patres.
Quod infortuniũ ac malum merito deplo-
rat.S. August. *Vidimus ait multos, & audi* — Cap. 29. soliloque.
uimus à patribus nostris (quod sine magno
timore non recolo) ascendisse primitus v[s]-
que ad cælis, & inter syderanidũ suum col-
locasse postmodũ aũt recidisse vsq; ad abys-
sos, & animas eorũ in malis obstupuisse: Vi-
dimus stellas de cælo cecidisse ab impetu fe-
rientis cauda Draconis, & eos qui iacebant
in puluere terra à facie subleuantis manus
tua Domine mirabiliter ascendisse. Quam
multi, eheu! qui ad mẽsam diuinã recum-
bebant,& panẽ comedebant Angelorũ,eo
venere indigentiæ, vt ẽt siliquis porcorum
ventrẽ implere posse desiderarint? Quam
multæ castitates ebore antiquo nitidiores,
fulgentiores, & pulchriores, in patros car-
bones conuersæ sunt,suoq; nitore pristino
exciderunt? Quem non perterrefaciat de-
plorandum illud exemplũ,quod de Iacobo — Lipomani tom. 5.
Eremita refert Liponianus? Ad illum post.
quã in Eremo,quadraginta ipsis annis,ma-
gno in rigore vixisset, & carnẽ suam du-
admodũ, iam sexagenariũ & plurimis mi-
raculis patratis conspicuum, vt ẽt Dæmo-
nes ab energumenis expelleret, puellã ad-
duxere,ab ea vt Dęmonem inhabitantẽ ef-
fugaret. Quo expulso,cũ qui eã adduxerũt
domũ eam secum abducere non auderent,
ne egressus spiritus rursus eã inuaderet; Ia-
cobus eã apud se manere est passus, de sua
cõtinentia securus. At n. quia sibi ipsi fide-
bat, & nimis de se præsumebat, Deo per-
mittente lapsus est. Et quia vnũ peccatum
aduocat alterũ,iam strata ad malum via,ne
forte dedecus id vulgaretur,puellam occi-
sam in flumen abijcit, Ad omniũ vero sce-
lerũ cõplementum,de misericordia à Deo
obtinenda, desperans,ad seculum reuerti,
totumq; se vitiis & sceleribus, quib. se iam
serius implicare inceperat,mancipare con-
stituit. Etsi ei postea pia Dei misericordia
minime defuerit, quia ad seipsum conuer-
sus,per decenniũ rigidissime asperrimeque
vixit, & pristinã sanctimoniam recupera-
uit, vt ẽt Sanctorũ sit catalogo adscriptus.
Quis non consternetur casu alterius illius
monachi, de quo S. Antonius inaudiẽs,ex-
clamauit: Hodie magna & alta quædã co-
lumna ad terram concidit? quis hoc audito
non contremiscat? quis sanctitati suæ con-
fidat? quis religioso nomine tutus erit, Ce-
ciderũt n. qui te erãt meliores, maioribusq;
virtutibus ac Dei donis pollebant, quã tu?
Vnde monet S. Hieronymus: *Nec sanctior* — In regul. mona. C. castit.
Dauide es, nec sapientior Salomone, nec Sã-
sone fortior, Si tamen omnes fœde prolapsi
sunt. Quin & de Apostolorũ Christi colle-
gio nonnemo cecidit, cũ tamen tali in lu-
do, sub tali Magistro, talib. cõdiscipulis egis-
set, tales quoq; prædicationes & conciones
audisset, tantas deniq; tamq; illustres vir-
tutes, ac miracula quotidie ante oculos vi-
disset. Vnus quoq; de septem Diaconis, Ni-
colaus nomine, super quẽ spiritus sanctus
non minus descenderat, q̃ super alios, po-
stea nõ hæreticus modo, sed & hęresiarcha,
& hæreticorũ parens & author factus est.

Quis

Quis ergo ſerpentem illum antiquum non metuat? Memento, inquit, Hieronymus, ēt primos humani generis parentes, prolapſos eſſe, & paradiſo, in quo tamen ampliſſimis Dei donis, & iuſtitiæ originariæ donati agebāt, expulſos in terra nouercali exulare debuiſſe: idq; è ſuperbia. Non fuiſſet n. teſte Auguſtino, protoplaſtus. Adam à ſerpente incantante ſeductus, ſi ſe ipſe primo in corde per ſuperbiam à Deo non ſequeſtraſſet. Veriſſimū namq; eſt illud Sapiētis pronunciatū, vtpote à ſpiritu ſancto pfectū, *Cōtritionē præcedit ſuperbia, & ante ruinā exaltatur ſpiritus* & alio in loco: *Antequā cōteratur, exaltatur cor hominis.*

[illegible] 1. cōtra [illegible] leg. & [illegible] Cod 15.
Prouerb. 16. 18.
Prouerb. 18. 12.
Angelorū caſus ob ſuperbiam.

Si autem hominum exempla tibi ſatis non ſunt, tranſi in alia, & in cœlum vſque aſcende, & videbis, quomodo ibi Angeli, præſuperbia & præſumptione, à ſumma illa in qua à Deo creatore conditi erant, eminentia & dignitate excīderint. De quibus loquitur Iob: *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatē: quanto magis qui habitāt domos luteas,* (lutū namq; facile diſſoluitur, hiabile eſt & rumpitur) *qui terrenū habēt fundamentū conſumentur velut à timeade mane vſq; ad veſperā ſuccidentur?* Quæ verba S. Gregorius excitit & ponderat accuratius Si in auro illo obryzo & puriſſimo tanta reperta ſcoria eſt, quomodo non timebit, vel quomodo de ſe præſumere audebit anima, quę in corpore adeo fragili commoratur, quod à ſe ipſo tineā, ac detrimentum procreat, quiq; ipſam perditionis noſtrę radicem intra nos ipſos habemus? *Conſumentur velut à tinea* Scite, nec immerito, inquit Gregorius, corpus hoc *tineæ* aſſimilat: nam veluti tinea ex ipſa enaſcitur veſte, & hanc ipſam veſtem è qua enata eſt, tandē corrumpit ac demolitur; ita caro noſtra, quæ animæ velut veſtis eſt, ſuam ēt tineā procreat; ex ea ſiquidē carnalis prouenit tentatio, quę acre nobis bellū mouet: itaq; homo quaſi à tinea conſumitur, quando à tentatione, quæ ex ipſamet carne oriri ſolet, corrūpitur ac deteritur Rurſus bene dixit *velut à tinea;* nā, vti tinea veſtē ſine vllo ſtrepitu deſtruit: ſimili ratione hæc tinea malæ illius inclinationis carnis noſtræ, ac fomitis peccati, quē in nobiſmetipſis fouemūs, ita ſine vllo ſtrepitu, ac prope imperceptibiliter nos cōſumit: vt ſæpe eam nec aduertamus, nec ante percipiamus, quā plena ſecuta ſit deſtructio. Si porro ſpiritus illi angelici & cæleſtes, corporis, in quo tinea hæc ipſis enaſcatur, bellū ac & contradictionē ipſis moueat, ipſoſque deſtruat, expertes, in bono non perſtiterūt, nec perſeuerarūt: quis hominū tāto futurus eſt præſumptione vt de ſe confidat, cū tamen ſuę intra ſe tentationis ac perditionis cauſam contineat? Diſcamus hinc ergo ſemper & in omnibus timorē & circumſpectionē hāc præferre. Væ aūt illi, qui ſemper eum non habebit: qui ēt vere lugendus & deplorandus eſt, quia ſtatim proruet. Nam vt dicit ſpiritus Sanctus non ego: *ſi non in timore Domini tenueres te inſtanter,* periculū fugiendo, occaſiones euitando, malas cogitationes ſtatim à te abiiciēdo, teq; aduerſus tentationē præmuniendo, *cito ſubuertetur domus tua:* Nemo vero ſibi blandiatur atq; imponat, dicendo: Equidem haſce tentationes, hos motus, hæc cōuerſationis, aſpectuſque pericula minime ſentio: nullam hæc ſpiritui meo impreſſionem faciunt: Noli fidere: hoc namq; pacto te dæmon torpide ſecurum reddere vult, vt aliquanto poſt, vbi iam fidentior, negligentior, ac minus inſtructus & cōmunitus eris, ſupplanter, teq; in terram, vel potius in infernale barathrū, deiiciat. Quinimo notant hoc loco Sancti patres, eo maiori hominem cum timore & tremore incedere debere, quo plura à Deo beneficia & gratias accepit, ac maiorib. ab eo donis ornatus eſt: quia eo dæmones ad eum ſubuertendum, ac ſupplantandum ſolicitius ac contentioſius connituntur. Eorum quippe, vt loquitur Abacuc, *cibus electus eſt* hominum ruina, hanc eſuriunt, ad hanc aſpirant, huic toto conatu inhiant. pluris quoq; faciunt, aliquem Dei ſeruum, Religioſum, perfectionis candidatum, ad lapſum pertrahi, q̃ multa mundanorū hominū millia: vti liquido patebit ex exemplis, quæ paulo poſt adducemus. Atq; hinc D. Hierony. Euſtochium exhortatur, vt ſuper ſe vigilet, & ob eminentem virginitatis ſtatū, quē habebat, nō elangueſcat aut tor-

Iob 4. 18.
Greg lib 3. moral. Cod 27. & 28.
Greg. lib 5. moral. Cod 28 & lib 11. C. 35. Simile.
Eccl. 27. 4.
Nemo ſine Dei timore diu ſtabit.
Quo plura beneficia accepimus, eo magis timendum.
Cap. 1. 161.
Ep. ad Euſtochium. Cap. 11.

peat, ait: *Nolo tibi venire superbiã de proposito*, & statu, sublimi, ad quem euecta es, aut quod plura Dei dona nacta, sed timorem; onusta incedis auro, hinc latro tibi magis vitandus est, locaq; periculosa, latronibusque infesta diligentius cauenda. *Stadium est hac vita mortalibus, hic contendimus vt alibi coronemur, pacem arbitraris in terra qua tribulos generat & spinas?* Nulla est hac in vita securitas, sed continuum bellum, hinc perpetuis opus est excubiis. In procelloso mari nauigamus, & quidem fragili ruinosaque carnis huius cymba, nec non pluribus circumcincti prædonibus, sagaciter quanam ex parte ventus spiret, subolfacientibus, & quascunque possunt, tempestates cientibus, quo misellam & exarmatam scaphulam nostram demergant, nulla sibi indulta quiete, somno nullo; vndecunque aliquam, qua nos subuertant & aggrediantur, occasionem captando. Vnde Apostolus neminem non cõmo-
1. Cor. 15. 34. nefacit, dicẽs: *Euigilate iusti, & nolite pec-*
1. Cor. 10. 12. *care. Qui se existimat stare videat ne cadat*, vndequaque circumspiciat, semper vigilet, ne quid detrimẽti in anima accipiat. Nulla autem re melius securi reddi, & in statu confirmari, ac stabiliri possumus, quam si hunc timorem, anxiam sollicitudinem, & vigilantiam semper præferamus.

Timor Dei est velut herba, castitatis cõseruandæ amuletum. Audiui alias de Societate nostra narrari rem, quæ huic, quã in præsens tractamus, mire quadrat, quam eo prorsus modo, quo accepi & intellexi, cõmemorabo. Sub prima Societatis primordia, cum P. Petrus Faber, & Antonius Araozius, è Lusitania in Castellam, à Rege Lusitano Ioanne III. in comitatu filiæ eius Mariæ, Regi nostro Philippo II. tunc Hispaniarũ Principi, nupturæ, missi venissent; ita facilem iam inde ab initio in Curiam accessum habuere, vt omnium prope Matronarũ ac puellarum aulicarum confessiones exceperint: ea vero tempestate tot in ea veterani non erãt, quot modo sunt: omnes quippe erant iuuenes. Mirabantur autem aulici, nec sine ratione (quod & in vita B. P. N. Ignatij ve-
Lib. 5. c. 13. lut prodigiosum quid refertur) tantam in nostris, iuuentutem, tantam nihilominus castitatem. Videbant enim eos, hinc inter tot labendi pericula & occasiones assidue versantes, illinc vero tam gratum vbiq; castimoniæ odorem spargentes: Curialib. id sermonis obloquique ansam dedit. Fertur autem & Rex ipse, quodam die cum P. Araozio agens, ei dixisse: Intelligo societatis vestræ homines herbam quandam, quocunque pergunt, circumferre, quæ contra carnales appetitus ipsis sit amuletũ, & optimum castitati inuiolate custodiendæ remedium. Cui Araozius (vtpote Vrbanus) Recte, ait, Maiestas vestra intellexit. Rex responso hoc Araozij ad vlterius rogandum prouocatus, Ecquod, inquit, ad herbæ genus sit, dic obsecro. Infert Araozius, herba quam socij nostri, castitatis custodiendę ergo, circumferunt, Timor Domini est; illa miraculum isthuc operatur: eius namque potentiæ ac virtutis est, vt dæmones à se longe repellat & effuget, sicut olim piscis *Tobia 6. 8.*
ille Thobiæ prunis superpositus.

Huc facit illud Sapientis pronũciatum: *Eccles. 33. 1.*
Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illam Deus conseruabit & liberabit à malis. Et illud, *Timor Domini ex-* *Eccles. 1. 27.*
pellit peccatum; & per timorem Domini
declinat omnis à malo. Hanc ergo herbam *Prou. 15. 27.*
semper & omni in loco circumferamus, semper in timore hoc ambulemus, nobisque persuadeamus, nullam castitatem vel sanctitatẽ, nisi sancto Dei timore circumuallatam, posse esse securam. Vnde etiam *Eccles. 1. 26.*
scriptura suadet, vt in illo senescamus. *Serua timorem illius, & in illo veterasce.* Vt hinc pateat, non initio solum, sed & in fine vitæ eum requiri, & non incipientes duntaxat, verum etiam antiquos Domus Dei seruos, hoc in timore viuere oportere; & non tantum iniquos & præuaricatores, qui timendi occasionem & rationes habent, sed etiam iustos qui nihil fecere, ob quod tantopere eos metuere necesse sit. Illi timeant, quia lapsi sunt; hi vero, ne prolabantur: illis mala præterita, his futura pericula afferre timorem debent. *Bea-* *Prouerb. 18. 14.*
tus homo, qui semper est prouidus, & nunquam non sanctum hunc pauorem circumfert.

CAPVT X.

De ingentibus, quæ in hoc Dei timore continentur bonis.

Bona ex Dei timore nascitur, fortitudo & robur.

VT autem sanctum hunc timorem pluris faciamus, eumque semper præferre satagamus, nonnulla hic (sunt etenim ea noumero plurima, & magnitudine singularia) quæ in ea continentur, bona producemus. Primo, timor hic Dei adeo nullam diffidentiam, & inertem languorem causat, adeo non segnes aut pusillanimes homines reddit, vt etiam magis corroboret, ac fidentiores, constantiores, & animosiores reddat: quemadmodum de humilitate sancti Patres asserunt. In causa enim est, vt homines & sibi diffidant, & omnem fiduciam collocent in Deo. Egregie id ostendit S. Gregorius super illud Iob, *Vbi est timor tuus, & fortitudo tua?* Non sine ratione inquit, timorem fortitudini combinat: nam in via Dei, plane alia incedendi ratio, atque in via mundi: in mundo enim audacia causat fortitudinem, timor infirmitatem & inertiam: at in via Dei, ex aduersum audacia debilitatis, timor vero ingentis mater est fortitudinis, iuxta illam Salomonis sententiã *in timore Domini fiducia fortitudinis.* Ratio est, quia dum quis singulari quodam modo Deum timet, nullam in vlla re timendi occasionem inuenit, omnia temporalia generosa mente despicit, & nullo loco habet: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipse est spes eius.* Timor quoddam subiectionis genus est, quam præstamus rei, quam timemus, tanquam si quod ab ea damnum: id ni faceremus, timeremus. Qui autem Deum singulariter timet, & eum solum magnificat ac suspicit, omnem quoque suam in eo spem ponit; nullam prorsus mundi, tyrannorum, mortis, dæmonis, inferni denique, metuendi occasionem habet: Nihil quippe horum illi nocere, imo ne quidem pilum de veste eius tollere, Deo non permittente potest. Tantæ autem id genus fortitudinis est, vt ne in omnibus mundi fortibus parem sit reperire. *Firmamentum* quidem est *Dominus timentibus eum.*

Tract. 3. 6. 10 lib. moral c 13.
Iob. 4. 6.
Prou. 14. 20.
Prou. 14. 20.
Psal. 24. 14.

2. Dulcedo & iucunditas.

Ad hæc, sanctus hic Dei timor, nullum progignit angorem, nullam cordis amaritudinem, nullum adfert dolorem, nullam denique molestiam, imo dulcissimus est & iucundissimus. Timor mundanus, de honore vel opibus amittendis conceptus, nec non seruilis, inferni mortisue metus, tristitiam creat & melancholiam: Sed sanctus & fidelis, quo boni, beneque morati filii patrem suum carissimum offendere & ad iracundiam prouocare metuunt, exhilarat animam, cor emollit, viscera quoque liquefacit: hominem namque dulciter exstimulat, vt continuo feruentes amoris Dei actus excitet & concipiat, dicendo v. g. Ne permittas, Domine, vnquam à te separari, ante moriar potius quam te offendam. *Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis: timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum: timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Qua verborum copia, quanam affectuum varietate, gaudium & exultationem, quam timor Dei includit, Sapiens exponit? Non est hic timor, qui nos velut mancipia, suppliciorum & verborum infligendorum metu, trepidare faciat, sed, qui ex amore Dei enascatur: proinde quo maiori quis erga eum amore fertur, eo magis eum offendere, & ad indignationem prouocare veretur. Perinde ac bonus amansque filius patrem, prudens & honorabis vxor maritum timere solent; quo enim maiore illos amore prosequuntur, eo contentiosius & enixius cauent, ne quid domi sit, quod eos exacerbare queat & irritare.

Eccles. 1, 12.

Timor seruorum à metu pœna, timor filiorum ab amore parentum oritur.

Vt autem pressius, ac velut vno rem omnem verbo spectandam demus, Notandum est, omnes quæ humilibus in scriptura dantur laudes, elogia, prærogatiuas, &

præeminentias, etiam Deum timentibus, & quidem iisdem prope verbis & sententiis attribui. *1. Laus.* Nam vt Scriptura Deum respicere, & oculos suos dirigere, ait ad humiles & pauperculos, pari modo est de Deum timentibus locuta: *Eccl. 34. 19.* *Oculi Domini super timentes eum.* *2. Laus.* vt ab eo humiles exaltari, & omnigenis ait bonis repleri, ita & timentes eum. Nam sacratissima Angelorum Regina, suo in cantico ait: *Luc. 1. 50.* *& misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum* & sancta vidua illa Judith, *Iudith 16. 19.* *Qui timent te magni erunt apud te per omnia.* *3. Laus.* Atque vt sancti Patres, humilitatem omnium esse virtutum custodem, & *Ambros. li. 3 de virginibus.* sine ea nullam fore virtutem dicunt, ita etiamsi sine timore Dei nullum futuram asserunt. Atque hac de causa sanctus hic timor, ab Isaia dicitur thesaurus Domini: *Isaia 33. 6.* *Timor Domini ipse est thesaurus eius:* in eo namque velut in arca, virtutes optime custodiuntur & asseruantur. *Timor Domini arca virtutum.* Et vice versa, quemadmodum nauis quæ sabaura, & pondere degrauante caret, neutiquam est à naufragij & submersionis periculo secura; quilibet enim ventus vehementior, eam subuertere & sursum deorsum versare potis est: ita & eam animam securam fore negant, quæ timoris huius pondere destituta est. *Earundem saburra & anchora.* Ille namque animæ nostræ pondus est, cordis leuitatem tollit, eamque solidat ac stabilit, ne humani diuinique fauoris ventus eam sustollat, & inuertat, esto enim sit opulentissima, hoc pondere si carebit, in præsentissimo pereundi periculo versatur. *Lib. 6. moral. c. 27.* Hinc sanctus Gregorius timorem hunc cordis nostri anchoram nuncupat: Anchora cordis est pondus timoris. *Epist. ad Fabiolam de mansionibus.* & D. Hieronymus. Timor virtutum custos est, securitas autem lapsui viam sternit, eamque velut faciliorem reddit. *Lib. de cultu fæmin. c. 2.* Tertullianus vero hoc ei elogium dedit: *Timor fundamentum est virtutis: timendo cauebimus, cauendo salui erimus: qui solicitus est, is vere poterit esse securus.*

Denique Salomon in multis capitibus, in quibus de sapientia edisserit, magnas quidem passim eius excellentias & mirabilia multa enumerat, vt omnium tamen eius elogiorum maximum, & velut complementum, addit, ipsum timorem Domini esse. Idem quoque sentit S. Iob: *Iob. 28 28.* *Timor Domini sapientia est.* *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia.* Quocirca quidquid de sapientia dicitur, etiam de timore Dei dicere possumus. Addit præterea Sapiens, hunc ipsum timorem, omnis esse sapientiæ esse plenitudinem & consummationem: *Eccl. 1. [illegible] & 20.* *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius,* fructus autem illius plurimi sunt & copiosissimi. Denique tandem in hæc verba concludit: *Eccl. 25. 13.* *Quam magnus qui inuenit sapientiam & scientiam? sed non est super timentem Dominum: Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei, qui tenet illum, cui assimilabitur?*

CAPVT IX.

Superiora exemplis quibusdam confirmantur.

IN prato spirituali sic scribitur: Quidam de priscis illis Thebaidis Patribus narrauit nobis, se, quod esset sacrificuli cuiusdam Ethnici filius, adhuc puerum pro more cum patre fanum idoli adire consueuisse, & sacrificia, quæ ibidem pater offerebat, sæpius spectasse. Quadam vero die clanculo, post patrem delubrium ingressum esse, ac satanam sublimi quodam in suggestu considentem vidisse, magna infernalium satellitum corona in circuitu cinctum, *Comitia cacodæmonum.* atque vnum de maioribus propius accedentem, cum adorasset supplicem. petijsse vero Sathanam, vnde tu nobis? dixisse alterum. In tali prouincia varia & internecina bella, ac dissolutiones suscitaui, & causa fui, plurimus vt sanguis effunderetur: & hoc ipsum tibi nuntiatum *Dæmones bellorum authores.*

veni

veni. Rogasse mox Sathanam; quantum rei huic conficiendæ temporis impendisti? Triginta, dixisse, dies. Tum Sathanam flagris eum cedi iussisse, dixisseque: Multum impensum temporis est, parum vero præstitum rei. Accessisse deinde alium, & tartareo huic principi supplicem factum, interrogatum ab eo esse, & tu vnde venis? Respondisse autem, Ego in mari multas concitaui tempestates; Vnde factum multæ vt mersæ sint naues, plurimique hominum interierint, & horum te veni certiorem facturus. Rogatum vero quot dies in opus hoc insumpsisset, dicentemque viginti, etiam iussum esse flagellari, quod tam pauca mala tot diebus patrasset. Aduenisse mox tertium & dæmone adorato, rogatum, vnde autem tu nobis ades? dixisse: Ego è tali veni ciuitate, & me auctore & instigante ortum est tale iurgium, vt conuiuæ in se inuicem insurrexerint, & non pauci interfecti sint, & inter cæteros sponsus ipse, Rogasse autem Diabolum quanto hæc tempore facta sunt? esto vero audiret, non nisi decem dies tot malis patrandis impensos, nihilominus eum dire cædi mandasse, dicendo, Decem diebus multo plura tibi facienda erant, hæc dum fiunt, aduenisse demum quartum, & facta principi suo adoratione pariter rogatum, Tu vero vndenam venis? dixisse vero: Ex eremo iam nuperrime venio, in qua vnum, quadraginta continenter annis Monachum, tentaui & oppugnaui; quem tandem aliquando post longam expectationem, hac ipsa nocte expugnaui, &, vt fornicaretur induxi. Quibus auditis, diabolum solio exsurgentem in amplexus & osculo eius ruisse, ablatam de capite proprio coronam, huius capiti imposuisse, sibique vicinum in sede adhoc parata assidere fecisse, dicendo, Næ tu magnum & generosum facinus fecisti. Ego vero, inquit, eremita hæc audiens, intra è memetipsū dixi: Religio haud dubie magnum quid est, & status monasticus sublimis & excens: Atque hæc agitans domo paterna relicta, monasterium suum ingressus. Notandum hoc loco per transennam, vnde alii Religiosorum parui faciendorum occasionem sumunt (quod fortasse ex fragilitate quis in aliquem defectum lapsus sit) inde hunc, & non sine fundamento, Religionem pluris faciendi, quin & eiusdem amplectendæ occasionem sumpsisse. Aliud simile huic exemplum refert D. Gregorius in Dialogis. Eremita quidam, & in Vitis Patrum proditum est, ab Angelo, quendam ad locum, in spiritu abductus fuit, in quo Religiosorum cœnobium erat; vidit hic infinitam dæmonum multitudinem, qui muscarum ictu per omnes Monasterij officinas & loca volitarent: dum autem ad forum publicum ciuitatis duceretur, in vniuersa ciuitate, nonnisi vnum dæmonem conspexit, atque eum super portam vrbis etiam otiosum desidentem. Rogans vero Angelorum ductorem, quænam huius rei causa esset, audit ideo fieri, quod in ciuitate omnes Dæmonis imperiis ac nutui parerent, itaque vnum omnibus tentandis diabolum sufficere; at quod in cœnobiis omnes illius instinctui obluctarentur, & iussa abnuerent, ideo tam multos iis tentandis, & ad lapsum prouocandis dæmones tam operose distineri.

Tempestatum naufragiorum causa.

Intentores contentionum & iurgiorum cacodæmones.

Ruina religiosi, triumphus satanæ.

Lib. 3. c. 7. Vita Patrum.

Iurati hostes Religiosorum dæmones.

Palladius refert memorabile illud explum quod & in vitis veterum Patrum refertur, de Monacho quodam, qui cum multos annos bonis operibus, sanctisque ac Religioso conuenientibus exercitiis sedulo instituisset, atque ideo magnum in spiritu profectum fecisset, tandem varie sibi in illis complacuit, & inaniter gloriatus est. Vnde factum, vt illum in turpe cū cacodæmone, in forma mulieris pulcherrimæ, per desertum se errare mentientis apparente, peccatum Deus prolabi permiserit. Nam dum hanc ipse nimis facile & incaute ad se ingredi sinit, pluribus cum ea colloquitur, iocatur, etiam manu tangit, sensim veneno gliscente capitur: sed cum iam plenum ad eum ipsa peccandum consensum præbuisset, & opere etiam ipso exequi vellet, ecce de sub amplexibus eius euanuit, incondita voce cachin-

In Lausiaca c. 44. & in vita Ioannis Ægyptij p. 182.

Vanæ complacentia pœna.

cachinnans, postquam haud procul inde, per aera auditi festiui multorum dæmonum plausus & irrisiones eum subsannantium & dicentium. Quomodo? Monache, qui te ad cœlos vsque efferebas, & extollebas, iam ad vsque profundum abyssi prolapsus es. Exinde discas, cum qui se exaltat, humiliandum. Quibus verbis illum dæmones irrisisse & exsibilasse videntur. Nec vero hic miser stetit: nam, cum hanc & sequentem plangendo, suique confusione excitanda noctem traduxisset, de reditu ad meliora & venia desperans, ad mundum reuersus est, vbi omnibus cupiditatibus ac probis frænos laxauit. Quod supra obiter, insinuauimus exemplum, pluribus sic refert Climacus. Adolescens quidam in Vitis Patrum, ad tantam virtutis perfectionem venisse legitur, vt feras bestias verbo suo mansuetas & obsequentes redderet, inque monasterio fratribus ministrare cogeret. merito ergo eum S. Antonius naui pretiosissimis mercibus onustæ, & in medio mari adhuc constitutæ, cuius perinde finis & euentus adhuc incertus erat, comparabat. Hic porro adolescens tanti feruoris & sanctimoniæ, postea turpiter & probrose lapsus est. Qui cum peccatum suum amare plangeret, Monachis quibusdam illac forte transeuntibus ait, Dicite seni (S. Antonium designabat) Deum vt pro me deprecetur, quo decem mihi ad pœnitendum dies concedere dignetur. Quibus auditis Antonius, casum eius amarissime planxit, magnoque cordis cum dolore dixit, Hodie, prò dolor magna quædam Ecclesiæ columna

Climacus gradus 15.c.9.

Qui stat, videat ne cadat.

corruit, sed quinque post diebus supradictus ille monachus defunctus est. Adeo, vt qui, inquit Climacus, ante belluas obsequentes sibi reddiderat, tandem à bestiis feris, dæmonibus inquam deiectus & illusus sit: quique paulo ante nonnisi pane cœlesti enutriebatur, postea stercore, luto, fœdoque cœno se sustentarit. Quis autem eius lapsus fuisset, prudentissimus Antonius aliis indicare noluit: Sciebat enim ipse in fornicationem eum prolapsum fuisse. R. D. M. Auila scribit, sanctum quendam Anachoretam Deo reuelante cognouisse, in quo agant periculo quotquot vitam hanc humanam viuunt, quod cum is identidem consideraret, lugubri pulloque cucullo suam ita faciem obtexit, nihil vt præter terram, quam calcabat respiceret, nec vllum ex eo tempore hominem alloqui voluit, imo nec oculos à terra vnquam auertit: amare plorans quod tam præsenti in periculo (in quo quicunque viuimus, continenter agimus) assidue versaretur. Quem cum deinde multi in cella commorantem inuiserunt, & magnam hanc in eo morum mutationem mirarentur nouitatis huius ex eo causam, & cur de subito ad tantam extremitatem descendisset, suscitabantur. Quibus ille aliud non respondit, quam, sinite me, quia homo sum. Alius vero sanctus vir dicebat, Væ mihi, quia adhuc mortaliter possum in DEVM offendere.

1 ar. 3. epy.

Ab homine nihil humani alienum.

Bernard. serm. de duplici baptis.

TRA-

TRACTATVS QVINTVS
DE VIRTVTIS OBEDIENTIÆ.
CAPVT PRIMVM.
De excellentia virtutis obedientiæ.

1. Reg. 15. 22.

MELIOR *est obedientia quam victima, auscultare magis quam offendere adipem arietum.* Notissima est historia, ius occasione hæc verba à Samuele dicta sint: Scilicet cum Saul Rex Deo imperanti, vt Amolec vsque ad internecionem exscinderet, nullique reiviuenti paueret, non obediuit, sed meliora prædæ in sacrificium reseruauit; Propheta Samuel, Dei nomine ait illi: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? minime quia melior est obedientia, quam victima, & auscultare magis & obedire Deo, quam offerre adipem arietum.* Sancti Patres, hoc aliisque Sacræ Scripturæ locis, in quibus obedientia mirificè commendatur, & quantopere eam Deus faciat, nitentes, multa virtutis huius elogia depromunt S. Augustinus multis in locis, quærit, cur hominem Deus de ligno scientiæ boni & mali gustare vetuerit? Ac respondet, Primò ideo id factum, vt sic hominibus ostenderet ac declararet, quanta virtutis huius obedientiæ excellentia sit, bonum, ac dignitas, quantum vero ex aduerso malum inobedientia. Quod etiam ex ipso effectu secuto liquido patuit: nam mali & laboris, quæ post peccatum consecuta sunt, causa, non ipse arboris fructus fuit, qua ille ex se malus aut noxius non erat, sed bonus. Nam qui omnia creauerat valde bona, *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* nihil sane mali in paradisum induxisset, sed inobedientia & mandati iussique diuini transgressio mala fuit. Vnde nulla re melius, ait Augustinus potuisse ostendi, quantum malum inobedientia sit, quam si consideretur, ecquod homini, è sola rei, quam Deus tangi vetuerat, comestione, malum sit secutum; rei inquam, quam nisi prohibitum esset comedere, nullum, eam comedere, malum fuisset, neue vllum id alicui malum intulisset. Vnde patet quam grauiter errent, quantamque culpam admittant illi, qui, quod res leuis sit, obedientiam infringere, & contra eam facere audent: quia peccatum non tam ipsa re, quam in inobedientia consistit. Vnde etiam hæc in rei leuis transgressione inuenitur.

Obedientia sacrificiis [illegible] præstantior

lib. 1 contra aduers. leg. & Prophet. c. 17. & lib. 2. de peccat. merit. c. 21. & lib. 8 de Gen. ad liter.

Gen. 1. 31.

In leui materia non leue semper peccatum.

Aliam quoque rei huius rationem, idem dat Augustinus Nam quoniam homo ad seruiendum Deo conditus erat, hinc aliquod illi præceptum, quo aliquid ei vetaretur, dari par erat, vt sic habere se Dominum, cui pareret, agnosceret, seque proinde vt subditum gereret. Nisi enim ei quidpiam & vetitum, & mandatum fuisset, nisi prorsus habuisset in quo se subiecisset, & Dominum habere agnouisset. Voluit hic ergo, vt obedientiæ virtus, quoddam esset ad Deum agnoscendum & promerendum medium. Varia virtutis huius bona & Laudes Doctor hic, prosequitur.

August. lib. de incarnat. Verbi, & lib. 13 de Trinit. c. 17

Obedientia Christi aperit cælum quod inobedientia Adami clausit.

Vnam & rationibus, ob quas humanam Deus naturam assumpsit, fuisse ait, vt hanc obedientiæ virtutem nos doceret, & ad eam suo exemplo inuitaret. Homo siquidem ad mortem vsque inobediens fuerat: venit ergo Dei filius, vt ipseècontra, non minus ad vsque mortem obediret. Adami inobedientiæ cœli & gratiæ nobis ianuam obscra-

multi: ita per Vnius obeditionem, iusti cō-stituentur multi. Quia & in ipso humanitatis Christi præmio & gloria, obedientiæ valorem & meritum ostendere nobis Deū voluisse, idem Doctor ait. Vtpote quam tā eminenti singulariq; gloria coronauit. *Factus est obediens vsq; ad mortem mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, q est super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestiū terrestriū & infernorū, &c.* Psal.28.

Multa quidem virtutis huius præconia & elogia sancti Patres adferunt, sed in præsentiarum vnum tantum afferemus, quod nobis omnium instar erit ac sufficiet: nimirum hanc conuenientissimam, & maxime propriam & primariam religiosi virtutem esse. S. Thomas, qui in rigore scholastico omnia ponit & examinat, quæstionem hanc sigillatim pertractat. Num obedientiæ inter tria illa quæ in religione nuncupamus vota, primum sit & præcipuum? Ac respondet affirmatiue. cuius responsionis etiam tres, easque prægnantes & vtiles cum primis rationes assignat. Prima est, quia voto obedientiæ plus DEO quis offert & dat, quam per alia duo. Per paupertatis quippe votum, suas homo possessiones & diuitias, per castitatis corpus proprium DEO dedicat: at per obedientiæ votum propriam voluntatem & Iudicium, nec non seipsum totum, (quod plus est quam priora illa) ei defert. Vnde præclare S. Hieronymus, *Aurum deponere, insipientem est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Aristhenes: seipsum offerre DEO, proprium Christianorum & Apostolorum.* Hoc namque est Apostolos omnia sua relinquentes, imitari. Notat ad hoc propositum acute Sanctus hic Doctor, & obseruat, non dixisse Christum Apostolis, *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes duodecim, sed vos, qui secuti estis me.* Christū n. sequi, longe perfectius est: atqui in hac sequela ipsum obedientiæ consilium includi. S. Thomas docet. Nam qui obedit, alterius voluntatem, nutum, ac iudicium sequitur. Secunda ratio est. Quia votum obedientiæ, reliqua religionis vota includit & complectitur, ipsum tamen in aliis minime includitur, nec continetur. Etsi enim particulari se Religiosus ad castitatem paupertatemque seruandam voto obstringat, hæ tamen virtutes, etiam sub obedientia continentur, vtpote cuius est tam hæc, quam infinita alia obseruare. Et adeo quidem veritas hæc in cōfesso est, vt religiones aliq̃ antiq̃ (vti Carthusiana & Benedictina, sua in professione & votorum emissione, duntaxat voti obedientiæ expressam mentionem faciant, dicendo, promitto obedientiam secundum regulam: & sub hoc, ipsum castitatis nec non & paupertatis votum, iuxta religionis cuiusque statuta & consuetudinem intelligitur. Tertia ratio est, quia quo quid fini suo magis accedit & proprius fit, magisque nos illi coniungit, eo ipsum & melius est & perfectius. Porro obedientia est quæ arctius & magis Religiosos religionis suæ fini coniungit, hæc namque eis præcipit & ꝓmouere, ꝓpositū est mandat vt orationis & iniungit, vt iis in rebus, quæ ad finem eiusdem obtinendum ordinantur, se exerceant. V.G. nobis, quibus tum nostri ipsorum, tum proximi bonum curare & mortificationis studio nauiter incumbamus; deinde vt in confessionibus excipiendis, concionando, doctrinæ Christianæ rudimentis tractandis, nec non aliis quibuscunque ad animas iuuandas destinatis functionibus ministeriisque impigre nos exerceamus: atque ita in reliquis omnibus Religionibus. Atque huic primariam quandam maximique momenti conclusionem D. Thomas infert, videlicet, ipsum obedientiæ votum Religioni maxime essentiale esse, ac per hoc aliquem vere Religiosum fieri, & instatu religionis constitui. Etsi enim paupertatem voluntariam & castitatem perpetuam quis seruat, imo voto ad illa se obstrinxerit, nisi obedientiæ votum faciat, non idcirco Religiosus est, nec in statu religionis necesse est, obedientiæ votum faciat; atque illud est, quod cum maxime & præcipue Religiosum

Margin notes:

2.2.q.186. a 8.

Obedientia inter vota religiosa primas obtinet.

1. Ratio.

Epist. ad Lucin. Hispan.

Matth.19. 28.

2.2 q.186. art.8. ad 1.

2. Ratio.

3. Ratio.

Obedientiæ votum Religioso statim maxime essentiale.

giosum faciat, & in statu religionis constituit. His suffragatus S. Bonauentura, omnem Religiosi hominis perfectionem in eo sitam ait, vt voluntatem suam plane se abdicet, & alienam sequatur, superiorique placeat. atque idcirco ipsæ paupertatis & castitatis vota & nobis fieri, vt, substantia, possessionibus, carnis voluptatibus necnon rei domesticæ ac familiaris cura relicta & exuta, liberiores, promptiores, & expeditiores, ad votum obedientiæ, (vtpote quod præcipuum est & primarium adimplendum reddamur. Quocirca parum inquit, tibi profuerit, opes & facultates dimisisse, nisi pariter propriam tuam voluntatem relinquas & sequaris alienam.

Castitas voluptatas, paupertatas rerum proprietate reseca, vt obedientia sit promptior.

Notabiles aliquot Sancti Fulgentii Episcopi & Abbatis sententias refert in eius vita & gestis Surius: Quarum vna, quæ de obedientia est, sic habet, *Illos vero Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, nihil nolle, vel Abbatis tantum modo consilia vel præcepta seruare.* Non tum demum verum te ait Religiosum fore, cum acriter flagris in corpus sæuies, aspera diu cilicia gestabis, valenti eris corpore & valetudine ad tota die laborandum, non denique cum scientia pollebis & prædicandi talentum nactus eris, verum cum obedientia clarebis, propriamque voluntatem exues.

1 Tom Ramum.

Religiosum non vita Asperitas sed obediendi in omnibus alacritas ostendit.

Adeo vt obedientia maxime essentialis sit Religionis virtus, quæque aliquem vere Religionis facit, hæc, DEO longe gratior est, quam sacrificia & victima, in illa quoque paupertas, castitas, & reliquæ virtutes includuntur: quia si vere sis obediens, eris & pauper, castus, humilis, silentii amicus, patiens, mortificatus, atque adeo omnes omnino virtutes assequeris. Hoc vero non est Hyperbolice vel exaggeratiue loqui, sed ipsissimam & simplicissimam veritatem dicere. Virtutes namque per frequentem sui ipsarum actuum exercitationem comparantur, atque hoc modo illas nobis DEVS concedere vult. Hanc autem exercitationem nobis dat obedientia. Omnes enim regulæ quas habemus, & omnia superioris iussa quid sint aliud quam quoddam virtutum exercitium? Ab obedientia te conduci patiare, & quæcunque se eius exercendæ tibi offerent occasiones, exanimo amplectere, quia modo in patientia, modo in humilitate, alias in paupertate, alias in mortificatione, subinde in temperantia, denique in caritate te exercebunt: itaque fiet vt tantum in omnibus virtutibus profectum facias, quantum in obedientia proficies. Atque hoc significare. B. P. N. voluit, dum ait: *Hac dum virtus florruerit, florebunt procul dubio reliqua, edentque fructus, quales & ego in animis vestris exopto.* Atque hæc est communis Sanctorum Patrum doctrina: qui idcirco eam virtutum omnium Matrem & originem vocant. Vnde sic loquitur Augustinus: *Quæ* (obedientia) *maxima est virtus, &, vt sic dixerim omnium origo materque virtutum.* Et Gregorius, *Obedientia sola virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit insertasque custodit.* Atque hoc in sensu explicant illud Salomonis in Prouerbiis, *Vir obediens loquetur victorias:* quomodo id legunt Sanctus Gregorius & Sanctus Bernardus: Non vnam scilicet sed multas consequetur victorias, id est omnigenas virtutes obtinebit, is qui vere obediens fuerit.

Mater omnium virtutum obedientia.

Regularis obseruatio perpetuum obedientia exercitium.

In Epist. de obed. §. 2.

Lib. 1. contra aduers. leg. & Prophet. c. 14.
Lib. 35. moral. c. 10.
Lib. 35. moral. c. 12.
De ordine vita & morum instit.

Si ergo breue quoddam & compendiosum habere documentum vt viam velis, ad multum, paruo tempore proficiendum, & perfectionem ipsam assequendam, hoc, quod dicam, accipe: *Hac est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram:* Obediens esto & obedientia fac excellas: quia hæc breui est via, & mirabile ad hoc compendium, vnde sic exclamat D. Hieronymus. *O fœlx & abundans gratia. In obedientia summa virtutum classa est, nam simplici gressu hominem ducit ad Christum,* dum scilicet simpliciter obedit ad omnia, quæ obedientia præscribit, quam breuissimo tempore perfectum se & virtutibus plenum esse comperiet.

Obedientia compendiũ ad perfectionem.
Isaia 30. 21.
Deut. 5. 32.

In regul. Monach. c. 6.

S. Ioannes Climacus, se scribit cum ad

Cap. 4. de obedient.

ad quoddam Monasterium venisset, quosdam vidisse in eo senes, canitiæ venerandos,& annis senioque graues,ita ad obediendum hucq;&illuc discursandum promptos & dispositos, vt pueri agiles viderentur: quorum nonnulli, iam quadraginta annos, in sancta obedientiæ militia & castris militarant. Et addit, ex his à se rogatis, quemnam ex singulari hac sua obedientia & labore, fructum consolationemque retulissent, nonnullos quidem respondisse,hac se via & adminiculo, ad profundissimam humilitatis abyssum, prouenisse, qua fieret, vt ab plurimis tartarei inimici insultibus & incursibus tuti forent: alios vero, hinc se consecutos, vt omnem ad iniurias & opprobria sensum amisissent. In tantum, vt obedientia medium sit ad omnigenas virtutes assequendas, conuenientissimum. Tum apud priscos illos Patres, vt clarum iam adeptæ perfectionis indicium ac nota ducebatur, si quis patri suo spirituali apprimè subditus esset ac per omnia obediret.

In Biblioth. SS. Patrũ tom. 3. doctrin. 1. de renunt. S. Dorotheus refert de discipulo suo Dositheo, quod cum iuuenis esset nobilis & delicatus, quidam ei diuini iudicii, rationisque exactæ, quam Deo dare debebat, horror ac metus incidit, adimplente in eo Domino id, quod alias, petebat Propheta, dicens, *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* *Psal. 118. 120.* Hoc ipse timore confixus & compunctus religionem iniit, quo bonam Deo iudici, de factis rationem reddere posset, quod autem natura debilis & teneræ complexionis esset communitatis consuetudinem sequi non poterat, non summo mane surgere, non eis vesci cibis, quibus alij. Quæ cum facere ipse non posset, in horum compensationem statuit ac decreuit, obedientiæ totum se, & quam exactissime clare, magna promptitudine & accuratione in nosocomio & reliquis humilitatis officiis famulatum præstando, quibus in obsequiis quinquennio, post Phtisi, demortuus est. *Obedientia suppleat, quod vires præstare non possunt.* Abbati autem Monasterii reuelatum fuit cœlitus, adolescentem Dositheum eadem in cœlo gloriæ corona donatum esse, qua Paulus & Antonius. Quo audito, monachi reliqui cum Deo expostularunt, dicentes, vbinam ergo iustitia tua, Domine? vt hominem, qui nunquam ieiunauit, quique in deliciis educatus erat, comparare & æquiparare velis nobis, qui totum Religionis onus, *diei & æstus pondus* ferimus? *Matth. 20. 12.* quid nos omni quem exantlauimus, labore plus, profecimus? Respondit autem Deus, obedientiæ meritum & valorem ipsos nescire; per hanc autem adolescentem illum, paruo tempore plus, quam multis alii asperitatibus & pœnitentiis meruisse.

CAPVT II.

Quantopere nobis obedientiæ virtus ait necessaria.

B. Hieronymus quo melius Religiosos ad superioribus suis serio ad obediendum excitaret, obedientiamque ipsis persuaderet, multis allatis exemplis ostendit, quam sit omni in re, superiorem aliquem sequi & parere, necessarium. *In regula quam ex eius scriptis collegit Lupus de Olieto.* In seculari & politico regimine, vnum esse videmus inquit Imperatorem, vnum Regem, vnum supremum prouinciæ cuiusdam iudicem. Roma, dum eius initia ponebantur, ne duos quidem fratres, simul in reges habere potuit: nam alter alterum ferro de medio tollit; itaque parricidio dedicatur. *Regimen Monarchi cum optimum.* Iacob & Esau fratres etiam matris in vtero, inter se confligebant, ac veluti bello decertabant, vter alterum in egrediendo præuerteret. Ipsam quoque Hierarchiam Ecclesiasticam ad vnum Christi in terra Vicarium vniuersam redactam videmus: in singulis quoque territoriis & diœcesibus vnus duntaxat præest Episcopus & prælatus. Omni demum in re quandam requiri constat subordinationem,

tionem, qua vnius imperio multi pareant. Sic in exercitu quantumuis copioso, semper generalis aliquis est imperator, quem omnes sequantur & audiant, in singulis quoque nauibus vnus est præfectus & nauarchus. Nam magna inter nauigātes discordia, turbatio & confusio oriretur, nec vnquam petitum ad portum appellarent, si vnusquisq; gubernaculo assidere, & nauem pro libitu suo dirigere vellet, & vnus non foret quem omnes sequerentur. Imo etiam in quantalibet parua familia, in rusticana licet casula, vnum necesse est esse, cui reliqui pareant, quod nisi sit nec domus, nec ciuitas, nec regnum, integra conseruari & stare poterunt. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur & domus supra domum cadet.* Atque hoc in omnibus adeo rebus creatis cernere est, non in iis solum quæ ratione prædita sunt, hominibus inquam, & Angelis, in quibus vna alteri Hierarchia subordinatur, verum etiam in brutis animalibus, quæ suum semper habent ducem & ductorem quem sequuntur. Apibus suæ sunt magistræ & præpositæ, & vna inter eas princeps est, & Regina, quam omnes reuerenter agnoscunt & obtemperant: Grues quoque vnam sequuntur ordine litterato, volatu scilicet imitando Græcum Y. itaq; vnam præeuntem consequuntur omnes. Ipsi quoq; cœli sub vno primo mobili continentur, & ad eius motum rapiuntur. Ne vero exemplorum plurium allatione fastidio sim, inquit Hieronymus, quod te elicere ex omnibus volo, illud est, vt nimirum hinc intelligas, quantopere tibi conueniens ac consentaneum sit, sub præpositi alicuius Obedientia viuere, & in multorum fratrum Religiosorum, seruorum Dei congregatione, qui exemplo te suo ad finem tuum assequendum adiuuent & animent.

Luc. 11.19.

Etsi nos S. P. N. per magna in omnibus quidē virtutibus & gratiis spiritualibus incrementa facere velit, specialiter tamen in hac de qua loquimur, insignē à nobis perfectionem exigit: Vultq; vt, sicut aliarum religionum quodam paupertate, quædam pœnitentiis & asperitatibus, aliȩ choro, alia clausura eminent & excellūnt, ita societas maxime obedientiæ virtute clarescat, & quotquot, sumus in ea resplendere & nitere procuremus: perinde ac si ab illa sola vniuersum societatis bonum dependeret. Non sine ratione autem hoc à nobis B. P. exigit. Nam Societatis nostræ finis est, vt postquam proprium ac priuatum quæsiuit profectum, proximi vtilitati impense studeat, & ad animarum salutem, toto qua patet orbe terrarum comparandam enixe comperetur. Vnde omnes eam profitentes parati, dispositi, ac velut cōtinenter in procinctu esse debent, ad toto hoc orbe ministeriorum suorum exercendorum causa, peregrinandum & discursandum, perinde ac leuis armaturæ equites, vt vbicunq; maior vocat necessitas, eodem accurrant & suppetias ferant. Atq; hic quarti voti, quod professi nostri faciunt, quo summo pontifici, quibuslibet in missionibus suscipiendis obedientiam spondent, finis est & intentum, vt scilicet quocunq; terrarum eos ablegare ipse voluerit, siue ad fideles, siue ad infideles & hæreticos, sine excusatione & cunctatione vlla, & non petito viatico, abire sint parati. Nec modo in iis missionibus, ad quas à supremo Christi vicario, verum etiam in iis ad quas immediatis superioribus destinabuntur, hanc omnes promptitudinem & indifferentiam præferant necesse est; nec non ad quodcunque officium ac ministerium exemendum, ad omnia denique alia, quæ à præposito ipsis peragenda præscribentur. Et quoniam tanta in Societate, occupationum, ministeriorum, graduum est diuersitas, quorum vnus altero est altior & eminentior, hinc magno opus est obedientię, apparatu & commeatu Atque hoc mirabile B. P. N propositum, & intentio fuit, dum tantopere in obedientia commendanda insistit, in eaq; vt emineamus & excellamus, petit *Sciebat enim*, sciebat enim difficilia & ardua sæpe nobis oblatum iri, hos susq; deque, sursum deorsum vacandos, & omnigenas in formas efformandos.

Obedientia prompta maxime in Societate Iesu cura.

Societatis homines prompti ad suppetias ferendas vbi obedientia valet.

Quidam de patribus nostris de se dicere solebat, quod etiam omnes nos & ore

sum. Optime quidem: est namq; hæc apertissima & lectissima veritas. Religiosus, qui ad quælibet à superiora iniungenda, mortificatus, promptus & indifferens est, nullum iussum, iniussumue nullum superiorē perhorrescit; ac parum eius interest, Petrusue suus superior sit an Ioannes, huiusue conditionis ac naturæ sit an illius. Bonus Religiosus ob hic dependere rebus nō debet: euidens autem imperfectionis signū est, hinc dependere, & isthæc timere S. Chrysostomus explicans illud Apostoli: *Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa; si autem malum feceris, time, ait: Timorem non facit princeps, sed vestra malitia.* Fur & maleficus iustitiam timet, & prætorem rerum criminalium venire, cum videt, sanguis illi præ metu congelescit, ratus sui comprehendendi causa ipsum adesse: hanc vero illi timorem non princeps vel Iudex, sed maleficium & scelerata conscientia causat. Regem ergo & Iudicem timere non vis? Sancte viue, & adeo eum non timebis, vt etiam magnopere ab eo sis laudandus & celebrandus. Eodem porro modo se res etiam habet hic in Religione: hosue enim timores & angores non obedientia parit non superior, sed tua imperfectio & parua mortificatio. In Religione non timere & securus esse si velis; obedientiam serio cole, & ab omnia indifferens & resignatus esto. Hoc modo qui ambulabit mira pace, summa quiete & securitate gaudebit, ipsaque Religio paradisus quidam terrestris ei futura est.

Rom. 13. 3.

Imperfectio propria timidum reddit religiosum, obedientia & resignatio, liberum & hilarem.

CAPVT III.

De primo obedientiæ gradu.

B. P. N. in tertia constitutionum parte de obedientia loquens, *Expedit*, inquit, *inprimis ad profectum, & valde necessarium est, vt omnes perfectæ obedientiæ se dedant*, quo etiam loco ostendit, quæ qualisue perfecta sit obedientia: nimirum non solum, in exteriori rei iniunctæ executione & effectu (qui primus obedientiæ gradu est) eam versari debere, verum etiam in voluntate & corde, nostram. i. voluntatē cum superiori confirmemus, vnum cū eo velle & vnus nolle habere procurando. atq; hic secundus est obedientiæ gradus. Quidue hic quidem sistendū, sed adhuc vlterius ascendendum, vt nimirum Iudicium nostrum, iudicio superioris accommodemus: idem vt videatur nobis, quod superiori, quodq; ipse fieri iubet, bene id iuberi, iudicemus. Qui tertius obedientiæ gradus est. Quando ergo isthæc in opere, voluntate & intellectu conformitas erit, tum demum integra & perfecta futura obedientia; siquid autem horum de fuerit, manca & imperfecta. A primo itaq; gradu initium ducendo, necesse nos est in ipsa præcepti executione, quam diligentissimos & exactissimos esse. Rogat. S. Basilius, qua res à superiore imperatas oporteat diligentia & accuratione exequi: non minori, inquit, quā, qui vitæ conseruandæ comprime studiosus est, ad eius conseruationē integritatemque necessaria comparat, nec minore ardore, quam qui esurit, ad cibum inhiat & anhelat. quin etiam ei maiori, inquit, quo vita æterna, quā obediendo promeremur, nobilior & excellentior est temporalibus. Quare præclare S. Bernardus, *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linquam voci, manus operi, itineri pedes. totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem:* eamq; ita exacte puncta taliterque exequitur, vt eam præuenire, & manu verba iubentis præuertere velle videatur.

3. p. Constit. cap. 1. §. 23. Regul. 31. summari.

Primus obedientiæ gradus.

Secundus.

Tertius.

In regul. breuior. interrog. 166.

Executio operis Exterior seu primus obedientiæ gradus qualis, quamque prompta arripiorenda.

Sermo de obedient.

B. P. N. de executione exacta, quam in obedientia nos adhibere oportet, agens sic ait: *Ad signum campanæ & superioris vocē, perinde acsi à Christo Domino egrederetur quā promptissime simus, re quamuis, atque adeo littera à nobis inchoata, necdum perfecta relicta.* Duo porro nobis hic præscribit: Primum, vt, dum campanæ signū, vel superioris vocē audimus, Dei nos vocē audire credamus. Vtile porro & pium inprimis est, sicut tres Magi Reges, visa apparente sibi stella, apud se quisque dixerunt. *Hoc signū Magni Regis est, eamus & offera-*

6. p. Constit. c. 1. §. 1. regul. 34. summa.

Vox superioris vere obedienti signũ magni Regis.

Lib. 4. de institut. re... c. 12.

mus ei munera Aurum, Thus & myrrham: Ita nos audita cãpanula, vel voce superioris dicere, Hæc, vox Dei est, eamus quantocyus, & obediamus ei. Secundũ, vt litteram inchoatam vocati imperfectam relinquamus. Cassianus de veterũ illorũ Monachorum, qui toti & semper occupati erant, hic quidem suas describendo deuotiones, ille meditando, alius libros in aliam linguam transferendo, vel alia opera manualia operando, occupationib. loquens, testatur eos, mox, vt signum campanula dari, vel superiorem vocantẽ audirent, certatim & inuicẽ præuenire conando, cellis suis egredi cõsueuisse, & tanta quidẽ promptitudine, vt, qui scribendo distinebantur, literam inceptã non perfectam relinqueret. propterea ꝙ pluris obedientiã, quã alia omnia facerẽt, eiq; non manuaria modo opera verum etiam lectionẽ, orationem, recollectionem, atq; adeo reliqua opera post haberent. itaq; omnia à se abdicabant, & interrumpebant, vt ne latũ quidem vnguem, ab obedientiæ perfectione desciscerent, perinde acsi DEI vocem audissent. Hanc quoq; doctrinam in Regulas suas retulit S. Benedictus, & ex duobus his eam B. N. P. est mutuatus.

Veterum monachorũ exephoris obedientia, quam alia omnia facienda.

In reg c. 5.

Vt autem nobis ostenderet Dominus, quantopere sibi exacta hæc & punctualis obedientia, in littera inchoata abrumpenda placeat, sæpius id per miracula dignatus est cõfirmare: vti in illo monacho, qui cũ, inter scribendũ per campanæ signũ quopiã vocatus, litteram semiperfectam reliquisset, eam postea ad cellam reuersus, prorsus perfectam reperit, parte illa media, q̃ perficiendam reliquerat, aureo colore inducto. Nec non in alio illo, qui vt, dum suauissime cum puero IESV, qui sibi in pulcherrima & fulgẽtissima forma apparuerat, colloqueretur, campanæ signo se ad vesperas vocari audiit, ilico puero relicto, eodem se cõtulit, qui illis peractis ad cubiculũ reuertens eum bene, quem ante puerũ, inuenit, à quo mox etiã audiuit: Quia me reliquisti, inuenisti, nisi.n. tu me reliquisses, ilico ego te reliquissem. Ruisbrochius scripto ꝓdidit, alteri cuidã hunc ipsum, quem abiens puerum reliquerat, post obedientiã expletã, in pulcherrimi adolescẽtis figũra visum esse, eiq; dixisse, Tantum ego in anima tua, ob exactam obedientiam tuam, incrementum feci. Ex aduerso Cacodæmon, etsi efficere non queat, vt prorsus non pareamus, id saltem euincere allaborat, vt in parẽdo adeo serii non simus, quo aliquam ex obedientia sibi partem vindicet, vt vel tantillum illud instertitium de opere auferat, ꝙ ab prima campanæ auditione, ad vsq; dum surgis, interfluit, florem s. & principiũ nostrorũ suffurari, ac primitias eorũ quodammodo prælibare gestiens, sic satagit, vt, postq̃ ad surgendũ mane, audisti signũ dari, paululum in lecto torpeas, inter scribendũ vero cœptam litteram, interdum etiam conceptũ quem præ manib. habes, vel cuius conclusionem perficias, per speciem, ne forte è memoria affluat. Nostrum vero est, totũ opus integre Deo offerre, vna cum principio eius & flore, quo addito fructui ipse esse solet quam gratissimus: Tu vide, ne eum defloratũ atq; emacidũ des.

Refert S. Catharina Senen. in dialogis c. 165.

Obedientiæ supplentis defectum & opus intermissum perficientis miraculum.

Ruisbroch. trat de quibusd virtutibus c 9. & refert Blosius c. 7. Moral. spirit.

Ex Obedientia in vocanta relictus, inuenitur.

Obedientia in anima obedientis crescere facit.

Sathanas primitias obedientis per morulam vel modicam quasi prælibare gestit.

Etiã amplius quid à nobis B. P. N. circa obedientiam hanc exteriorem requirit minimũ vt tali promptitudine non solum ad campanulæ signũ & superioris vocem verũ etiam ad minimũ voluntatis eius signũ & nutum, obediamus. *Omnes*, inquit, *obedientiã plurimũ obseruare & in ea excellere studeant, nec solũ in reb. obligatoriis sed ẽt in aliis licet nihil aliud quã signũ voluntatis superioris sine vllo expresso præcepto videretur.* Hinc Albertus Magnus de obedientia scribens ait, *Verus obediens nunquam præceptũ exspectat: sed solũ voluntatẽ prælati sciens vel credens, feruenter exequitur pro præcepto* Idque ad exemplũ, inquit, Redemptioris ac Magistri Iesu Christi qui pro hominib, mortẽ expetere, ceu præceptũ & iussũ ad misit, quod hanc Patris sui æterni voluntatem & complacentiam esse sciret.

6 p Constit. cap. 1. §. 1. & reg 33 summarii.

Lib. de virtutib. 1. 3.

Verus obediens non exspectat præceptum cum habet superioris nutum.

Veterũ illorum Monachorum vt scribit Cassianus tanta erat in obediendo promptitudo, vt, non solũ ad superioris vocẽ & iussum, verũ & ad qualemcunq, voluntatis eius nutũ & signũ, exactissime obsequerentur. In tantũ, vt, eius voluntatẽ quodãmodo diuinare & ꝑnosse viderentur, facientes

Vbi supra.

& signum, exactissime obsequerentur. In tantum, vt, eius voluntatem quodammodo diuinare & prænosse viderentur, facientes quod fieri is volebat, etiam antequam id fieri imperaret. Atque hoc est quod supra S. Bernardus dixit, *Fidelis obediens præcipit præcipientem*, quod hic fieri vult, exequendo, etiam antequam voce iubeatur.

Serm. de obedient.

B.P.N. tres esse obediendi modos dicebat; primum quando quid in virtute obedientiæ præcipitur: & hic bonus est, Secundum, quando hoc illudq; mihi faciendum, à superiore præscribitur: atque hic melior est, quod maiorem subiectionem & promptitudinem declaret is, qui rem simplici quadam ordinatione & præscriptione exequitur, quam qui exspectat, donec ea sibi in sanctæ obedientiæ virtute mandetur. Tertium deniq;, quando aliquem tantum voluntatis superioris mei nutum significationemq; percipiēs, hoc illudue, prompte exequor, licet id mihi is expresse non iubeat vel præscribat. Atque hanc obedientiam longe esse ait perfectiorem, Deoque gratiorem. Atq; vti ēt apud mundanos, seruus qui vel medio nutu Domini sui voluntatem percepit, eamq; opere exequi satagit, acceptior ei est magisq; placet, quam cui omnia expresse mandanda sunt. Nam teste Salomone, *Acceptus est Regi minister intelligens*, ita pariter hic fit in obedientia. Religiosa, vt longe sit melior, perfectius obediat, ac cum superioribus, tum DEO gratior sit & acceptior, qui ad solā voluntatis præpositi significationem mouetur & obtemperat quam alius. Est hæc Doctrina S. Thomæ: qui, de obedientia loquens, qualitercunque demum superioris voluntas à quoquam percipiatur, tacitum id præceptum ac mandatum fore ait; itaq; melius obedientiæ subditi promptitudinem colligi ac percipi; Quare procuremus oportet, vt se huc vsq; obedientia nostra extendat. Interdum namque, imo etiam sæpe contingit, vt superior quod præcipiendum habet expresse imperare nolit; idq; vt maiori cū suauitate procedat, subditūq; non, mortificet, vel quod ignoret, quo suū hic modo sit præceptū admissurus. Subditus porro, cum talem superioris voluntatē esse intellexerit, grauiter delinquet, si iubentē non præuertat, & huic se obedientię vltro non offerat. Quæritabat olim Deus virum quem Hierosolymā ad prædicandū mitteret, & ait (vnde id inaudiit Isaias) *Quem mittā & quis ibit nobis?* Isaias ergo cognito, voluntatem Dei esse, vt ipse se ad hanc missionē offerret, statim sese obtulit, dicens *Ecce ego, mitto me.* Pari ratione nos oportet cum vel verbo vel signo voluntatem suam superior declarat, nos ipso offerre & sistere.

Tres modi accipiendi mandatum superioris Boni, sed vltimus perfectior ideoque acceptior.

Simile.

Prou 14 35.

2. 2 9. 104. art 22. Voluntas superioris qualitercunq; percepta præcepti loco est.

Delinquit qui habet voluntatē superioris perspectam & expectat iussum. Isaia 6. Exemplum Isaiæ.

Multa offerri possent exempla, è quibus manifestissime pateat, quantā nos in obediendo promptitudinē habere sit necesse: inter quæ singulare id est, quod de Samuele etiamnum puero, & in templo sacerdoti Heli, æditui in morē ministrā tre, scriptura diuina commemorat; Is ergo nocte quadā in templo, cū dormiret, vocauit illum derepente Dominus, *Samuel, Samuel*, reuelaturus illi Heli sacerdotem modo esset, castigaturus. Ad vocē hanc excitus Samuel, & quod vndenam, & cuius esset hæc vox, ignoraret (hactenus enim ei Dominus non fuerat locutus, nec quidquam reuelarat) ab Heli se sacerdote vocari credens quantocyus exsurgit, ad eum abit & ait, *Ecce ego*, quid me vis? *Vocasti enim me.* Heli vero lectū eum repetere iubet, dicens, *Non vocaui te fili mi, reuertere & dormi* Ergo vnde venerat rediit, & ad dormiendum rursus se composuit. Sed adiecit Dominus secundo vocare Samuelē Qui excitatus, iterū se ab Heli vocari credit, quod ab alio præterquā ipso vocari se eo loco non posse putaret. Surgit itaq; & abit, vti ante ad herū suum. Heli eum somniore ratus, lectū vt repetat suadet. Sed ecce vim dum in lecto iacebat, cum tertio ad sum vox Domini facta. qui ad eam tertio ēt experrectus, protinus sacerdoti se sistit, ab eo se euocatum rursus existimans, & ait, *Ecce ego quia vocasti me.* Tum demū Heli in mentē venit, eum nonnisi à Deo, aliquid ei reuelare volente, vocari & ait, *Vade & dormi & si deinceps vocauerit te, dices loquere Domine quia audit seruus tuus.* Abiit ergo Samuel, & dormiuit

Samuelis Sancti pueri. 1. Reg. 34.

ũit in loco ſuo. & venit Dominus & Vocauit, *Samuel, Samuel* Ille ad eam vocem excitatur,&,vti edoctus erat reſpondit. *Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.* Tũ demũ alloquitur illum Dominus, &, quod voluit ei reuelauit. Minutius ergo hic Samuelis obedientiam, magnamq; in parendo promptitudinẽ conſideremus:nam eſto ſe prima & ſecunda voce deceptum fuiſſe vidiſſet,ipſe ad hæc Heli,à ſe enim minime vocari dixiſſet, vtque cubitum concederet iuſſiſſet,putaretq; ipſe etiam Samuel,ab aliquopiam ſe euocari non poſſe, nihilominus ſecundo & tertio exſurgit, & ſacerdotem adit,rogans num quid vellet. Pari ergo nos promptitudine & diligentia noſtris obedire ſuperiorib. par eſt. Huc quoq; facit exemplum, ꝙ in eadem ſcriptura, de prompta Abrahæ obedientia legimus, quã exhibuit tum, cum illi mandauit Deus, vt filium ſuum vnigenitum Iſaac immolaret. *Igitur Abraham de nocte conſurgens* Non exſpectauit, enim vſq; ad mane, ſed ſtatim de nocte anteq̃ dieſceret, eo ipſo quo mãdatum accepit, momento, ad iuſſum, & quidem arduum,exequendum ſe accinxit. Notat ad hæc ſcriptura cum famulos ad montis pedẽ reliquiſſe,nec ſecum in montem ducere voluiſſe,ne quis ipſi in obedientiæ ſuæ executione impedimento & obſtaculo foret.

Vtilis Samuelis obedientia Exemplum.

Obedientia Patriarcha Abraha.

Gen. 22. 3.

Capvt IV.

De ſecunda obedientia gradu.

Secundus obedientiæ gradus in eo ſitus, vt ſuam quis cum ſuperioris voluntate conformet,& aliud velle & nolle,aliam voluntatẽ non habeat, q̃ quod ſuperior velit ac nolit Nihil hoc in Religione eſt commu nius,tritius nihil, nihil magis obuium: cũ hac.n. intentione & præſuppoſito omnes in eam ingredimur. Atq; hoc primũ principium eſt, ꝙ velut fundamentum, omnib. qui religioni nomen dare volunt ſtatim in initio prælegitur ac proponitur. Non veniſti huc frater vt propriam, ſed vt alienã voluntatem facias Et nemo non dicit: Equidem id noui. Porro ſicut id & ipſi dicimus,

Primum religionem, intrantis peincipium alterius facere voluntatem, in propriam.

& alii nobis dixere, ita ẽt vere ſe res habet. Atq; hoc eſt,eſſe Religioſum, & ſub obedientia viuere. Vnde S. Ioannes Climacus: *Obedientia eſt ſepulcrum propriæ voluntatis & excitatio hominis.* Cum ergo religionem primum inimus, ſtatuamus oportet, propriam eſſe nobis voluntatẽ quodãmodo ſepeliendam & terra obruendam,ac poſthac in omnib. vnam ſuperioris voluntatem ſequendã. Addit B. P. N ad hoc ipſum quoq; nos diſpoſitos debere eſſe licet difficilia & ſecundum ſenſualitatẽ repugnantia nobis iubentur,imo erga illa, ſi quãdo nobis iniungentur, potiſſimũ & ante omnia magna nos promptitudine ferri debere demonſtrat. quia in illis maxime vera & perfecta obedientia, prout cõmuniter Sancti Patres docent, relucet. Hinc ſi quando quid præcipitur, quod nobis placet, ſapit, quodque inclinationi voluntatiq; noſtræ conforme eſt,qualis obedientia ſit,ęgre videri poteſt; propterea quod fortaſſe magis huc propria feramur propenſione & affectu priuato, q̃ vt Dei voluntatem & ſuperioris iuſſum in eo exequamur. at, quando quid difficile, arduum, & ſenſualitati noſtræ carniq; repugnans mandatur, & ipſum nihilominus q̃ promptiſſime explemus & amplectimur, tunc, inquiunt, optime apparet obedientiæ. Siquidem ſecuri & tuti ſumus, in hoc non tam nos ipſos, q̃ pure Deum & obedientiã ipſam,à nobis quæri. Vnde nonniſi bonũ & laudabile eſt, quod nonnulli, religioſi, dum ipſis officia & miniſteria q̃ ſenſualitati placent præſcribunt, ſeipſos ſuſpectos habeant,& magna quadã cordis amaritudine, & ſancta querimonia dicant. Neſcio itrum in hoc aliquid promerear, quod propriã in eo voluntatem facere videar. Vnde hoc ipſum ſuperiori anxii ſemel iterumue proponunt. E diuerſo cum quid iniungitur, erga quod naturaliter nõ propendebant, ſed à quo alieniores erant, & auerſiores,& in quo magnam animi repugnantiam ſentiebant, magna in quiete ſunt, & mirã conſolationẽ ſentiunt: quod eſſe tuto poſſint ac ſecuri, ſuam ſe quoad hoc voluntatem non facere, nec ſeipſos quærere,ſed pure Deum ſolum. Bonus hic

Gradu 2.

Obedientia ſequlchrum propriæ voluntatis.

Reg. 12. & 3. ſummarij.

Greg lib 35 Moral c. 1. Bernardus de ordine vitæ. Albertus Magnus de virtut. tract de obedient. & citat August lib. 10. c. 26.

In rebus arduis & ſenſualitati contrariis apparet optime obedientia.

Viri perfecti qualis in præceptis iuxta aut contra propriam ſenſum a ſuperiore datis.

securusque procedendi modus est. Vnde S. Gregorius: *Debet*, ait, *obedientia in aduersis ex suo aliquid habere, & in prosperis ex suo aliquid omnini non habere.* Quando nimirum sublimia & honorifica nobis imperantur, nihil in eis nostrum esse debet, sed pure simpliciterque accipienda ideo ea sunt, quod nobis mandentur, & hæc Dei sit, voluntas. At, cum è contra difficilia, abiecta, humilia præcipiuntur, aliquid in iis esse debet nostrum, erga illa namq; mirifice propendere & animo, acclinare nos oportet, magnaq; eadem promptitudine & voluntatis affectu amplecti. Ita qui fecerit, melius persuadere sibi potest ac credere, sed ẽt in aliis mandatis inclinationi suæ naturali conformib. Dei se voluntatem facere non propriam: Atqui in rebus vilibus, abiectis, & laboriosis, in quibus exequendis magnam difficultatem & repugnantiã experitur, prompte expediteque non obedit, timere non immerito potest, ne etiam in iis quæ gustus, sensualitati atq; inclinationi conformia sunt, exequendis, non tã Dei quam propriã voluntatẽ adimpleat. Atque hoc vnum è signis est è quibus dignoscatur, quando quis in eo quod agit seipsum quærat, quando autẽ pure voluntatem Dei.

Lib. 35. Moral. c. 13.

Signum an religiosus in opere obedientiæ te ipsum, an Deum quæras.

Vnde consequitur enim, qui omnimodis procurat & ex ambiendo desiderat, vt ea sibi à superiore præscribantur, quæ sibi arrident ac placent, vtque suæ voluntati morem gerendo condescendat, & qui ad hæc exequenda promptus est, non autem ad alia obedientẽ non esse dicẽdum. Quocirca bene B. P. N. *Sane quam magnus est error & quidem eorum quos amor sui obcæcauit, obedientis existimare sese, cum superiorem ad quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint.* Ad quod ꝓpositum adducit illud S. Bernardi: *Quisquis vel aperte, vel occulte satagit, vt ꝙ habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blãdiantur: neq; enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit*, nec ipse superioris voluntati, sed superior vice versa ipsius voluntati obsecundat. Communissimum quidem ac potissimum hoc punctum est, etsi non ꝓpterea leui pede & obiter transeundum, est namq; vnum de præcipuis & maximi momenti punctis, q̃ quoad hanc materiam queant, adferri. Hoc vnum est de iis q̃ Religioso maxime sunt timola, time itaque ne ideo tibi superior officium, ministerium, functionemue aliquam iniungat, quod eam ipse desideraris, ambiueris, vel ab alio officio, quod tibi imponere volebat cuique te applicare maluisset, alieniorem te commonstrares: etenim forte se vt cum aliquid te fecisse, & eo quod multum laboraris, multa bona opera ac merita eo aceruasse credas, postea frustra te laborasse ac deceptum esse, & meritis corã Dei iudicio vacuum prorsus visurꝰ sis, eo quod tuam & non Dei voluntatem feceris. Vnde ipse respondere tibi poterit illud Isaiæ: Nam dicente te *Quare ieiunauimus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti?* dicet. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.*

Epistol de obedien. 2. 8.

Serm de tribus ordi. Eccles ad Patres in capitul.

Punctum Notandum

religioso ne superioris voluntatẽ suam factã obedientiã ad meritũ credat.

Isaia 58. 3.

Vnde etiam ad hanc materiam, hunc ipsum Isaiæ locum. S. Bernardus accommodat, & addit. *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non sint.* Et alio loco vberius hoc ipsum declarans ait: Cum, Redemptor IESVS Paulum Apostolum, in via apparens, & equo deiiciens, ad se conuertit ceciderunt ab animæ eius oculis tanquam squamæ, vnde ipse à luce illa, quam è cælo, accepit, illustratus, dixit. *Domine quid me vis facere?* Hinc inquit Bernardus colligi queat, perfecte aliquam iam ad Deum conuersum esse, & reuera mundo renuntiasse, ad Christum sequi statuisse, si videlicet cum Apostolo dicat, *Domine quid me vis facere?* O verbum breue, sed compendiosum, & sensu plenissimum, sed viuum, efficax, & æstimatu dignissimum! Quam hodie paucos reperire est, inquit, qui ad tantam obedientiæ perfectionem perueniant, vt ita suam reliquerint voluntatem, nunquam vt velint quærant, desiderent, quid è sua, sed è solius Dei voluntate fieri, semper cum Apostolo dicendo, *Domine quid me vis facere?* Et cum Regio Propheta: *Paratum cor meum Deus paratum cor meum* vt faciam voluntatem

Serm de conuers S. Pauli.

Acto. 9. 6.

Domine quid me vis facere? Verbum breue ad compendiosum ac sensu plenũ.

Psal. 56. 8.

tatem tuam. *Heu plures*, inquit, habemus Euangelici illius cæci, quam noui Apostoli imitatores. Petit à cæco illo Redemptor Christus. *Quid tibi vis faciam?* Hem, quanta tua est misericordia Domine, hem quã tute nobis te accommodas & condescendis? quis vnquã Dominus serui sui voluntatem exquisiuit & sciscitatus est, eam vt faciet? vere cæcus ille; quia non considerauit, non expauit, non exclamauit, vti alias Apostolus Petrus, dum pedes illius IESVS lauare voluit, & Ioan. Bapt. quando venit ab ea vt baptizaretur: *Absit hoc Domine*. Nisi fuisset cæcus, expauisset haud dubie cum petentem Dominum audiuit, *Quid tibi vis faciam?* & exclamare magis debuisset, ac dicere. *Quid me facere vis*: sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Tales, inquit, Bernardus Religiosos multos hodie videre est, quos interrogare superior debet, & petere. *Quid tibi vis faciam?* vt superiorẽ antea considerare & ꝑcipitare oporteat, quid huic placebit? quid est quod libenter facturus est, hoc ei vt iniungam, ad quod aliqua propensione inclinatur & afficitur? cum ipsimet è cõtra voluntatem superioris exquirere, vt ad quid ipse propendeat nosse, satagere deberent, quo ipsum agere proponant. Hoc enim fine ad Religionem venerunt, non autem, vt ipsorum voluntati superior condescendat, & quæ ipsis placent, iniungat. Hæc namque, non est obedientia religio.

Capvt V.

De tertio obedientiæ gradu.

Tertius obedientiæ gradus in eo consistit, vt intellectum & iudiciũ cum iudicio superioris conformemus, nõ solum vnum velle, sed & vnum sentire, cum eo ꝓcurando credamus, id ꝙ ipse mandat, recte mandari, nostram iudicio illius, iudicium subiicientes, ipsumq; vt proprii iudicii regulam ac normam accipientes. vt autem vtcumq; clarius huius obedientiæ necessitas intelligatur, satis esse, debuerãt ea, quæ initio dicebamus, nimirum nisi ita obediatur, ꝑfectam veramq; obedientiam non fore. Vulgo Sancti Patres asserunt, obediẽtiam ꝑfectissimum quoddam holocaustum esse, in quo nimirum homo se totum, integrum, indiuisum non sectum nihilq; sibi reseruando, suo creatori & Deo, caritatis igne cremandum, ꝑ ministrorum eius manus, offert. Hæc porro in lege veteri, erat inter holocaustum & alio sacrificia, differentia, quod in his pars vna Deo offerretur, altera vero in sacerdotum & ministrorum templi vsum & sustentationem cederet ac reseruaretur: at holocaustum totum, ac penitus in honorem Dei cremeretur nihil ve eius seruaretur, aut cuiquã cederet. si ergo intellectu nõ obedieris, nõ erit obedientia tua holocaustum, non integra non ꝑfecta, cum principalẽ & nobiliorẽ tui partem, ipsum inꝗ intellectum & iudicium, offerre negligas. Vnde B.P.N. dicere solebat, eos ꝗ solum voluntate, & non iudicio obediunt, nonnisi vnum in religione pedem habere. S. Bernardus plurib. edisserit, qualis & quo malo obedientia intellectus esse debeat, illam conuersionis S. Pauli historiam in sensu morali ꝓsequendo, & huic materiæ applicando. Postꝗ ergo Paulus cœlesti luce perculsus conuersus est & dixit, *Domine quid me vis facere?* respondit ei Dominus, *regredere ciuitatẽ & ibi dicetur quid te oporteat facere.* Quod exponens S. Bernardus hoc eodem ait fine, & intentione, in religionem es ingressus, idq; non sine alto & diuino quodam consilio quendam: salutis tuæ cõparandæ tibi timorem ac terrorẽ Deus iniecit, ardens quoq; maiestati eius seruiendi desiderium in corde tuo accendit, hoc deniq; fine tibi inspirauit, vt ciuitatem hanc, & hanc virtutis scholam ingrederis: ibi tibi dicetur, quid à te requirat Deus, quidque facere te oporteat, ut ei placeas. Paulus autem (vt in historiæ serie pergamus) ciuitatem ingrediens, *apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum*. *Hæc*, inquit Bernardus, *plane fratres, perfectæ conuersionis*, & obedientiæ religiosæ, *forma est*: in hoc huius perfectio consistit, vt nimirum apertis oculis

Obed. vtila holocaustũ perfectissimum.

Lib. 5. c. 4. vitæ.

Serm. de conuers. Apost. Pauli.

Actor. 9. 7.

Insignis S. Bern. Allegoria pro obedienta.

Obedient verus apertis oculis nihil vidẽs.

Cap. 3.

Obediens verus apertis oculis nihil videns.
Gen. 3. 7.

nihil videas, aut diiudices, sed à superiorib. te tuis conduci trahiq; finas, totum te in manus eorum resignando. Vide autem, ne tibi oculi aperiantur in malum vti Adamæ aperte sunt. In genesi quippe legimus, primis nostris parentibus, quam primum vt peccarunt oculos apertas fuisse, & cognouisse eos se nudos esse, atq; inuicem ad alterutrius conspectũ, magnopere exhorruisse. Quid enim? an non & ante præuaricationem nudi erant, & oculos apertas habebant? Maxime: neq; n. eos cæcos Deus condidit. sed suam ad nuditatem neutiquã attendebant, nec eam aduertebant: Viuebant quippe in sancta illa, iustitiæ originalis simplicitate & puritate, perinde atque Angeli quidam terrestris. Hanc porro innocentiam & perfectionem, quam inobedientia perdiderunt, par nos est nostra in hoc religionis paradiso, obedientia imitari: ne videlicet, ad alienos defectus intuendos, oculos apertos habeamus, sed vt licet suum etiam sponte quis vitium & nuditatem patefaciat, oculos animumque ab eo auertamus, nec vllam eodẽ reflexionem faciamus, nedum ad ea quæ ad obedientiam spectant.

Religio paradisus. Oculi obedientis clausi ad defectus aliorũ, maxime in obediendo.

Climachus de diligentia & accuratione, q̃ in hoc nobis adhibenda est, loquens ait, si quæ nobis cõtra obedientia & iussa superioris cogitationes & iudicia oboriuntur, non aliter in iis nos agere oportere, quam in cogitationib. blasphemis contra Deũ ac res fidei tendentib., aut aliis inhonestis & turpib. representationib. vt si eas plane excludamus, & oẽm iis aditũ locumq; denegemus, imo vero quandam inde nos magis cõfundendi & humiliandi occasionem accipiamus. S. Hierony. monacho cuidam recte in cœnobio viuendi formulam præscribens, inter cætera hoc illi documentũ dedit, *Non de maiorũ sententia iudices*, superiorum iussa decretaq; non examines, cur videlicet hoc illud ue mandarint, & nũ melius id hoc quam illo modo imperassent: subditi quippe *officij est obedire & implere quæ iussa sunt dicente Moyse, Audi Israel & tace.* Eodem nos inuitans S. Basilius: Ait, cum artem aliquam mechanicam in seculo quis, victus cõparandi ergo eddiscere vult, magistro alicui se in disciplinam tradit, vt ab eo præcepta artis ediscat, cuius ipse manus gestumq; attente cõsiderat, & cui exacte in omnib., quæ dicit sine vlla contradictione, diiudicatione, aut curiosiori præcepti examinatione obedit: itaq; fit vt tandẽ peritus artifex euadat. Pythagoras si quod discipulis suis dogma aut placitũ proposuisset, id ab eis vlterius examinari excutiq; per speciẽ dubitationis nolebat. Quod illi adeo sancte & inuiolabiliter obseruabant, vt cum diceretur, *Ipse dixit*, nullus de eo magis dubitãdi locus esset. Quanto potius ipsum nos id seruare oportet, erga eum qui Pythagora multo dignior est & maior, eo q̃ Domini nostri Iesu Christi vicarius est? nimirũ cum quid ab illo præscribi, fierique iuberi viderimus, amplius nihil ad iudiciũ nostrum quam primũ ei subiiciendũ, credendumq; id nobis quã maxime conuenire, requiratur. Apud Lacedæmonios, referente Eusebio Cæsariensi, lege cautũ erat, ne siquis recenter gubernaculo vrbis admoueretur, disputando examinaret, num leges Reipubl. bonæ essent an prauæ, nec, quænã inde inconuenientia sequi possent, inquireret, sed suũ illis iudiciũ simpliciter subiiceret, easq; velut rem à Diis datã intueret: satis aũt ad eas seu æquissimas admittendas esse debere, q̃ à maiorib. illæ ac p̃decessorib. latæ essent: &, si quis de senioribus aliquid in iis, q̃ ob mutatam temporũ ac morum ratẽm minus placeret, inueniret, non id corã iuniorib. p̃poneret, sed ad seniores, qui remp. regebant, referret, vt viderent hic quid factu consentaneũ foret, neq̃ hoc pacto iuniorib. legũ contemnendarũ, minorisq; faciendarũ occasio daretur, vnde insigne aiebant fore, vt in rempub. damnum redundaret. Si gentiles illi Philosophi tanto leges, à maioribus latas, in honore & reuerentia haberi volebant, hocq; adeo ipsis necessariũ videbatur: longe sane erit æquius, eandẽ nos Christianos & Religiosos erga prælatorũ nostrorũ spiritualiũ decreta, iussa ac præcepta reuerentiã & venerationẽ exhibere, cum non solum in ratione naturali, sicut illi philosophi, sed in fidei luce & gratia Euangelica fundatissimus. B.

Hierony. praeclarum monitum pro obedientia.
Epist. 4. ad Rusticum.
Exod. 6 3.
In constitu. Monast. c. 20.

Simile.

Laert. lib. 8 c. 1.
c. de nat. Deorum.

De præpar. Euang. ex Platone lib. 1 de legib.

Religiosus obediens decreta ac iussa superiorum ne examinet.

P. N.

B. Ignatius in Epist. de obed.

P. N in admirabili illa, q̃ de obedientia cõscripsit Epistola pluribus aperteque demõstrat, nisi isthæc iudicii obedientia interueniat, fieri plane posse, voluntatis & operis executionis obedientia talis sit, qualis oportet: varia quoque damna & inconuenientia, ex huius obedientiæ defectu sequi solita, enumerat.

Capvt VI.

De Obedientia cæca.

Lib. 5. c. 4. vita.

Duplex vitæ Christianæ perfectio ex mandatis & consiliis duplex item vitæ religiosæ ex obedientiæ disparit.

B. P N. Ignatius dicere solebat, ꝙ quemadmodum duas in Ecclesia militante Deus hominib. ad salutem consequendam vias aperuit, vnã quidã communẽ & vulgatã, q̃ est ipsa diuinorũ mandatorũ obseruatio, alterã vero: q̃ ad priorẽ illã insuper Euangelica addit consilia Religiosorũ hæc ꝓpria est: pari mõ in hac ipsa religione duo sint obedientiæ genera, vnũ imperfectum & cõmune, alterũ perfectum & cõsuetum, in quo ipsa obedientiæ vis, & perfecta religiosi virtus eluceat. Imperfecta obedientia, iq oculi habet sed in ꝑniciẽ suã ꝑfecta a cæcatur & in hac cæcitate magna cõsistit sapientia. Prior in eo ꝙ imperatur iudicio vtitur, posterior minime. Illa magis in alterutrã partẽ inclinat: hæc in neutrã; qa semp in medio sicut libræ æquamentũ, recta cõsistit, ad omnia q̃cunq; iniungentur, æqualiter disposita & ꝑparata. Prior obedit opere, sed corde reluctatur, itaq; nomẽ obedientiæ nõ promeretur: posterior & iussa exequitur, ac superioris voluntati ac iudicio suum submittit, admittens vt bonum quidquid à maioribus & ꝑpositis decretum ac statutum est; nullas rẽ quib. ad obediendum emoueatur, rões conquirit, quin & si q̃ occurrant, neutiq̃ ãiis acquiescit, sed hoc duntaxat intuitu ad parendum fert ꝙ hoc cæca sit obedientia. Hæc sc. est obedientia cæca, tantopere & à Sanctis viris vsurpata, & adeo à sanctis patribus ac vitæ spiritualis magistris, cõmendata. dicitur hæc cæca, nõ ꝙ quolibet in re q̃ mandari posset, peccatũ ea sit, siue non, temere & indiscrete sit obediendum (insignis namq; id error foret: vti expresse id nobis B. P. N in constitutionib. declarat.) Verum ideo cæca nominatur, ꝙ omnib. in rebus, in quib. manifeste peccatũ cõtineri non apparebit, simpliciter, sincere, rotunde, nec vllas præcepti rationes, inquirendo indagandoque obedire, ꝑsupponendo, id quod mandatur & sanctũ esse, & diuinæ voluntati cõforme, & vnã hanc rationẽ instar omnium habendo, quod id sit obedientia, & a superiore mihi præscribatur.

3 p Constit. c. 1. § 23 & p. 6 c 1 § 1. litt. B & in Epistol de obed.

Vnde obedientiã hanc Cassianus vocat *sine discußione sine examine:* quia tibi minime disquirendum, disputandum, discutiendum, & examinandum est, cur, ad quid, sed simpliciter maiorum iussis parendum. Et S. Climacus sic eam definit: *Obedientia est examinatus atq; indiscussus motus spontanea mors, vita curiositate carens discretionis depositio inter diuitias discretionis.* S. Basilius, declarans quõ Redemptor Christus, suas Petro Apostolo, & in eo omnib. superiorib., oues pascendas cõmiserit, addit, quemadmodum oues suo pastori obediunt, &, quocunq; eas ipse duxerit, eo haud inuitæ sequuntur: Ita religiosus superiori suo obsequi, & quã ille ducere via voluerit magna cum sinceritate & simplicitate, sicut bona & obsequens ouicula incedere debet, præceptum eius non discutiendo nec in ipsum curiosius inquirendo.

Lib 4 de institut renunt c. 10. 24 25 26. 41 & lib. 12 de spirit super c 1. 32. & collat 18. c 3 & collat. 2. c 10.

Grad 4. initio.

In constit. Monast. c. 18.

Ioan. 21. 17.

S. Bernardus de cæca hac obedientia nullo non loco egregie disserit eamq; solã perfectã esse obedientiã ait *Perfecta,* inquit *obedientia est (maxime incipiente) indiscreta: hoc est non discernere quia vel quare ꝑcipiatur sed ad hoc tantũ niti, vt cæcis oculis fideliter & humiliter fiat ꝙ à maiore ꝑcipitur* Et S Greg *Vera obedientia nec præpositorum intentionẽ discutit, nec præcepta discernit quia omne vitæ suæ iudiciũ maiori subdidit in hoc solo gaudet si ꝙ sibi ꝑcipitur operatur; nescit n iudicare: quisquis perfecte didicerit obedire quia hoc tantũ bonum putat si ꝑceptis obediat* Caro pro dolor primis nostris parentib. stetit, quod præcepti à Deo lati rationẽ inquirere & examinare voluerint: hac namque rima in ipsos gliscens diabolus eos postrauit, hocq; primũ omnia tũ ipsorũ tum nostri mali fuit principium. Petit ergo ab iis diabolus, *Cur præcepit*

Tract de vita solit. ad fratr de monte Dei & de ord. vita & morum instit. col 12.

Greg sup. lib 2 Reg. c. 4.

Discußio præcepti superioris, rima qua Sathanas se

siermat:

Gen. 31. *cepit vobis Deus, vt non comederatis de o-*
mni ligno paradisi? respondit Eua, *Ne forte*
moriamur. Expresse illis dixerat Deus. *In*
Gen. 2.17. *quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.*
Et ecce Eua præceptum hoc in dubium re-
uocat arbitrata, hanc Dei sententiam non
absolutam, sed tantum comminatoriam
fore. Quod manifesta fuit ad deceptionem
& fraudem (quæ etiam secuta est) inducē-
dam dispositio. Vnde Dæmon, arrepta oc-
casione, *Nequaq̃*, ait, *morte moriemini, sed*
eritis sicut Dij scientes bonū & malum, nam
idcirco tantum vetuit Deus, ne ex eo co-
mederetis, ne illi scientia pares essetis. Eua
ergo ab ascendendi gradusq; maioris q̃
in quo cōstituta erat, obtinendi appetitu se
transuersum abripi siccit, & comedit, & pa-
riter Adamum cōiugem ad comedendum
induxit. Præcepti ergo causam indagarunt
& discusserunt, ideo comederunt facti in-
Inobedientia à Deo punita. obedientes, & mox de paradiso eiecti sunt,
& morte primū spirituali, deinde corporali
mulctati Quoniā vero Dæmoni sua optime
hac via res cessit, ātq; luculent āp hoc stra-
togema victoriā cōsecutus est: hinc sæpe-
numero & nos hac ipsa via adoritur. Qua
2. Cor. 11.3. re nos p̄munit, & hac in parte nobis & ca-
ueamus cōmonet Apostolus dicēs: *Timeo*
aūt ne sicut serpēs Euā astutia sua, ita cor-
rūpantur sensus vestri, & excidant à sim-
plicitate q̃ est in Christo Caue tibi à serpen-
te, vide ne p caput eum apprehendas, quia
indubie te cōmordebit, sed quæcunq; tibi
imperantur, sine vlla discussione, indagine,
& examine, cur, quamobrem, & ad quid ita
hæc mandentur, exequere, itaq; obediētia
Epistol ad fratres de monte Dei Iollat 6. tibi futura est velut agendorum norma. In
principio, inquit, Bernardus, permagni re-
fert, hoc mō qs obedire vt cōsuescat, cæce
inq̃, & sine vlla iussi discretione *Nā nouitiū*
Iussa superiorum non discutienda. *prudentē, incipientē omniaq; indagantē in*
cella diutius posse cōsistere in cōgregatiōe du-
rare moraliter loquēdo impossibile est Quid
ergo faciet? quomodo se hic geret? *Stultus*
fiat vt sit sapiens Et hac omnis sit eius dis-
cretio: vt in hoc nulla ei sit discretio, & hac
omnis sapientia eius sit vt in hac parte nul-
la ei sit. Nam discernere & rationes disqui-
rere. Quare, & quo fine id ita fieri oporteat,

superioris p̄priū est: boni vero subditi par-
tes sunt, quidqd præpositus iubebit, magna *Superior*
cum humilitate, simplicitate & fiducia am- *imperet,*
plecti & vt loquitur, Sanctus ille vir, *Discer-* *subditus*
nere superioris est subditorum est obedire. *obtemperet*
Egregie ad hoc propositum ponderat ac *Rom* 4.18.
exaggerat Apostolus cæcam Abrahæ Patri- *Laus obe-*
archę in filio Isaac immolando obedientiā. *dientiæ A-*
Promiserat de cœlo illi Deus, se semē illius *brahæ*
multiplicaturū, sicut stellas cœli, & sicut a- *Gen.* ⁓ 4.
renā, quę est in littore maris, multarū gen- *Gen.* 17.4.
tiū Patrē eum constituendo: alium vero in
quo p̄missio spe cōpleri potest, q̃ hunc i-
psum Isaac, filium non habebat, nec plures
generandi spes vlla affulgebat (cū iam tam
ipse q̃ vxor Sara effecti essent) & esto plu-
riū habendorum aliqua spes fuisset, tamen
nonnisi in hoc Isaac p̄missionem hanc im-
plendā dixerat Deus, *in Isaac vocabitur ti-* *Gen.* 17.
bi semen Nihilominus Abrahā Deo vt vni-
cum hunc & ita dilectū ac carum Isaac sibi
immolaret adeo in obedientia nō hæsitat,
nec de diuini p̄missi adimpletione dubi-
tat, vt cæca quadā obedientia actus diuini
opere ipso mādatum adimplere inciperet,
iamque ensem ad eum iugulandū stringe-
ret, scil. *contra spem naturalē, in spem cre-*
didit supernaturalē, vt fieret pater multa-
rū gentiū: & spes supernaturalis, naturalem
in eo vicit diffidentiam, q̃ oculi videbat. n.
seorsum filio, & eum iam immolare coge-
retur, adeo tamen de diuina pollicitatione
nō diffidebat, aut ambigebat, vt eam quam
certissimo confideret reipsa adimplendam,
vel ipso filio postea à mortuis excitato, vel
alio quopiā modo, quem ipse nec sciret nec
intelligeret *Non hæsitauit*, inquit, Aposto-
lus *diffidentia sed confortatus est fide, dans*
gloria Deo: plenissime sciens, quia quæcunq;
promisit, potens est & facere. Tantopere
porro Deo isthæc eius obedientia placuit,
vt protinus illi p̄mittat, Christum Messiam
è stirpe eius nasciturum, & hac raōe fore,
vt semen illius sicut stellæ cœli, multiplica-
retur: *per memetipsum iuraui dicit Domi-* *Gen.* 22.16
nus: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti
filio tuo vnigenito propter me benedicā tibi
& multiplicabo semen tuū sicut stellas cœli,
& velut arenam quæ est in littore maris:

posse-

Epist. de vera circumcis.

possidebit semen tuum portas inimicorum suorū, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ quia obedisti voci meæ. Vide, inquit Hieronymus, quam Deo. Opt. Max. cæca Abrahæ obedientia grata exstiterit, cum tam ample largiterque eam remuneretur, *cum vnico non pascit in terris. Stellas pro filiis annumerare iubetur in cœlis*, atque hoc in sensu generatioēn eius ait multiplicandā. Hinc factum est, vt tanti cæcam hāc obedientiā patres illi veteres fecerint, tam sæpe eam vsurparint, & identidem exercuerint, vt plenos illustrium hac de re exemplorum habeamus libros, & horum pleraq; etiam miraculis sint confirmata, vt intelligamus nimirum, quantopere hæc obediendi ratio Deo. Opt. Max placeat.

Exercitiū cæcæ obedientiæ antiquis patribus per quā familiare.

6. p. constit. c. 1. § 1. reg. 36. summarij. Obedientiā professus cadaueri similis sit, oportet.

B. P. N. communem hanc sanctorum doctrinam secutus binis similitudinibus, iisq; accommodis & fructuosis eam nobis decarat, *Quisquis*, inquit, *sibi psuadeat, quod qui sub obedientia viuunt, se ferri ac regi à diuina pūidentia per superiores suos sinere debent. pinde acsi cadauer essent, quod quoquo versus ferri, & quoquo versus ferri, & quacunq; ratione tractare se sinit.* Quam comparationem etiam vsurpabat S. Franciscus, eamq; identidem apud fratres suos repetebat, dicens: Mortui iam mundo, & omnibus quæ mundi sunt iuxta illud Apostoli: *Mortui enim estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* Hoc vtique proprie est Religiosum esse, mortuum scil. esse mundo. Atq; hinc etiā est, quod ingressus in religionem mors ciuilis vulgo appelletur. quapropter nos velut mortuos existimemus. Inde porro colligas, quempiā mortuum esse, quod non videat, nō respondeat, nihil sentiat, non deniq; cōqueratur: ita & nos cæci simus ad videndū ac discernendū ea quæ à superiore imperantur, non item replicemus, vel obmurmuremus aduersum eius iussa, non denique expostulemus, vel indignemur, si quando quid sensualitati repugnans iniungitur, atque vt corpori mortuo datur, & conquiritur id quod vilissimum est, nec non id ipsum inuoluendum & obtegendum linteum veterrimum ac tritissimum; ita persuadere sibi quisque debet, quod domi est tam in victu & vestitu, quam in cubiculo, ac reliquis cōmoditatibus pessimum, sibi ante alios dari oportere, vnde qui & hanc insensibilitatem nōdum peruenit, sed aliquam è contra hīc repugnantiam sentit, vere mortuus, nec plene mortificatus est.

Religionem ingredi est ciuiliter mori.

Ibidem Obediens cum senis baculo confertur.

Vult præterea P. N. vt ita nos à diuina prouidentia per superiorem conduci, ferri ac dirigi sinamus, vt, *senis baculus, qui vbicunque, & quacunque in re velit eo vti qui eum manutenet ei inseruit* Quare sicut seipso eo sequitur, quocunque fertur, & quo in loco ponitur, in eo poni se sinit, nullumque à seipso motum habet, sed omnem quem habet à dirigente accipit: ita religiosus proprium habere motum non debet, sed à superiore se regi ac gubernari sinere quocumque conducetur, ea sequi quemcunq ad locum rapietur, in illo conquiescere, tam in luto quam area munda, tam in loco alto, quam humili, sine vlla prorsus repugnātia & obluctatione debet. si aliquam tibi baculus, qui vsui & alleuiamento in eundo esse debet, resistentiam faceret, nec eo quo eum conducere cuperes, sequi sed aliorū ferri fellet, non tam solatio tibi & opi foret, quam impedimento & remoræ, eumq; à te abiiceres. Pari modo, si, quando opera vti tua superior vult, ac tali te loco, officio, & functioni applicare: illi obducteris, sequi detractes, ac motui eius contrariū, tam in operis executione, quā voluntate & iudicio, motum habeas: tantum abest, vt ei solatio & auxilio sis, vt impedimento potius sis, & oneri futurus, superioribusque negotium facessiturus: vnde te graue onus à se excutere pcul amouere, & alio quopiam destinare cupient, itaq; de domo in domū, pilę in morem te cōmigrafacient. Quia bonus nō ea baculus, nec quomodocunq; voluerint, opera tua vti, & adhibere te possūt. Recreationis causa baculū secū sumit, vt cū in manu habeat: quia quodcunq; voluerit de eo facit, & prout voluerit cū versat & reuersat: talis oportet sit & religiosus, vt voluptati sit in manu eum habere, & ei qd demādare, deque superior disponere queat put voluerit, atque eo nō

secus gloriari, quàm militibus suis centurio Euangelicus, de quibus ait, *Habeo sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alio veni & venit, & seruo meo fac hoc & facit.*

Matth. 8. 9.

Aliam rei huic declarandæ similitudinẽ, eamque elegantẽ adfert S. Basilius. Sicut, inquit, faber murarius, aut alius quicunq; artifex, artis suæ instrumentis pro libitu, ac quomodocunque voluerit vtitur, & vt nullum vnquam exstitit instrumentum, quod non admodum facile & ductibiliter artifici suo obediret, quo se prout vellet vteretur: Ita Religiosus vtile in religione esse instrumentum satagat, vt eo superior prout ad ędificium spirituale expedire iudicauerit vtatur nec vllatenus obsistere vel impedire id, quod de se præpositus facere ac statuere voluerit. Præterea, sicut instrumẽtum delectum non facit earum rerum in quib. seruire, & operam suã præstare velit; ita nec Religiosus facere debet sed artificis, id est superioris iudicio & arbitrio se totũ committere. Et paulo inferius hanc ipsam per similitudinem prosequens, addit, sicut instrumentum absente artifice minime mouetur, eo quod nullum à seipso motum habeat, sed cum tantum quẽ operarius illi dat: sic nullum sine superioris præscripto & decreto Religiosus motum facere, nullum negotium suscipere, nullum ne in minimis ac minutissimis quidem rebus, ac ne ad punctũ quidẽ temporis sui ipsius Dominum vendicare: sed semper & omnib. in rebus à superiore moneri ac gubernari debet. Hæc est forma & exemplar obediẽtię eius, q̃ in Religione habere nos oportet.

In constitu. monast. c. 23 & 28. Religiosus similes sit instrumento artificis.

Grauem in societate nostra patrẽ, quiq; multo in ea tẽpore superiorẽ egerat, dixisse memini, quindecim ipsis se in ea annis vixisse, nec putasse: aliq̃ vllius rei à superiori iniunctæ subdito dari raõm oportere: imo iniuriã non paruam se subdito facere credebat, si quando mandati iussiue sui ei raõnem reddebat. Omnes namq; tanta tunc cum simplicitate & sui resignatione ꝓcedebant, nullus vt super reb. à superiori iniunctis inq̃reret, aut eas excuteret: sed cognito, eas ab illo præceptas esse, suum ilico iudiciũ subiiciebãt, inferentes. Ergo bonæ eæ sunt, Ergo id maxime expedit: Ergo superior nouerit, cur eas imperet. Hanc nostrum est, sinceritatẽ à maiorib. acceptã ad posteros perpetuando traducere: in quo seniores & antiquiores iuniorib. præeminere, & exemplo prælucere debeat, non autem cogitare quod annis superent, ideo sibi plus facultatis esse ad superiorum iussa imperiaque excutienda & diiudicanda.

P. Antonius Araozius. Subdito iniuriam facit superior, si mandati sui rationem reddat.

A seniorib. cæca obediẽ exempla iunioribus capienda.

B. P. Ignatius cum societatis IESV præpositum generalem ageret, sæpius legimus dixisse, se, si Pontifex Rom. iniungeret, vt in portu Ostiensi, qui haud procul Roma distat, primum quod reperiret nauigium conscenderet & sine malo, sine gubernaculo, sine velo, sine remis, sine vllis ad nauigandum necessariis instrumentis, ac commeatu mari se committeret, haud illubenter obsecuturum, & iussa non modo magna cum animæ pace, verum etiam gaudio & voluptate facturum. Quibus auditis cum vir quidam primarius admiraretur ac diceret, Ecquænam hæc discretio & prudentia foret? Respondit vir humilis, prudentia Domine non tam requiritur in eo qui iussa exequitur, & paret, quam in eo qui huiusmodi quid iubet ac præcipit.

Lib. 5. c. 4. vita S. Ignatij mira obtemperandi promptitudo.

Prudentia est potius imperatis, quam iussa exequentis.

CAPVT VII.

De obedientia, quam in rebus spiritualibus nos præferre oportet.

NOn solum in iis quæ carni & sanguini conformia videntur, verum & istis q̃ ei repugnant, & ex se admodum spiritualia & sancta sunt, iudicium & opinionem nostram subiicere ac resignare debemus. Nemo fas sibi esse putet in id genus rebus, à superioris iudicio voluntateq; desciscere cum in illis hanc iudicii obedientiã longe magis requiratur. Hãc quoniã res spirituales ita eminentes, & aliæ sunt, hinc erit in iis maius, nisi ductorẽ aliquẽ certum sequamur, lapsus periculũ & ruina dãmnosior. Vtque eo autem hocce verum est, vt teste Cassiano nullo monachum vitio sæpius

Iudicij obedientia in rebus spiritualibus obsequenti maxime necessaria.

Collat. 2. Abbatis Moysis c. 11.

ac magis, in perditionis præcipitium deturbet, quã dum illi persuadet, vt despectis maiorũ seniorumq; consiliis proprio iudicio, resolutione ac scientia nitatur. Qui, vti & Climarus nõ pauca adeferunt exempla Monachorũ, qui cũ in reb. spiritus admodũ prouecti essent, orationiq; deditissimi, & iã annos plurimos haberent, ꝙ proprio iudicio nimiopere fiderent, & iuxta illud dirigere seipsi ac concludere vellẽt, à Diabolo turpiter decepti & illusi sunt. Vnũ quidem induxit, vt proprium filium, qui in eodem cum fratre cœnobio viuebat, immolare statueret, secundum Abrahamũ illum futurum persuadẽs, qui ẽt reipsa id esset executus, nisi puer cultrũ exacui, & funes vel se vinciendum parari videns rẽ subodoratus effugisset. Alteri auctor fuit, vt se derupe præcipitẽ daret, persuadens illum hoc pacto Martyrẽ fore, itaq; mox recta cœlos ingressurũ. Heron Monachus, vt scribit Cassianus, tantus solicitudinis & ieiunii obseruator erat, vt ẽt in solemnitate paschali, cũ ceteri Monachi in Ecclesiã conuenientes aliquã recreationẽ capiebant, & paulo plus solito comederent, sua is cella egredi, ac solemne suũ ieiunium, herbis saltẽ quibusdã in obsoniũ abditis, violare nollet. Sed ordinaria eius refectio solus panis erat & aqua, & quidẽ quã paucissime sumpta. Vnde paulatim suppullulare quædã cœpit in eo superbia, ac tanta de proprio iudicio præsidentia, vt, iam ei persuaderet dæmon, ad tantum cum sanctimoniã peruenisse, nullum vt ei in hac vita periculum esset metuendum, & licet in puteũ quempiam se deturbaret, nullum inde damnum pateretur, sed Angeli manibus suppositis à ruina eum & malo omni protegerent. Vnde nocte quadam re in profundissimum, virtutis suæ & ingentium meritorum, periculum facturus, præcipitem dedit; sed ita grauiter hic se læsit, vt triduo post animam exhalarit. Accurrerunt ilico, clamore exciti monachi, & semianimem è puteo heronem magno cum labore eduxerunt. Qui licet ad oculum videret, quod esset à lapsu damnũ passus,

Cassian. vt sup. c. 5. & seqq. & Climarus gradu 4.

Monachi religiosi iudicii sui pertinaces fallacis dæmonis obnoxii.

omnesq; ei vt resipisceret, persuadere satagerent, nunquam tamen inclusi potuit, vt crederet diabolicam hanc illusionem fuisse, itaq; infelix peruicacem animam efflauit. Vt hinc colligamus, quam periculosum sit ac damnosum, proprio hominem iudicio fidere, nec ei cui debet se subiicere ac credere: etsi alioquin multos in Religione annos egerit, & in spiritu sit exercitatissimus. Vnde scite sanctus quidam vir, & non sine ratione elixit, eum qui sibi ipsi credit, dæmone à quo tentetur, opus nõ habere, propterea quod ipse sibi Diabolus & tentator sit. Docet Chrysostomus, eum qui proprio iudicio confidit, esto magnos in rebus spiritus profectus fecerit, in maiori errandi labendiq; periculo versari, quam nuperrimum tironem, qui se ab alio conduci gubernariq; sinit. Primum assimilem esse ait nautæ, qui propriæ fidens industriæ ac peritiæ in enarmata quadam naui sine remis ac velis mari procello se committeret: secundum vero ei qui in nautica re minime versatus, peritissimo cuidam nauclero se crederet, qui in naui instructissima se transiiceret.

Sibi credẽs sibi dæmon & tentator est.

Homil. 7. sup epist. ad Corinth.

Tiro Ducẽ se sinens Veterano quã tumuis in spu progresso, sed sibi præsidente, securior est.

Nemo ergo se decipiat, fas sibi esse existimans, in rebus spiritualibus, puta ieiuniis, orationibus & mortificationibus, à superioris præscripto deuiare, ac proprium iudicium & opinionẽ sequi. Nam vti bene notat Cassianus, vnum & idem inobedientiæ genus est, superioris mandatũ tam desiderio laborandi? ꝙ desiderio pigritandi otiandiq; transgredi. Et S. Basilius ait, *Hoc apud te constanter teneto, vt nihil omnino quidquã præter superioris sententiam facias:* quia non iam tuus sed religionis: *hinc quidquid eo insciente facis id furtum & sacrilegium est* : quia versatur circa rem Deo dedicatam & consecratã, *Tibique exitium non autem vtilitatem aliquam apportat, esto tu vt bonum iudices* Et bonam rei huius dat rationem: *Nam, inquit, si bonum est, quid ita clam fit, ac non in aperto?* Non minus sane bonum & vtilitatẽ tuum quærit superior, quã tu ipse. Id illi declara, & ad hoc tibi facultatẽ dabit,

Collat. 4. Abbat. Dan. c. 20.

Serm. seu exhort. ad vitam monast.

Quicquid facit in suo superiore religiosus, furtum & sacrilegium est.

bit, itaq; id cū benedictione, & non ſine magna vtilitate tua facies, Taliter autē id facere noli, vt nō modo nō proſit verum ēt tibi obſit. Vide ne dicatur tibi illud Iſaiæ, Ne offeratis vltro ſacrificiū fruſtra, cur in caſum te fatigare & cruciare cupis?

Iſa.1.13.

Quare bene S. Gregorius & Bernardus aiunt, etſi id quod malum eſt nunquã iubendum ſit, & in mandato peccaminoſo manifeſtū ſit, ſubditum non debere obedire; quod tamen bonum fieri ſuperior prohibeat, ipſum minime faciendum eſt. Arbor paradiſi ex qua Deus primos noſtros parentes comedere inhibuit, mala non erat ſed bona: vt tamen per obedientiã hanc plus promereri, ſuamq; hoc pacto ſubiectionē, & cultum obſequiumq;, quod Deo ſuo debebant, teſtari poſſent, eam Deus illis voluit interdicere, ac inhibere ne de fructu illius guſtarēt, quem licite ſancteq; alioquin credere poſſent, in, diuino mandato id fieri prohibitū eſſet. Eodē modo & ſuperiores interdum prohibēt ea, quę ex ſe ſunt bona, velquod ita fieri ſubdito tunc quidē expediat, vel ad eius virtutē & obedientiã explorandã.

Lib. 35. moral. c. 13. de ordin. vitæ & morū inſtit. c. 1.

Iniuſta ſuperioris mãdata nequaquam capeſſanda.

Vt ſubditorum obediẽtiã explorent ſuperiores nõnunquã bona prohibent.

Addit his Baſilius rem notatu digniſſimã, aitq; veram & perfectã ſubditi obedientiã, nō tam colligi ex eo quod à malo caueat, quam in nō faciendo id quod ex ſe bonū ac ſanctū eſt, ſi quando id omitti ſuperior iubet. Cuius rei ratio eſt, quod malum etiamſi à ſuperiore fieri non inhibitum eſſet, ei relinquendū erat, eo quod malū ſit: At quod ex ſe bonum ac ſanctū eſt, ideo ſolum facere omittit, quod ita ſuperior mandet. Atq; inde eſt, quod ſic obedientiæ virtus magis eluceat: hæc .n. niſi impediret, nulla eius omittendi ratio videtur. Ex aduerſum vero, quando quis ſe in rebus ſpiritualibus, quæq; ex ſe bonæ & ſanctæ erant, plane non reſignat ac credit, ſuã propriam voluntatē, & duritiē cordis magis oſtendit: aliis .n. rebus quędam ineſt delectatio & ſenſualitas qua illectus homo ſilentiū, modeſtiã temperantiã, aliaq; id genus ſuperiorū decreta tranſgreditur: At nulla in his, quæ carni & ſenſualitati repugnant, alia includitu delectatio, quam quod propiam quis in his voluntatem faciat, ac priuatum iudicium ſequatur, vnde hoc aliud nihil eſt, quã mera inobedientia, & peruicax pertinacia. Inde fit, vt in eo quo Deo magis placere, & quoddam ſupererogationis & perfectionis opus quis ſe facere exiſtimat, magis tum Deo, tum ſuperioribus diſpliceat. Liberet te Deus ab equo durioris ac refractorio: quia ſicut hic frenū nō ſentit, nec ei obſequitur; ita fertur quocumq; fert impetus: hinc te cū minus cogitabis, muro ſcabroſo allidet, vel in præcipitium ſe tecum deturbabit: bonus verò equus ore ſit molli, vt in admittendo freno facilem ſe prębeat, & gubernari ac regi ſinat, ita religioſus tractabili ac blãdo ſit iudicio vt obedientię frenum haud inuitus admittat, & facile ſe ex vna parte in aliã mutari flectiq; patiatur.

Serm. de inſtitut. Monach. & ſerm. 1. exercit. ad pietatem.

Signū perfectæ obedientiæ omittere, ſi ſuperiorum ita iubeat.

Religioſus equo ſimilis.

Simeō ſtilites vt in Eccleſiaſtica hiſtoria refertur, rigidã in quadragenū cubitorū columna, ꝑpetuo ſtanto pœnitentiã agebat, nã in hyeme intentiſſimū patiebatur frigus in æſtate ardentiſſimis torrebatur æſtibus; itaq; corpus ſuum abſtinentia & ſeueritate edomabat, vt dubitarēt nōnulle verene homo eſſet, ꝙ homo mortalis facere & pati nō poſſe videbatur, id quod Simeon in columna & faciebat & patiebatur: præſertim ꝙ quotannis quadrageſimali ieiunio, nihil ꝓrſus comedere vel bibere videbatur. Cū ergo Sancti illi eremi cultores peregrinū hoc & nouum vitę genus in Simeone ſummopere mirarentur, inter ſe congregatione facta, delibetarunt quid hic fieri oporteret, Decreuerunt igitur nunciū ad eum mittere, qui ſic eum omnium nomine alloqueretur: Ecꝙ hoc nouum & inuſitatum vitę tuæ genus eſt? quid ſibi vult ꝙ ipſe, cōmuni & trita Sanctorum Patrum via relicta, tã peregrinã & inſolitam ineas, quã ante te Patrum nemo vſurpauit? Patres fuere in cōgregatione collecti tibiq; vnanimes pręcipiūt, vt illud de columna deſcendas, & cōmunem ac tritã, q̃ cæteri monachi ſequūtur, viã ſequare ipſaſq; nouitates relinquas. Interim tamen nuntij baiulo ſignificant,

Euagrius. Epiphã. lib. 1. c. 13. & Theodor. vt teſtis ocularis & refertur in 7. Synodo generali.

Baron. Anno Domini 432.

vt ſi

vt si, hac monitione audita Simeon obediat & statim prompte hilariterq; sua descendere columna disponat, facultatē illi faceret in ea manēdi, & in hac tam nouo quā rigido vitę genere perseuerādi: illius namq; obedientia sufficiēs tum testimonium fore, hanc Dei viam esse, at, si obluctaretur, & descendere & obedire nollet, vi illū descendere & inde abscedere compelleret. Abit ergo ad Simeonem nuntius hic monitus instructus, qui vix dum Patrum iussum, vt descenderet declarat, cū ecce pedem Simeon sustollit, vt descendat, & fratribus obtemperet. Tum legat⁹ alterum legationis suæ aperit & ait: *Bono animo esto, frater, & strenue rem gere: in hoc tuo vitę genere, Deo iuuante perseuera: statio tua à Deo est instituta. Vti etiam Patrib. illis visum fuit.* Notāda autem hic inprimis, hinc quidem magna & mira Sancti huius viri in re tam bona, quam ipsemet à Deo esse nouerat, obedientiæ ac iudicij resignatio: illinc vero, quanti omnes illi Patres obedientiam & resignationē hanc fecerint, cum ex ea sola sufficienter colligi posse censuerint, hunc Simeonis spiritū à Deo esse; at si superiori se minime, subiecisset & resignasset, satis id esse crediderint ad eum vt prauū abiudicandum.

Inaudita Simeonis statio per obedientiā confirmatur.

Signū hoc apprime bonum est, ipsumque vt plurimum à confessariis ac spiritus magistris multis in rebus vsurpatur ad dignoscendum, num è bono eæ Spiritu ortum habeant an secus, dum v. g. ardentē pœnitens aliquis in se affectū sentit ad frequentius cōmunicandum, confessarius autē dissuadet, ne tā sæpe sacras illas epulas ineat: Alius quis rigida, intolerabiliq; in membra sua sæuire seueritate, iterata suscipere ieiunia, flagris sæpe carnē atterere, cilicia crebro gestare, ali⁹ humi cubare, alius longas inire vigilias, & alia eius generis suscipere gestit. Bonum profecto, & laudabile cum primis est ipsum grauis pœnitentiæ & mortificationis suscipiendæ desiderium, & in duobus extremis semper minus suspectū est, in partē sibi aduersam, q̄ fauorabilem inclinare, semper quippe amoris proprij natura timenda est, & vt suspecta habenda. Nihil porro in omnibus hisce rebus melius est & minus suspicionis habens, quam dum quis superiori & Confessario omnium, quæ facit & facere cupit, rationem dat, & quod ille faciendū, omittendumue decreuerit ipsum sequitur. Hac enim ratione magis Deo placebit, plusq; promerebitur. Estque hæc Theologia, vtpote optima & certissima, maxime notanda: nimirum si quis efficax pœnitentias aliquas vel mortificationes suscipiendi desiderium habet, & eius superiori rationem reddit, illiq; decernenti, vt talia opera omittantur, obedit, nō modo illorum valorem ac meritum non deperdit, sed adauget etiam & duplicat: ex vna namq; parte horum operum & pœnitentiarum valorem & meritum, ob efficacem quā eorum faciendorum voluntatem habebat: ex alia vero ipsum obedientiæ valorem & meritum, dum eo, ita superiore iubente, facere omittit lucratur, fit quoq; interdum, vt isthuc meritū maius sit, quam primum, quod maiorem quis voluntatis & iudicii abnegationem ac resignationem præferat, non faciendo id quod tātopere facere desiderabat, quo obediat & Deus voluntatem à superiore declaratā exequatur. Hanc quoq; Theologiam cœlitus edocta fuit S. Brigitta. Cum enim pia hæc mulier erga austeritates vitæq; asperitatē mire afficeretur, pater spiritualis cui animam suam regendam commiserat, quodā ei tempore suasit, vt illam ita valetudine eius requirente paulū minueret. Ipsa quālibet obediret, aliquantulam tamen obluctata est, quod timebat, ne ꝙ in virtutis exercitio anima detrimentū caperet. Sed sacratissima cœli Regina apparens ei dixit: Ecce filia, si duo ē priuata deuotione ieiunare statuāt, & horum vnus (qui sui iuris est) etiā de facto ieiunet, tantum vnā is ob hoc ieiunium mercedē recipit: alius autē (qui sub alterius potestate est) superiore iubēte nō ieiunet duplicē, primā quidē, quod libenter ieiunare voluit, alteram vero ꝙ voluntatē suam abnegarit, & obedierit.

Obedientia spirituorū Lydius lapis.

Obediens superiori corporis afflictationes vetanti meritum duplicat.

Lib. 4. Reuelat. S. Brigit. cap. 26.

In vita Agesilai. Hunc obedientię & resignationis modum & Philosophi gentiles agnouerunt, & magni fecerunt. Refert enim Plutarchus, Agesilaum celeberrimum Lacedæmoniorum ducē, *Obedientia cæca in homine gentili.* cum bellis contra Reipubl. hostes susceptis, iam implicatus esset, magnisq; victoriis relatis egregiè patriæ rem gereret, à repub. acceptu literis, quibus domum re nō perfecta reuocabatur: è medio honorum cursu & hostibus prope deletis, quā mox expeditione intermissa, domum rediisse. Addit autem *Eiusdē præmium.* Plutarchus, maiorem eum ex hoc facto, quam omnibus toto vitę tempore gestis, honorem sibi & famam comparasse.

Lib. 6. c. 8. vita. Sed alienis peregrinisq; exemplis cōmemorandis supersedeamus cum habeamus propria & domestica. Quis non miretur magnam illam P. Francisci Xauerij *Maxima S. Xauerii obedientia.* obedientiam, quam non immerito B.P. N. Ignatius tanti faciebat, vt cum ille noui cuiusdam mundi conuersionem & sub Christi iugum subactionem iam velut in manibus haberet, & à B.P.N. Romā vna tantum literula, quam is in ima epistola, iuxta subscriptionē addiderat, scilicet I. euocaretur. B. Ignatius quam certissimus esset, fore vt is statim ingentem illam expeditionem intermitteret, & Romam ex vltimo pene oriente aduolaret, qui sine dubio ipsum fecisset, nisi, anteq̃ epistola ad eū veniret, iam in cœlos laborum suorum præmium precepturus, abiisset.

Capvt VIII.

In quo quod dictum est, exemplis confirmatur.

In vitis Patrum libell. de humilitate pag. 651. in noua edition. Abbas Nestero, quo primum die Religionis iniuit, ita apud se statuit, E*go & asinus vnum sumus, posthac esse debeo sicut ille, quidquid ei imponitur, hoc portat & sine mora quidem, non petens, Quare aut quem ad finem?* parum id vel multum sit, neutiquam obsistit, nec secus sentit, si fustigetur non prorumpit in contumelias, neu propterea minus laborat; &, quod animal humile sit & contemptibile, ab omnibus vili penditur & pauxillo stramine sustentatur. Adhæc, sicut Asinus ne vbicumque voluerit, vadit, nec quandocumque voluerit interquiescit: *Homo obediens iumento similis.* nec quod vult facit, sed in omnibus & per omnia Agazoni obsequitur: ita se gerat & Religiosus. Atq; vt iumentum, nec comedit, nec quiescit sibi, sed eius comestio & quies eo spectant, vt Domino suo magis subseruiat: pari modo Religionis sibi comedere, sibi dormiri, sibi recreari, sibi quiescere non debet: sed omnia hæc eo referātur oportet, vt & Domino Deo & religioni melius deseruiat. Vnde Regius Propheta de se dicebat, *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* *Psal. 72. 23.* Velut Iumentum ergo te fac in religione, itaq; fiet vt multū in ea proficias.

Refert Simeon Metaphrastes (quod & adfert Surius in vita S. Melaniæ Romanæ) exemplum, quod ipsam monialibus suis identidem enarrare solitā scribit. Adolescens quidem seculi deserendi desiderio actus, ad quendam de priscis illis anachoretis se contulit, illius se discipulū esse velle dicens: Senex ostensurus qualem eum esse oporteret, si monachus & discipulus suus esse vellet, statuam quę in vicino erat flagellare, ac fustigare, quin & calcibus impetere iubet. Dictum factum. Percontatur deinde senex, num statua ad has iniurias cōquesta esset, vel obluctata? minime, inquit adolescens. Tum senex, Rursus, inquit, eam verbera *Vir obediēs statuæ iniuriis flagrisq; exposita similis.* vti prius, & ad verbera adde iniurias & probrosa verba, quod cum iterum ac tertio fecisset, roganti Anachoretæ, num quid statua indignata ad iniurias has respondisset; Nequaquam ait iuuenis, erat quippe statua sensus omnis & loquelæ expers. Tum senex, si inquit, æquanimiter ferre queas, Vt eodem ego modo agam tecum, quo tu ante cum statua, nullatenus vt indigneris, obmurmures vel offendaris, age disciplinæ te meæ subdito: sin minus, reuertere ad propria, quia religioso statui ineptus es. Abbatissimā S. Gertrudis habebat insigni sanctimonia præditam, at indolis profectioris & auste-

Austeritas Superioris auget meritum obedientiæ.

austerioris,quæq; asperiora dabat respō-sa. Vnde Dominum pia virgo rogabat, hanc ab ea asperitatem vt auferret. Respondit autem ei Dominus: Cur hanc ab ea tolli cupis? hæc quippe illi humiliter de se sentiendi occasio est. Nam cum in impatientiam aliquam incidisse se comperit,ilico demisse de se ipsa sentit,suamque infirmitatem agnoscit. Adhæc, quid vos religiosæ obediendo mereremini, si Antistita lenis & placida foret? Hunc itaque in ea defectum ad exercitum vestrū, vtq; obedientiam discretis,vrgere patior.

Cap. 4. monil. spirit.

Defect⁹ superioris auget meritū obedientiæ.

Haud assimile est id, ꝙ de eadem Sancta refert Blosius.Cum n.ipsa pro defectu cujusdam personæ, quæ congregationi cuidam præerat,Dominum rogasset,ipse apparens ei dixit: Ego ex abundātia dulcedinis, pietatis & dilectionis meæ diuinæ,qua congregationem hanc elegi,permitto inhærere aliquos defectus, etiam illis, qui præsunt. Vt inde meritum congregationis augeatur. Nam multo major virt⁹ est subjici ei, cujus defectus cognoscitur,quam alteri,cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diuersitate curarum, quandoq; maculari, vt magis humilientur. Subditorum meritum, tam crescit ex defectibus, quam ex profectib. eorum,qui præsunt, & similiter meritum illorum,qui benè prosint, crescit, tàm ex profectibus, quàm ex defectib. subditorum. In quibus verbis Domini S. Getrudis intellexit,superfluentem diuinæ sapientię pietatem,quam tam subtiliter & secretè salutem electorum disponit, permittens in eis esse defectus, vt ipsos ad majores ducat profectus.

Monachi olim asperiores desiderabant habere Superiores.

Monachi illi veteres,vt in vita S. Antonij, Athanas. scripto prodidit, ita se obedientiæ deuouebant, vt asperos & insuetos superiores ambirent,quib. adeo non, cuncta,quæ faciebant, arriderent, vt etiā post benè facta acriter reprehenderent. Vti cum discipulo suo Theodosio Pachomium fecisse constat,ad omnem, si quis se ingereret vanæ gloriæ puluisculum ab eo excutiendum,itaq; eum expurgandū. Quo a; superiores asperiores & austeriores erant,eò illi parentiores & obsequentiores. Apud priscos illos Patres, id olim ad morum exercitium inter alia obseruabatur, vt duo se discipuli in senioris cujuspiam disciplinam ac correctionem darent,cui non secus omnib. in rebus ministrabant,quam seruo suo Dominus; Vnde, sicut seruum ad singula ꝓpe momenta,repræhendendi,ac castigandi occasionem Dominus habet,ꝙ per omnia ad nutum ejus nō seruiat,& ita hi Magistri discipulos suos nunquā nō castigabāt. Itaq; hi interdū quidē ob natura & morū asperitatē,interdū ad virtutū exercitiū,discipulos suos dure inhumaniterq; tractare, & vt Climacus ait ad annum vsq; trigesimum, v-riis laboribus & injuriis irrogatis probare solebant.

Cass. collat. 18. c. 14. & pratū spiritual. 206.

Matrona quędam Nobilis diues, & pia, tanto Alexandriæ patiēdi desiderio tenebatur, vt, non solum, quæ offerebantur pænæ, labores & aduersa æquanimiter tolleraret, verū etiā nouas patiendi occasiones,vltro inquireret, & quacunq; posset venaretur, vt ita magis se in patientia, & mortificatione exerceret. Hæc dū desiderat, S. Patriarchā Athanasiū adit, rogans,vt sibi de quadam vidua,ex ijs, quæ Ecclesiæ oblationib. alebantur prospiceret,vt eā domi suæ sustētaret, & lautè haberet. Laudat sanctū ejus propositū ꝓsul, eiq; viduā omniū religiosissimā optimā, ac morib.suauissimā dari jubet. Huic ergo dōi suæ sedulo ministrabat, ac de necessarijs omnib.prospicit. Sed cū mulierculæ hujus lenitatē ac benignitatē videret,quodq; incessanter ei ob impensa ministeria, & bona, quæ præstabat officia, gratias ageret,ac beneficiētiā ejus assiduè dilaudaret; Episcopū adijt,expostulās,ꝙ sibi mulierē, cui ad exercitiū patientiæ & animæ suæ vtilitatē seruiret, petenti mos gestus non esset. Athanasius sanctum ejus desideriū non satis intelligens, & ex incuria nullā ei viduā consignatā esse ratus,in factū inquisiuit; audiens v.anum optimā illi attributā,& hinc petitionis ipsius finē & motiuum intelligere incipiens,illius se votis respondit facturum satis. Iubet itaque dari omniū asperrimā, morosissimā,

Anus garrula, rixosa, &c. exercet patiētiam nobilis & piæ matronæ.

minimèq; motatam, q̃ ait haud ita ægrè inuenire fuit, vti probam. Seligunt ergo mulierē tā :riticā, inficetā, ingratā, melāncholicā, cholericā, garrulā, rixoſam, &c. Quam cum domum conduxiſſet, pari, imo majori, ei cum caritate & humilitate inſeruire incepit ac priori. Non aliam v. ob vniuerſa ſua obſequia mercedem, aut gratiarum actionem recepit; q̃ querelas, dura verba, injurias, & oblocutiones, q̄d- q̄d illi p̃ſtabat obſeq̄i, diſplicebat, nec ad mentē erat, q̄ ı & dicere auſa fuit, nō tam ſe huc, vt benè haberetur, q̃ vt torqueretur & cruciaretur cōductā videri. Interdū quoq; ita in matronā hāc ſtomachabatur vt nec manus ab ea abſtineret. At q̄ ſancta mulier tacebat, & patiētiſſimè ferēbat injurias, obſeq̄a interim & ſedula miniſteria adeo nō omittens, vt duplo triploq; etiā eadē inaugeret, & quo majorib. ab ea injurijs afficiebatur, eo obſeq̄a beneficiaq; majora illi deferebat. Quib. illa exercitus mirificè ſe in ſpiritu ꝓficere, & merita ſua increſcere, cōpiebat. Quare Epiſcopum adit gratias actura, ꝙ jā demum ſuo deſiderio & voto ſatisfeciſſet, ſibi patientiæ excolēdo magiſtrā dādo, q̄ quotidie meriti adaugēdi eſſet occaſio. Qub. cum his alijsq; id genus ſanctis exercitiis ſeipſam totā impenderet Domino demortua eſt.

Abbas Pœmenes referre identidem ſolebat, ꝙ ſibi Nouitio contigerat ſub Abbate Ioſeph. Cum n. Abbas Ioſeph pulchram ſuo in cœnobio ficulneā haberet, quotidie mane Pœminem ex illa comederejubebat, ꝙ ſanè ꝓ abſtinentia, q̃ monachi tunc ꝓfitebantur, inſolitum ſatis & inuſitatum erat, ſed cum die quodam veneris ſolemni, eum dehiſce ficubus edere juſſiſſet; Pœmenes eas tangere non fuit auſus, ne illiꝰ diei jejunium, ab omnib. ita receptum & vniuerſale, violaret. Verum cum eum poſtea, ob inobedientiam, remorderet conſcientia. Abbatem acceſſit, & ait: Ignoſcas mihi Pater, eſt ꝙ te rogē: Quare cum tantam nos abſtinentiam ꝓfiteamur, quotidie me juſſiſti de ficubus edere, ac præſertim di ctali, qualis eſt hic? qua ꝓpter dico tibi, hódie me ratione jejunij, ꝙ hac die cōmuniter omnes ſeruare

Diſcretio Superioris in tentando obedientiam ſui ſubditi.

ſolemus, non parum fuiſſe confuſum, ideoq; nec auſum comedere. Nihilominus pudet me, & mea me mordet conſcientia, quod in levi hac juſſione, minimè tibi ſim obſecutus, cum non ſine cauſa tale quid mihi te ſciam injungere. Ad q̄ ſic reſpondit ſenex: Fili veteres illi Eremicolæ ſub initium tam facilia, practicabiliaque ſuis non im p̄ :bant, ſed ea, q̄ prima facie :q̄ interdum ineptiæ, ſtolidæ & ſtultæ videbantur, vt nimirum periculum facerent, num judicii reſignationem, & veram voluntatis ſuæ ſubmiſſionem adepti eſſent, & ſi hæc ſine reluctatione & hæſitatione eos peragere videbant, exinde nō niſi neceſſaria & conuenientia ijs injungebant.

In vitis Patrum legimus, quendam de antiq̄s illis Monachi, quatuor in cælo ordines juſtorū vidiſſe. Primus erat eorū, q̄ miram in ſuis morbis patientiā habuerāt, Deoq; ob eoſdē gratias egerāt. Secundus priori eminentior, eorum q̄ pauperes & ꝑegrinos colligebāt, tectoq; excipiebāt, ægris miniſtrabant, deniq; opera miſericordiæ exercebāt. Tertius illorum, q̄, relictis omnib. magna in pauꝑtate, & abſtinentia, in eremo viuebāt, orationiq; impenſius vacabant. Quartus deniq; omnium excellentiſſimus, erat illorum, q̄ ex amore Chriſti Ieſu viuebāt in obedientia, alienæ ſe voluntati in omnib. ſupponētes Hos videbat in collo torques, & collaria aurea habere, majoriq; donatos gloria, q̃ reliquos. Quo ſpectaculo obſtupeſcens cum rogaret, q̃ obrē poſtremi hi majore bearentur gloria, q̃ monachi ſolitarij, & reliq̄ omnes, ideo id audiuit fieri, ꝙ monachi in ſua ſolitudine, & q̄ operib. miſericordiæ ſe totos impendebant, in eo, ꝙ agerent, ꝓpriam voluntatē adimplerent; obediens v. minimè, ſed eam Deo immolaret: atq; vt voluntas tanti in homine ſit ita etiam ſacrificare & offerre, tanti coram Deo meriti eſſe. Torquium deniq; illorum aureorum honorem in compenſationem illis dari ꝓ eo, ꝙ ſuas ſub obedientiæ jugo ceruices inflexerint.

Obedientia præſtat patiētiæ, paupertati, hoſpitalitati, &c.

Torques aureus merces iugi obedientia.

His non diſſimile eſt, quod de Abbate Pambone refertur. Hunc n. cum quatuor Anachoretæ viſitarent, & omnes quidem virtu-

virtute singulari euellentes (primus namque in jejuniis & grauibus asperitatibus, quas suscipiebat, præcipuè eminebat, secundus in paupertate, tertius in ardēte erga proximum caritate; quartus denique viginti & duobus annis sub obedientia vixerat) postremum hunc tribus alijs anteposuit: Quia inquit hi eam, quam habent virtutem, propria voluntate conseruarunt; hi vero sua voluntate penitus enuta, alienæ se seruum fecit. Addebatque insuper eos, qui ita faciunt, & ad finem vsq; perseuerat, vere Martyres dici posse.

Obedientia martyrium dicitur,

Capvt IX.

Unde sinistra contra obedientiam, iudicia in mente enascantur, & quibus aduersus ea mediis vtendum sit.

IMmortificatio nostra radix est & causa, è qua fiat, vt in animo nostro judicia & variæ contra ea, quæ à Superiore præscribuntur rationes exoriantur. At dicet aliquis tantundem ferè id esse, ac si rogaremus, vnde fit, quod aliquis superbiat? nobisq; respōderetur. Ex defectu humilitatis. Certum est, namq; si judicium benè mortificatum haberem, fore vt magnā in obedientia simplicitatem, nulla a. judicia contra eam sentirem. Verum illud, hi non quæro, sed quod dico, h.e. quia in passionib. & appetitibus nostris immortificati sumus, & propriorum commodorum, voluntatisq; propriæ adimpletionis nimis quam amantes, nec ad omnia, quæ mandari nobis queant, indifferentes & resignati; inde est, quod quando id imperatur voluntati & appetitui nostro repugnat, multę nobis in contrarium rationes & judicia occurrant. Quisq; ergo ad seipsum ingrediatur & consideret, quando nā potissimè sibi contra jussa superiorum judicia & objectiones oboriri soleant: cum quid p̃cipitur, à quo auersior est, cum non conceditur, quod desiderat, cum mortificatur, & vlcus suppurans durus tangitur, tum cumulatim aceruatimq; apparentes quasdam aduersus, id quod mandatur rationes comperi & insurgere, at, cum jubetur, quod placet & sapit, tunc nulla in contrarium judicia rationesve occurrūt, sed omnia mirè conformia videntur, nihilq; eo dari posse cōuenientius & æquius.

Amor sui obedientiæ impedimētum.

S. Hieron. nuper illud Osee, *Et factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor*, cōmentans, rogat, cur columbæ, non a alijs auibus, effraim animiletur? Ac respondet, alias illas aues, etiā cum vitæ propriæ periculo pullorum suorum vitā tueri, & cum miluum, accipitrē, coruum vel colubrū nidis suis appropinquare vident, hinc & inde circūquaq; volitare ac reuolitare pullos suos qua possunt defendendo, & cum vlterius vim populare nequeunt, suū voce querula ac gemebunda quiritatione, dolorē quē hoc è raptu sentiunt, testari: at solā columbā pullos suos nō propugnare, illi ablatis non conqueri, nullū doloris sensū ostendere, nō deniq; postea eos requirere: Ideoq; Ephraim columbę cōparari. Hinc etiā columbæ similes, vt simus, Christus Redemptor noster suadet; vt nimirum cum pulli, i. e. quod amamus, & erga quod afficimur, nobis à superiore auferuntur, columbę instar minimè resistamur, nō murmurando contra d imus, nō expostulemus, non aliquem propterea doloris sensū ostendamus. Adeo, vt sola è nosta immortificatione, atq; ea, quā in eo quod voluntati nostrę refragatur, sentimus difficultate & repugnātia contraria illa judicia enascantur, proinde præcipuū, quod cōtra hanc tentationem à parte nostra adferre remedium possumus, est, vt nos ipsos penitus mortificare, & propriā volūtatē, exuere, sed circa omnia, q̃ de nobis Superior statuere volet, indifferentes admodum & resignati esse procuremus, & nihil nostra interesse putemus, aut curemus hanc vel illud nobis inngatur.

Osea. 7. 11.

Homo religiosus colūba similis esse debet, sine querelis, &c.

Matth. 10. 16.

Hic de causa Patres illi antiq., ceu boni spiritus magistri, subditos suos diuersimodè & identidē exercebā, hujusmodi ipsis mandata imperādo, q̃ extra omne propositū, & rationi discōuenientia videbātur, cum vt obediētiæ illorum periculum facerēt, tum propriā in ipsis voluntatē ac judicium retunderēt, itaq; ꝙ omnino extra

Religiosum oportet captiuare intellectum.

propo-

propositū videbatur, apprimè ad propositū faciebat rationiq; consentaneū erat. Pluris nanq; tua interest mortificari, propriamque voluntatem & judicium tuum frangi, vtq; te in adversam & contrariam partem rapi sinas, q̄ quodcunque demum aliter faciendo sequi lucrum poterat, sæpè superior hoc vel illud perdi vult. Vt te lucri faciat, tibique prosit: ꝙ profectò à parte rei jactura non est, sed potius lucrū.

Equo effreni comparatur homo in religioso statu exercēdus.

Sicut q. equos effrenes, & refractarios domant, modo concitato, modò lento eos gressu ambulare faciunt, modo in gyrum circumagunt, modo in medio circo subito retroflectunt, modo denique in medio cursu derepentè contractis habenis, impetū quo feruntur inhibēt, vt hoc modo lupatis parere, motusq; suos impetuosos & incit⁹ cohibere discāt. Non aliter quoque boni spiritus Magistri facere solent.

Exercitiū cæcæ obedientiæ.

Sic S. Anton. cū discipulo suo Paulo simplice fecisse legimus: cui cū vestē consuendā dedisset, eandē jā consutā mox dissoluere, ac sportulas cōtentas retenere jubebat, sic alij discipulos aquam è puteo haurire, jā haustā v. rursus in puteū refūdere mādabant. Sic B. Francis. socium suū F. Massęum in media platea tādiu in orbē circumagi jussit, donec vertigine laborās & sensib. stupefactis in terrā corruit.

1. par. chronic. minor.

Sic deniq; alij, q. primum religionē suscipiebāt, lactucas, brassicas, aut alias id genus herbas, inverso modo, i. e. radice sursum à seniorib. plantare jubebantur, vt sic eorū obedientia exploraretur, voluntas & sensus proprius radicitus ex animis ipsorū euelleretur, ac ne minimum quidē proprii judicii priuatæ volūtatis vestigiū superesset. Vtinā v. hoc exercitii genus hodiè frequētiori in vsu esset! nā si cui jam frequēter imperatum esset, vt q̄ benè fecerat dissolueret, ac resueret, jamq; rei huic assuefactus esset, minimè turbaretur, aut ægrè ferret, si quando ob quid malefactum reprehenderetur.

Defectus obedientiæ immortificatio nostra.

Verum enim v. q. a hæc mortificatio, & integra sui resignatio, insignē quandam perfectionē exigit, hinc, interea, dū ad eā nō pertingim⁹, ipsamet nostra immortificatio, nobis hūc in finē vsui esse poterit, eam nimirum agnoscendo, omniaq; mala nostra illi asscribendo. Et erit hæc optima ratio, ad impediendum, vt q̄ contra obedientiam nobis occurrunt judicia & rationes nullatenus nobis moueant, intelligens n. hæc tuo è defectu & imperfectione propria ortum habere pro nihilo illa facies. Infirmus qui suam cognoscit infirmitatem & ægritudinē probè novit, etiamsi summoperè sitiat, potum tamē sibi non conuenire, catapotia a. quamlibet amara sint, & sanguinis minutionem, esto dolorem causetur, sibi per necessaria esse: atq; ideo proprio appetitui non credit, sibiq; diffidit, sed totum se medico subjicit illius judicium ac sententiam sequens, eamq; meliorem suæ proponens. Quod se infirmū esse cognoscat in causa est, vt sibi ipse non fidat, sed medici judicio acquiescat.

Ægroto similis esse debet obediens.

Sic & nos quotquot sumus grauiter ægrotamus, vtpote amore proprio & inordinatis passionib. cor imum nimioperè oppletū habentes; hinc, vt ægroti, aliud concupiscere non scimus, q̄ ꝙ noxium & damnosum est, quod a. salutare & salubre hoc displicet, cruciat & nauseam creat. Illud idem ergo remedium vsurpemus, ꝙ vsurpat ager, sanitatis recuperandæ auidus. Non nobis ipsis, sed superiori credamus nos medicanti & regenti, & quod ipse mandat & ordinat, vt bonū & fructuosum id habeamus, cuncta q̄ in contrariū nobis efferuntur judicia parum jurando, sed ea velut ægri somnia ac phantasmata habēdo. Atq; ita fiet, vt judicia & rationes contra obedientiam, & superiorum jussa occurrētes, adeo tibi haud nocitura sint, vt magnum ex iis, fructū collecturus, in que obedientia magis confirmandus sis, statim quippe ad teipsum reflectēs dices: Hem, quā æger sum! ipsum bonū, & quod vtilitatem adferre natum est, fastidiū mihi generat. Et sanè alio signo, è quo intelligam hoc esse, id quod conuenit, & quod melius est, opus non habeo, quam quod id mihi fastidio sit, & aliquas in eo difficultates sentiam: quia æger sum: & proinde palatum deprauatum habeo, & vitiatum.

Ratio subiiciēdi proprii iudicii.

Insigne ergo aduersus omnia, quæ in nobis

nobis non solũ contra obedientiã, verum ẽt fratres nostros, oriũtur iudicio, remedium est, q̃ primũ ad nos ipsos reflexionẽ facere, ac dicere: Ego sum qui cæcutio & errabundus in tenebris palpa: q̃ quod bonum est, mihi videtur malũ, quale ego miser iudicium habeo, vt secundũ meum vnius alia omnia conformare ac dirigere velim? sic quando fratris cuiusdã tui conditio mores, ac procedendo modus tibi displicent omnem in te culpam conferat necesse est, ac alias, Quia ego deprauatæ naturæ sum ac mali genii hinc hoc & illud mihi graue accidit, in me vno & non in alio illo culpa residet.

Praxis diaboli est, vt tentationes proponat quasi veras rationes. Aduersus singulas tentationes saluberrimũ remedium est, nosse eã esse diaboli tentationem. Nã cacodæmon, cum quẽpiam tentat, omnimodis allaborat, vt tẽtatio ius, non tentatio, sed mera videatur esse ratio, vt decepti in casses incidamus. Quemadmodum venator, dum laqueum feris struit, ita eum collocat, vt non tam pedia & laqueus, quã esse videatur, quasi animal aut auis eum videret vt laqueum: ad eundem modũ facit & dæmon: *transfigurat* enim *se in Angelum lucis*, vt lucem & claritatem esse cedamus, id quod caligo est & meræ tenebræ. *2. Cor. 11. 14.* Liberet te à tentatione Deus, quæ nõ tam tentatio quam euidens esse videtur ratio. Quando te iudicia tua ita transuersum agunt, vt iam credere te faciant, non passionem aliquã id esse vel tentationem, neque ideo id te dicere, quod per magni tua id intersit, sed tantum quod res euidens sit, quamque nemo non aperte & ad oculus tam in præsentissimo versari periculo & difficile personaberis. Nam quæ aliqua boni apparentia & prætextu tentationes colorantur, grauiores ea sunt & periculosiores. *2. tract. c. 19.* Quando se tentatio aperto vel ut vultu spectandam dat, multa ad eam superandam adhibere media potes, at quando non tam vt tentatio, quam vt quędam ratio habetur quomodo eam effugabimus? cum quis non vt hostem se, sed vt amicum gerit, quomodo ab eius dolis nobis cauebimus? Illustris quidam Dei seruus dicebat, neutiquam eos se timere defectus, quos aperte nosset & abominabatur, sed quos ignorabat nihil ducebat vel excusabat.

Vt ergo ad propositum reuertar dico, quando nobis contra superioris iussum iudicia & rationes in contrarium occursant consultum esse, statim ad nos ipsos reflectionem facere, & eredere, illas ex infirmitate, immortificatione & defectu nostro ortum habere; atque idcirco eas pro nihilo ducere. Et merito: tanta quippe est arcus nostræ & sensualitatis sagacitas, vt ea statim multas rationes apparentes excogitet & adinueniat, ad id quod illi sapit & placet, amplectendum; multæ veri in contrarium inconuenientiæ, ad ipsum abiudicandum. Nam amor proprius ac philautia & passiones quæ in nobis dominantur; ita nos excæcant, vt facilæ noscæ inducant, ad longe secus de re qualibet, quam reuera est, iudicandum ac credendum. *Passionis iudicium corrumpunt.* Ac velut ei qui intensa laborat sibi, aqua videtur dulcissima, sapidissima, & optima, propterea quod iuxta appetitus sui dispositionem iudicat: ita ei qui effreni & viua aliqua passione laborat, inordinatus quem habet affectus, rem longe aliter quam in se vere est repræsentat, & veritati contraria diiudicare facit. Cum autem ex se intelligat homo à terrenis affectionibus se immunem non esse, sed multis inordinatis passionibus subiectum; non est quod proprio iudicio facile notatur, quin potius ipsum, ceu male affectum, morbidum & inimicum consideret, vt sibi ab illo caueat.

Ratio subiiciẽdi proprii iudicii. Satis autem nobis esse non debet, quod nos ab his iudiciis transuersos agi non sinamus, vt danda insuper opera, vt in maiorẽ nobis tentatio omnis cedat prouentum, & magis ob eam nos confundamus, ac humiliemus, dicentes v. g. Quid? Itane superbus sim vt si, nostra contra superiorem meum iudicia formem. Mene, qui idcirco ad Religionem veni, vt omnium sim peripseme & repudium, anteferre me

velle ei qui caput meum est & omnium superior? Equidem huc non veni, & imperem, regem, gubernem, sed obediam, & imperanti taceam. Ego ductorem meum iudicare non debeo, sed ipse me. Est hoc ergo generale quoddam perutile tamen ad fructum è qualibet tentatione eliciendum remedium. Ex ipsa scilicet superbia, & vana gloria, quæ nos titillabit, nostri profundius humiliandorum occasionem & materiam capere. Nam sicuti etheriaca & antidoto dæmon venenum, parare conatur, efficiendo nimirum vt ob virtutem & ipsummet humilitatis actum superbiamus, ita nostrum è contra est è veneno theriacam & alexipharmacum conficere & ex ea quæ nobis oboritur superbia, nos magis humiliandi occasionem sumere, v. g. Mihine qui ita vilis, scelestus & imperfectus sum, superbiendi veniat occasio? Mihinc id quod facio malum, euanescendi ansa fit, ideoque magnifieri & æstimari velim? Sed hinc facile patebit, ecquis sim. Mirabili hoc stratagemate cuncta Dæmonis stratagemata eluduntur (*salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos*) inde scilicet lucrū & fructum captare conando, vnde ipse nostram elicere perniciem molitur.

Par. 2. tract. 4. c. 22. Tētationis ex superbia orta humilitate retundenda.

Luc. 1. 71.

Media pro abnegatione iudicii.

Possunt ad hæc alia ad rationibus nostris non credendum, iudicia priuata pro nihilo ducenda, sed semper nosipsos vt suspectos habendos, media adhiberi. Primo, si enim, vt quidem Sapientes communiter dicunt, summa ac vera prudentia est, propriæ prudentiæ nullis prorsus in rebus fidere, quanto magis locum id habebit in rebus propriis, quarum quis pars est? Certum id namque est ac primum in morali philosophia principium, neminem esse rectum sui ipsius iudicem. Neque enim homines communiter suis ipsorum in rebus boni iudices sunt, quod passione & philautia vt plurimum excæcemur. Vnde nos nefas est propriis iudiciis fidere; sed superioris iudicium in omnibus sequendum, & illud vt certissimum & irrefragabile tenendum.

Primū non fidere suæ prudentiæ.

Aristot. 1. Rhetor. & 3. Polit.

Secundo non parum huc confert cogitare, quod subditus non nisi particulares aliquas rationes sibi occurrentes consideret; Superior vero tam has quam alias multas, quas subditus & non scit, & scire non potest, respiciat. Et licet solum particulares hasce rationes considerando, melius forte esse id quod tibi occurrit; melius tamen non est si omnes rei rationes, quas superior nouit simul considerentur. Atque ita, non solum in via Religionis & perfectionis, verum etiam in lege prudentiæ, insignis indiscretio & superbia est, si quis ob vnam atque alteram rationem quæ sibi occurrit diiudicet & damnet id quod superior decernit ac statuit, cum has superior ante & viderit, & mature excussas ad incudem sæpius reuocarit, & super alias non contemnendas habeat, ob quas aliud facere conueniat. Sanctus Augustinus egregiam quoad hoc propositum à capite, quæ superior hominis pars est, similitudinem trahit. Anima quidem inquit, vniuersum hoc corpus nostrum animat & viuificat; sed in capite omnes quinque sensus, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus, vigent & stabulantur: cum in cæteris membris solus sit sensus tactus; atque ideo reliqua membra capiti subdita sunt, ipsumque iis ceu Superior & Rector ad eadem regenda & gubernanda superstat. Sic ergo in Superiore & Præposito velut in capite omnes quinque sensus habitant; in te vero ceu in membro, solum vnus. Tu vnam solam particularem rationem tangis, & præ oculis habes; Superior vero omnes simul: audit quippe videt, & nouit, quidquid eo in casu latet. Vnde membra omnia vni capiti se submittant necesse est. Quin etiam de rebus sæculi vulgo dici solet, plus stultum scire domi suæ, quam virum sapientem alienæ. Quanto ergo plus Sapiens sciet domi suæ, quam stolidus alienæ? Ait Salomon, *Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat.* Caue inquam quia indiscretio est id velle iudicare,

Secundum cogitare quid subdītus tantum parte tres quasdā rationes occurrentes consideret. Superior vero multas insuper subdito ignotas.

Eccl. 8. 17.

tare, quod nescis, tum quo tendat, tum vnde veniat; imo quod nescire quidem potes, neque etiam te scire expedit.

Tertium cogitare superiorē curare bonum commune subditum tantum priuatum.

Tertio, non parum quoq; ad iudicium nostrum resignandum, superiorisq; iudicio submittendum, conferet, considerare, superiorem vniuersale ac commune domus ac Religionis totius bonum spectare, te vero ceu priuatum aliquem non nisi tuum vnius bonum, & priuata commoda præ oculis habere. Atqui bonum commune & vniuersale particulari semper præferendum est. Vnde etiam videmus res naturales interdum, ad communis & vniuersalis boni conuersationem, secundum particulares & naturales suas inclinationes non operari. v. g. aquam in angusti orificij lagenæ deorsum non effluere, alias contra, naturam sursum ascendere, ne quod detur vacuum, propter vniuersi perfectionem, vt loquuntur Philosophi. Ita suis quisque priuatus cedere commodis & inclinationi propriç debet, vt bonum commune cui superior attendit promoueatur.

Quartum recogitare quoties nos iudiciis nostris decepti simus.

Quarto multum quoque ad iudiciis nostris non credendum iuuabit longe illa quam nostri ipsorum habemus, experientia. Quam multa namque alias vt verissima credidimus & habuimus, & quasi certissima affirmauimus, in quibus tamen aperte decepti fuimus opinionem nos nostram mutare necesse fuit, & postea credidisse nos puduit quod credidimus; & iudicasse quod iudicauimus? si quis te bis terue decepisset, amplius ei non fideres; cur ergo tui ipsius iudicio iam toties ab eo illusus confidis? Vnde hæc de sui ipsius ignorantia, & iteratis illusionibus experientia, efficere solet, vt quibus in rebus iuniores temere & facile quid constituunt, in iis seniores longe cautius & circumspectius procedant, vtpote prudentiores, maturiores, & longe rerum vsu experientiores.

CAPVT X.

Tres rationes, cur superioribus obediri velit Apostolus declarantur.

Obedite præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis. Heb. 13, 17. Tres hisce in verbis Apostolus rationes assignat, quibus nos ad Præpositis nostris obediendum exhortatur: quæ quoniam à Spiritu Sancto profectæ & ore Apostolico prolatæ sunt, non possunt non esse bonæ & perutiles. Prima est obedite Præpositis & Superioribus vestris, & quodcumque dixerint vobis, illud facite. Intelligitur semper, vbicumque nullum fuerit peccatum, vti iam supra declaratum est: atque hoc fundamentum in omnibus quę dicturi sumus, semper præsupponendum & spectandum est. Cap. 6.

Prima ratio cur obediendū superioribus quia obediens errare non potest.

Subiacete ergo eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Vna de maximis, quas consolationibus est, quod securi certique simus, nos superioribus iubentibus obsequendo & parendo recte procedere. Errare quidem potest Superior, hoc vel illud mandando; pute tamen certus es, te, si quæ ipse mandat exequaris, neutiquam errare: quia à te aliud nō exiget Deus, quam an quæ iussa sunt, sedulo sis diligenterque executus: & hoc respondendo, sufficienter tuam in Dei tribunali causam iustificaueris. Non tibi ratio reddenda est, nec rogaberis an quæ mandata sunt bona fuerint, vel an quid aliud futurum fuisset melius: hoc namque ad te non pertinet, nec tuis rationibus accensebitur; soli superiori de eo erit ratio reddenda. Faciente te ex obedientia quod iuberis, è tuo id DEVS libro eradit, & Superioris

libro adscribit. Vnde exclamat Sanctus Hieronymus, O *summa libertas* & magna obedientiæ securitas, *qua obtenta vix possit homo peccare!* Quodammodo nos, inquit, obedientia impeccabiles facit.

In Regul. Monast. c. 6.

Obedientia suum securum reddit in ministeriis quæ proemio impenduntur.

Nobis sane inprimis qui proximo iuuando nos impendimus, maximæ consolationi est, quod certissimi simus hac nos in functione Dei voluntatem facere. Si in sæculo ageremus, quantumlibet pij & boni essemus, quantumuis intensum Deo placendi desiderium haberemus, semper anxij tamen essemus, dubitaremusque, Deone foret gratius meam proximo me operam deferre, an mei solius saluti inuigilare? At hic in Religione ab his difficultatibus liberi prorsus & expediti sumus: nostrum namq; institutum est, proximis qua possumus opitulemur; atq; hoc fine nos Deus ad societatẽ vocauit & ipsemet hæc nobis ministeria iniũgit. Vnde certi sumus diuinę nos Maiestati in eis complacere. Nõ auderet nostrum quis in sęculo vltro in cõfessionib. audiendis vacare; imo esto ei rei vacaret, semper tamen timeret, vtrum in hoc Deo placeret, nec ne; vltrum hoc faciendo damnationis periculo se exponeret, an secus. At modo secure aures confitentibus dat, & certus est in hoc se Deo seruitium præstare & obsequium. Ipse te concionatoris, confessarij vel superioris officio vltro non ingessisti; ad illud ne aptus vel ineptus sis, viderint superiores, qui his te applicuerunt, Deoque de eo rationem dabunt. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Gradu 4.

Suffragator his accedat Ioannes Climacus qui, inter alia, quæ obedientiæ consignat epitheta, eam esse excusationem apud Deum. Si enim roger, cur fecisti hoc? dicam, quia id mihi iniunctum fuit. Atque hoc mihi apud eum excusatio & purgatio erit instar omnium. Est præterea, inquit, nauigatio secura, ac iter, quod dormiendo conficitur. Sicut enim qui in naui sedet vel dormit, semper nihilominus pergit, nec est vt de suo cursu & itinere hilum solicitus sit, quod nauarcho totum id curæ sit. Pari modo Religiosus, qui sub obedientia agit, cum se ad dormiendum cõponit (id est, omnem rerum agendarum curam & solicitudinem deponit) quiete ad cœlum & perfectionem proficiscitur: quia superiores, qui eius sunt naucleri, & huic naui præsunt, pro eo vigilat. Enim vero non parui; at per magni faciendum est, alienis brachiis innitendo & super humeros fortiores reclinando procellosum mundi huius pelagus posse traiicere. Hanc porro Deus gratiam Religioso facit, qui sub nutu alieno viuit; omne namque onus est pondus reiicit, in humeros superioris, ipse vero plane quietus est & exoneratus, vt necesse non habeat curare, hoccine melius sit vel illud.

Obediens similis ei qui dormiens secure nauigat.

Hoc scilicet homines pios & virtutis studiosos inter cætera quam maxime mouet, vt obedientiæ se iugo subiiciant, & religionem ineant, nempe vt ab infinitis perplexitatibus & angoribus, quibus vita mundana obnoxia est, liberi penitus fiant, & certam Deo seruiendi ac placendi viam habeant. Nam esto ea, in quibus in sæculo se occupare volunt, bona sint, nesciunt tamen, an ipsorum sit proprium iis vacare; neque enim passim & indiscriminatim omnium est facere quidquid bonum est, præsertim quando id vires nostras excedit vti est, alios docere & regere: Vnde bene magnus quidam doctor aiebat, quod humi sarmenta ex iussu alieno colligere mallet, quam proprio ex arbitrio aliis operibus insignibus atq; illustribus intendere. Nam in eo quod ex obedientia faciebat, certus ac securus erat, Dei se voluntatem facere, in aliis vero rebus incertus. Neque solum in ministeriis & occupationibus quæ proximo impenduntur, obedientia securos nos reddit, & à multis perplexitatibus & difficultatibus liberat; verum etiam in rebus particularibus ad nostri ipsorum in spiritu profectum spectantibus. Etenim si in sæculo agens Deo seruire vel-lem

Obedientia securũ etiam reddit hominem in reb. propriis partetribus.

lem, perplexus hærerem & incertus, an nimis multum concedam, vel nimis parum? Plus nimio dormiam, vel minus quam satis, sit? an pœnitentiam agam supra vel infra quam oportet? an deniq; orationi parum vel multum temporis impendam? Ad hic in Religione omnia illa dubia ablata sunt: comedo enim quod mihi datur, tempore præstituto, dormio asperitates à maioribus decretas & limitatas subeo. Omnia enim illa ita hic à superioribus considerata, & ponderata sunt, vt securus sim & certus me obedientiæ ordinem sequendo, Dei voluntatem facere. Et non solum quoad ea quæ ad spiritum spectant, verum etiam quoad temporalia hocce vitæ genus quietissimum & suauissimum est. Nam sicut qui nauem rebus omnibus necessariis instructam & benè preuisam conscendit de nullo sibi commeatu prospiciat oportet: Ita Religiosus ab omni rerum necessarium procuratione prorsus liber est. Adeò vt non animarum tantum, verum etiam rerum ad corpora nostra spectantium, curam superior habeat pari vtrumq; cura aduigilans, vt te necesse non sit curare ante quid comedas aut quo vestiaris, quò sis, ad Dei obsequio impensius vacandum & liberior & expeditior. Quod ita quidem optandum, tantiq; faciendum est, vt Ioannes Abbas referente Cassiano illud quieti contemplationis prætulerit: cum enim continuis triginta annis in Monasterio in reliquorum communitate vixisset, statuit conobiticam vitam relinquere, & solitariæ se applicare, quo contemplationi totus & assiduè vacaret. Ergo eremum adiit, (tunc quippè id licitum erat) & viginti in ea annos mansit tam crebris à Deo mihi consolationibus perfundi, & ad tam sublimen contemplationem rapi solitus, sui vt corporis prorsus obliuisceretur, nec suum sensus officium explerent; vsque eò vt vesperè haud recordaretur, hodiene comedisset, an heri. Hic autem etsi ad tam sublimem contemplationis gradum peruenisset, tantasque in solitudine delicias experiretur, nihilominus decreuit, illo solitudinis statu relicto, denuo ad monasterium reuerti, & in sociali vita sub obedientia viuere. Atq; vt statuit, ita & fecit. Hac autem ratione ad hoc faciendum motus fuit; quod & si in Monasterio non tam frequentes sint mentis eleuationes & contemplationes, atque in solitudine; huncce tamen defectum in monasterio per sanctam illam quietem & tranquillitatem, quam Religiosus ab omni, quæ de crastino laborat, solicitudine & curis vacuus in se sentit, diceret suppleri. Multò verò magis omnia hæc compensat ea de qua hic tractamus securitas, quod nimirum in congregatione & vita communi, homo securus sit, se, in iis quæ agit Deo complacere, & pro tunc quidem nihil maiestati illius se gratius facere posse.

Collat. 9. c. 13.

Gerson. p. 1. Alphab. 19. litt. B.

Nouum ecce nobis qui in religione sub obedientia viuimus, Deus quodammodo dat Moisen, vti olim suum dedit Israelitis, qui nimirum in montem conscendat, & Dei nobis voluntatem declarat. Vnde etiam dicere ipsi possemus, quod eosdem Israelitas, siquando difficilis & implexus quidam nodus, incidebat, dicere solitos legimus, *Eamus ad videntem,* eum vt consulamus. Prophetam, & *videntem* vocant; quod is Dei voluntatem & videret, & intelligeret, populoque eam deindè declararet. Hoc porrò bono nos Religiosi non caremus, vt potè qui in omnibus difficultatibus & casibus perplexis dicere possumus, Eamus ad videntem, ad eum inquam quem nobis Deus in propheram dedit, suumque supplere locum voluit. Vnde eadem benedictione & beatitudine gaudemus quam in populi Dei persona Baruch Propheta exarrat, *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis* Beati inquam ac felices sunt Religiosi, qui, quæ sit voluntas Dei, quid ab ipsis fieri velit, & per quid diuinæ eius Maiestati magis placituri, & gratiores futuri sint, sciunt & norunt.

Sequior est Moyses quidem subditis Religiosis.

Propheta quoque & interpres divina vltationis.

1. Reg. 9. 9.

Baruch 4.

Altera Apostoli ratio est hæc: Vt superi-

Secunda eiu

Ratio cur obediendum superiorib' nempe ut vnus gubernandi alleuiemus

periores cum gaudio hoc (officii sui partes) faciant & non gementes. Compatitur ecce Superioribus Apostolus, eorumque commiseratione tangitur, videns quam graue sit humeris eorum impositum onus. Vnde nos etiam atq; etiam commonet vt in obediendo faciles & prompti simus, vt hac nostra parentia onus ipsorum alleuiemus. Cum ergo sat laboris ac molestiæ superior habeat, & intolerabile quoddam humeris onus gestet (vt potè cui de omnibus tam quæ ipse quam quæ tu agis, reddenda ratio est) noli prægrauans hoc pondus ad cumulum insuper addere, obedire & regi detrectando. Graue profectò & molestum superiori est, quod subditus vsq; adeò immortificatus sit, vt de eo quod velit statuere non queat, nec pro libitu audeat illi, quod expedire iudicauerit, imperare; sed semper anxiè ac timidè secum disquirere antè debeat, æquane id mente sit accepturus, vtrum id audiens non obluctaturus, vtrum non statim sit in conuenientia allegaturus, ob quæ minus facere velit ea quæ sibi displicent; quo item modo & artificio hoc ipse illi iussum aperturus ita sit, vt benignis id auribus accipiat, ipsumque haud inuitus exequatur. Graue indubiè atque acerbum est, huiusmodi subditis quid faciendum præscribere, perindeatque est homini, cum membrum infirmum & malè affectum mouere cogitur. Si pede aut brachio luxato vel læso vti debeas, quam id tibi est laboriosum, quantum motus hic dolorem & cruciatum adfert! Ecqua vero doloris huius & cruciatus est causa? Male affecta sunt membra ista, ideoque quam difficillime mouentur. Nam tantum tibi pedis huius motus cruciatum parit, vt ne vel vno quidem passu etsi summe necesse sit, procedere, aut hinc illuc transire sustineas, imò ne tantum dolorem ferre cogaris insignem sæpè rerum tuarum facere iacturam malis. Tantum quoque è brachii luxati motillatione vel minima dolorem percipis, vt ne ori quidem manum quo cibum ingeras, admouere ausis; Quisq; nostrum quoddam Religionis membrum est, ipsa namq; vniuersa simul vnum constituit corpus, vti de Christi Ecclesia ait Apostolus. Enim verò in membrum infirmum & immortificatum sis, non mediocrem tum Religioni, cum superior tunc tum te mouere, & aliquid tibi demandare volent dolorem & molestiam inferes. Iam quippe superiori molestum ac graue est, cum subditum ægre perdifficile & illubenter imperata sua exequi conspicit, vt licet rem quampiam fieri necesse sit & negotia & ministeria necessaria alioqui interquiescant, quòd non sit qui iis fungatur, sæpe ea illi ob eum quem è brachii pedisq; vitiati motu percipit dolorem, demandare non audeat. *1.Cor.12.12.*

Notent hoc illi qui persuasum habēt, dulce quid & optabile esse, superiorem agere, subditosq; ac filios spiritualis habere, quibus imperare liceat. Rebecca alias incredibili quodam prolis habendæ desiderio angebatur; postquam acria partus tormina persensit, & geminos illos Iacob & Esau suo in vtero de primogenitura, & vter prius in lucē proditurus esset, decertantes percepit, desiderii sui pœnitens ait: *Si sic mihi futurum erat,* si liberos gignere tam graue molestum & laboriosum erat, *quid necesse fuit concipere?* Eodem plane modo contingit superioribus, dum subditorum alios illubenter, alios reluctanter, alios expostulanter, alios murmurando, obloquendoq; sua exequi iussa vident. Tum demum dolores suos superior sentit & ob impositum sibi graue onus gemens ait, Omne beatum si in angulo aliquopiā obscuro, delitescere liceret, & de nulla re solicitus essem, quā quomodo iussa Præpositorum adimplerem. Hoccine est filios habere? Hoccine superiorem aere & aliis præesse? Si sic mihi in Præpositura futurum erat, satius multò esset non imperare, nec subditos habere.

Magna superiorum crux subditorum in obediendo repugnantia.

Gen.25.22.

Graue superiorum onus est subditus refractarius.

Quantum hoc dolorem & angorem causet, nemo scit, nisi expertus. Dici vulgo so-

Bonus est superior,

qui bonus fuit subditus.

gò solet vt quis bonus superior sit, & quomodo aliis imperare debeat, norit, ante bonus subditus fuerit, necesse est, & re ipsa sciuerit quid sit obedire; vt de eo vere dici queat quod de Redemptore Iesu ait Apostolus: *Non enim habemus Pōtificem,* & Prælatum, *qui non possit compati infirmitatibus,* laboribus & miseriis *nostris tentatam* per omnia. Merito id quidem ille: sed ego aliud quid alio, quod vt dicam, neminem fore existimo, quin sufficienti me ratione moueri dicturus sit; scilicet, sicut, vt quis bonus superior sit, & noxit quomodo imperare aliis debeat, multum iuuat si ante bonus fuerit subditus, & re ipsa experientiaq; sciat, quid sit obtemperare, ita è diuerso, vt quis bonus & obsequens sit subditus, magnopere conferre, si superiores officio aliquam diu functus sit & aliis imperauerit: re ipsa quippe didicerit & expertus fuerit, quam graue & laboriosum sit mandare vbi se subditi facile non subdunt, sed refractarii sunt, Vnde hunc ipse superiori suo dolorem inferre cauebit. Non id eò dico, quasi necesse sit, vt reuera domus totius quis superiorem egerit; satis est priuatim ex equalibus quempiam aliquando quopiam in negotio sub se habuisse. Quoties enim mandare ei aliquid ideò noluisti, quòd mandare non audebas? Quoties tibi grauius visum fuit, rem socio demandare, quam per te eam exequi? Hinc ergo facile nemo non videbit, quo dolore & molestia crucietur superior, quando iussis subditus obsistit adversetur & obmurmurat. Hi faciunt vt superior in officii sui functione gemat, ac sub onere velut succumbat, & omnia per se facere malit quam id aliis faciendum demandare. Non tamen tam superiorem cruciat malum & crux propria, quàm subditi, quia enim suorum pater est, hinc filiorum morbo infirmitateq; non potest non dolere, & intima animæ eius viscera non consauciari, cum illorum imperfectionem & exiguum in virtute feruorem animaduertit quoq; cum vilia & abiectiora, & in quibus obeundis maiorem sentiunt animi auersionem, maiore obire promptitudine deberent, ob illa sola murmurent, & statim sexcenta quæ inde sibi sequi comminiscuntur incommoda allegent, quò à se de imitat. (Christi) illa excutiant. Vnde bene Thomas à Kempis, Religiosum tepidum & remissum, ad omnia quæ obire recusat, statim ait se morbidum dicere & imbecillem, neue ille unquam excusandi materiam deesse, quo minus faciat ea, quæ ad palatum non sunt. Quod nolumus non possumus; ad id verò quod volumus statim præpotentes sumus etsi alioquin id multò sit obitu difficilius. Testatur id quoque D Chrysostomus dum ait, *Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus, & non posse illa quæ nolumus.* Hæc maxima superioris crux, hoc mire cor eius conuulnerat, ipsa inquam spiritualis subditi infirmitas, imperfectio & immortificatio.

Hebr. 4. 15.

Obsequens est subditus, qui aliquando superioris personā gessit.

Subditi semper causantur inertes.

Serm. de Zachæo.

Quantum volumus, tantū possumus, non possumus, quæ nolumus.

Obedite ergo Præpositis vestris, subiecti illis estote, hunc eis dolorem nolite infligere, nec gementes incedant & sub onere fatiscentes. *Hoc enim non expedit vobis.* Potest hæc tertia esse Apostoli ratio. Nempè ne vobis quidem id fore vt expediat; nam etiam sub onere graui ingemiscetis, & propè succumbetis, vitamque viuetis desolatione plenissimam, vti reipsa satis experiuntur ii, qui hoc modo se in obediendo difficiles præbent. Deserent te quippe superiores vt membrum infirmum, & res iniunctæ infectæ manebunt, *Et hoc non expedit tibi:* quia tuæ imperfectioni illi condescendent, & quod volueris, facere te sinent, itaq; tuam, non Dei, in rebus quas ages voluntatem facies: quod profectò non parum nobis, vti supra diximus], metuendum est.

Obedire repugnanter & inuito non expedit.

CAP.

CAPVT XI.

Primarum quoddam & efficax ad virtutis huius obedientiæ perfectionem assequendum medium proponitur, videlicet in superiore Christo Domino obedire.

VNum de primariis atq; efficacissimis ad virtutis huius perfectionem assequendam mediis, aut potius omnina princeps & efficacissimum est, in superiore Dominum Deum intueri, nobisq; persuadere, Deum ipsum hæc nobis iussa proponere, nosq; proinde, non hominibus, sed ipsimet Deo obedire. Multis in locis medium hoc nobis commendat & inculcat Apostolus: Ephesiis quippè scribens ait, *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Subditus ecce præcipit, vt superioribus temporalibus & Gentilibus, non secus obediant, quàm Christo. Vnde S. Basilius, si Apostolus inquit iubet, vt potestatibus sæcularibus obtemperemus, sicuti Christo Domino, & (quod maius est) etiam iis, quorum vitæ ratio tunc temporis nequissima & scelestissima erat; cui etiam consonat Apostolus Petrus dicens, *Non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*; quanto nos Religiosos erit æquius & rationi conuenientius spiritualibus ac Religiosis superioribus, quique in omnibus nonnisi Dei voluntatem facere desiderant, obedire, tanquam Christo. Vnde ibidem eodem sensu statim subdit: *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus.* Non oculis ergo exterioribus hominem, sed interioribus Deum intueri oportet. Quia non iam cum hominibus viuimus, nec vt hominibus seruiremus ad Religionem venimus sed vt Deo. Quin & Colossensibus scribens, idipsum repetit & iterat, *Quodcunq; facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quod à Domino accipietis retributionem.*

Facilè obedit superiori qui ei, vt Deo obedit.

Ephes. 6.5.

In Constit. Monastric. c. 23.

Superior, vt Christo obediendũ, & semiendum.

1. Petr. 2.18

Ephes. 6.6.

Coloss. 3.23.

Doctrinam hanc secutus B P hoc nobis medium ante omnia & impensè commendat, magnumque in eo momentum & vim ponit: Vndè id & iam sæpius in Constitutionibus inculcat: Vno quippè in loco ait: *Expedit inprimis ad perfectum, & valdè necessarium est, vt omnes perfectæ obedientiæ se dedant; superiorem (quicumq; ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscentes.* Aliò verò sic: *Valdè necessarium est vt omnes non solum superiori societatis vel domus, sed etiam subordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt obediant, & assuescant non intueri quis ille sit cui obediunt; sed potius quis ille, propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.* Et in sexta parte, vbi magis ex propositio & professo de hac obedientiæ virtute tractat, hoc velut eius fundamentum assignat, *Versari autem debet ob oculos Deus creator ac Dominus noster propter quem homini obedientia præstatur,* Si modò ad virtutis huius perfectionem peruenire quis velit.

3.p. Constit. c 1. §. 23. & 6.p.c.1. §.2. Regul. 31. Summar. 3 p.c. 1. §. 24. Regul. 38. Summar.

In superiore persona Dei, cui & propter quã obedias, spectanda.

6.p. Constit. c.1. §.1.

Porro medii huius vis & efficacia hinc liquidò apparebit, si ipse Christus se personaliter tibi videndum exhiberet, atq; hoc vel illud faciendum præciperet; quam illi promptè, qua voluntatis allubentia, & gaudio, qua iudicii conformitate & resignatione pareres? Tunc sanè maximè diiudicares, inquireres vel dubitares, sinum quod iuberet bonum esset vel malum sed cæcè, sine vllo ratiocinationis discursu ipsum amplecteteris, vna hac ratione (quæ omnem rationem transcendit) motus, scilicet, Deus hoc mihi præcipit, hoc fieri à me vult Deus, hoc melius est & expedientius, quin etiam te quàm beatissimum prædicares, quod tua DEVS opera vti vellet, & quo id

Promptè obedires, si quidquam uis difficilimum Deus tibi præsens mandaret.

quod

quod præciperet, difficilius, laboriosius & pænosius foret, eo maiori gratia & beneficio affectũ crederet. Atqui isthuc est medium quod hoc loco assignamus, quod S. Basilius vt magni à nobis id (prout fieri debet) fieret, proponens, ait: *Nec enim ad hanc similitudinem inducendam mea sponte, sed diuinis literis inductus accessi:* Nam ipsemet Christus signanter in Euangelio ait: *Qui vos audit, me audit.* Quare hac in materia & hoc in sensu hæcce verba etiam Sancti Patres declarant, docentque ea non propter Apostolos solos sed & reliquos pôst secuturos Prælatos, dicta esse. Vnde Cassianus & omnes illi veteres Monachi doctrinam hanc in praxi vsurparunt, cum omnia superiorum mandata, velut à DEO immediatè profecta, acceperunt: siquidem CHRISTVS ipse id ita faciendum ait, atque, expresse iubet, vt non nude ipsam superioris personam, sed in eo Deum ipsum consideremus, etsi alioquin superior non pro eo ac deberet, vitam institueret. Ait enim: *Super cathedram Moisi sedebũt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere.*

Luc. 10.16. *Qui audit superiorem, Deũ audit.*

Clement. epist. 1. *ad Iacobum fratrem domini.*

S. Benedict⁹ in Regul. ca. 5.

Bernard. lib. de dispens. & præcept. lib. 9. *instit. c.* 10.

Matt. 23. 2.

Adeo vt Deum nonnisi eiusq; vnius voluntatem in obedientia spectare nos oporteat; quam siue per se, siue mediante Angelo vel homine, vel huius vel illius opera declaret, eodẽ redit: pari enim modo tã vnum, quam alterũ admittendũ est: quia Deus est, qui id iubet, & superior in eius nomine. Vnde S Bernhardus ipsamet S. Benedicti idem asserentis, verba adfert: *Obedientia, inquit, quæ exhibetur maioribus, Deo exhibetur. Ipse enim dixit, qui vos audit me audit. Vnde quidquid vice Dei præcipit homo, quod non certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus. Quid enim interest, vtrũ ipse, aut per suos ministros, siue homines siue Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum.* Adfert quoq; eodem loco Bernhardus vulgatam illã gnomen & sententiam; *Siue Deus, siue homo vicarius man-*

Obedientia homini exhibita Deo ipsi præstatur.

Lib. 3. *de dispens. & præcept.*

datum quodcunq; tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Non debemus nunc exspectare miracula nec velle, vt Deus ipse personaliter nos alloquatur, & quæ facienda nobis sunt ore suo iniungat: quia tempus illud iam præteriit: Dum id necesse fuit Deus ipse in persona vt nobis loqueretur, nosq; erudiret descẽdit. Vnde ait Apostolus Paulus: *Nouissime diebus istis locutus est nobis in filio:* & Apostolus & Euangelista Ioannis: *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Modo vero vult Deus, vt in fide viuamus & Superiorem Dei loco ducamus.

Deus modo per se, modo per alios aliquid homini præcipit.

Heb. 1. 2.

Ioan. 1. 18.

S. Augustinus ait id nobis Deum in eo quod Cornelio Centurioni (de quo in Actis Apostolorum scribitur) contigit, aliquomodo designare voluisse. Erat hic Gentilis, at timens Deum, bonaq; opera, eleemosynas & orationes impigre exercebat. Hunc cum Dominus in veritatis viam reducere & veræ fidei asserere vellet; mittit ei Angelum qui ei dixit: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam Dei & nunc accersi Simonẽ qui cognominatur Petrus, qui hospitatur apud quendam Simonem Coriarium, cuius est domus iuxta mare. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Rogat ergo Augustin⁹: *Numquid non illum poterat docere Angelus?* cur ab eo iam ad illum misso eum nõ est passus institui? Ac respondet: Ideo ad Petrũ eum amandat, nec per se, nec per Angelos eum viam salutis docere voluit, sed per homines, vt sic hominem honoraret, & simul nos homini obedire, voluntatemque nostrã ei subiicere doceret: præsertim postquã ipse factus est homo, & nostri causa hominibus se subiecit, & obedientiam præstitit, *Et erat subditus illis.* Idipsum & in Apostoli Pauli conuersione factum Sancti Patres obseruant. Etsi enim Christus in persona ei appareret, & ab eo rogaretur, *Domine quid me vis facere?* suam tamen ei ore suo voluntatem & quid fieri vellet declarare noluit, sed ad hominem eum amãdat, à quo hoc ei decla-

In Psal. 96.

Act. 10. 6. *Deus Cornelium Centurionem per hominẽ, nõ per Angelum fidẽ doceri voluit.*

Luc. 2. 51.

Act. 9. 7. declaretur. *Ingredere,* ait, *ciuitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere:* Vnde præclarè S. Bernhardus: *O sapientia Dei suauiter vere, omnia disponens! eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt socialis vitæ commendetur vtilitas.* Maximè, inquit Bernhardus: quia homini Deus aliquam auctoritatem conciliare vult, huncque illi honorem deferre, vt ceu Dei Vicarium eum habeamus, vocemque Superioris, perinde ac vocem diuinam accipiamus.

Serm. 1. de conuers. S. Pauli.

Christus Dominus per hominē S. Paulum fidei doctrina imbuit.

Neq; vero propterea deterioris ipsi cōditionis sumus, quam illi, quos Deus ipse ore proprio olim est allocutus; quinimo sicut res fidei, quas non vidimus, credendo magis promeremur, quàm si eas oculis ipsis cerneremus: Prout alias Christus ipse Thomæ Apostolo dixit. *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderūt & crediderūt:* pari modo in hac obedientia, qua superiori tamquam Deo obedimus, in ea velut in rebus fidei procedenmus, in ea velut in rebus fidei procedendo (præsupponendo, quidquid demū superior decernit, Dei ordinationem, decretum ac volūtatem esse) plus quodammodo meremur, plurisque id faciendum est, quam si ipsimet Christo eorum imperanti obediremus. Idipsum & in Eleemosyna SS. Patres locum habere docent, & Redemptor ipse dum viueret ita esse pronuntiauit: *Amen,* ait, *dico vobis, quādiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Perinde enim eleemosynam pauperculo cuidam erogatā Deus remunerabitur tamquam si ea sibi collata esset. Notant præterea Patres nonnulli eum, qui ex amore Christi, egeno stipē dat, plus quodammodo pręstare & amorem magis testari, quàm si ipsi Christo eā donaret: perinde ac plus præstat, amorēque suum erga amicum magis declarat is, qui ex amore illius aliquem de seruis eius beneuole recipit, ac laute tractat, quam si ipsum amicum sic reciperet, & splendide haberet. Hoc namq; non videtur esse tantum, quod ipsa personæ dignitas, valor & respectus amicitiæ illud merea[illegible] Enim vero maius longe est, dum amor ita [illegible]te se extendit, vt, amici causa omne, quo[illegible]ius est, benigne complectatur, & tantam [illegible]neuolentiam exhibeat, quantam ipsi ami[illegible]; porro se res habet in obedientia, de qua sic loquitur Bonauentura. Sublimis quidam & altus obedientiæ gradus est, cum exacte quis iussis, quæ immediatè à Deo descendunt obedit; altior tamen quodāmodo is, quo homini paretur propter Deum; interdum quoque ipsa, quæ propterea datur merces erit maior & meritū amplius. Dum enim homini quis propter Deum obsequitur, magis se in corde humiliat, propriam voluntatem magis abnegat, magis quoq; eam in diuinam resignat: sicuti plus facit homo regio Ministro ex amore, Regis obediendo, quam si ipsi Regi obediret. Si Deus ipse in persona, quid tibi faciendum iniungeret, mirum sane non esset prompte & resignata voluntate id te exequi: at, quod in eius gratiam, homini tui simili obedias, & insigni totalique cum resignatione te illi subiicias, magni id faciendum & æstimandum est.

Ioan. 20. 29.

Maius est obedientiæ meritum, si homini propter Deum quam si ipsi Deo coram aliquid mādanti obedias.

Matt. 25. 40.

Eleemosyna pauperi data perinde est, ac si Deo ipsi coram data esset.

Tract. de gradib. virtutum c. 2.

Altissimus obedientiæ gradus est homini propter Deum parere.

CAPVT XII.

Medium hoc, quo Superiori paretur sicuti Christo, ad obedientiæ virtutem assequendam pernecessarium est.

MEdium hoc non considerandi Superiorem, tamquam hominem sed ad eum respiciendi, cui in homine obeditur (qui est ipsemet Iesus Christus) non solum iuuat, vt melius maioriq; cū perfectione obediamus, verum etiam absolute & præcise est ad obedientiæ virtutē consequendam necessarium. Adeo vt qui nō cogitabit, Deum esse, qui sibi hoc præcipit & fieri iubet, & qui non idcirco ipsum exequetur, nō solum in obedientia non sit futurus perfectus, sed ne bonus quidem obediens: at semper in hac

Adperfectā obedientiā necessariū est in persona superioris Deum agnoscere.

[illegible] aut tiro futu-
virtute imperfectus & practice, & ad o-
rus. Quod hoc l[illegible], demonstrabimus,
culum, vt di[illegible]cum hoc maxime sit substan-
quod [illegible] & permagni momenti. Nam si Superiorem consideres vt hominem scilicet, homo vnus alium & tu homo es. Vnde, licet Superior singulari sit sanctitate, prudentia, scientia prędítus, dices, saltem homo est, omnia scire nō potest, nec singulas quę in quaque re sunt rationes nosse: in aliquo proinde errare & falli potest. Præterea si vt hominem eum intuearis, etiam dicere potes, eum, vti homines solent, & vt hominis est, particulares suos habere affectus & respectus posse, per quos ad magis in hoc quam in illud inclinandum moueatur: atque inde esse, vt non tam propitio bonoque oculo tuas quam alterius cuiuspiam res intueatur: Quando, quæ mandantur, ardua, difficilia ac sensualitati tuæ repugnantia sunt, tunc potissime amor proprius, qui solers ac industrius est proxeneta subtilissimas quasdã & acutissimas in rem & commoditatem tuã rationes ac mille contra obiectiones & partis contrariæ consultationes excogitabit. Vnde fiet, vt nunquã tuam ex toto sis voluntatẽ & intellectum subiugaturus & quietaturus. Nam tibi quas rationibus humanis opponas aliæ rationes humanę nunqnam deerunt. Atsi non consideres superiorem vt hominem erroribus ac miseriis obnoxium, sed eũ, cui in homine obtẽperas, respicias, ipsũ inquam Christum Iesum, summam Patris æterni sapientiam, immensam bonitatem, caritatẽ infinitam, quem nosti nec falli posse, nec fallere velle; tunc demum omnes in contrarium difficultates cessant, rationes & iudicia euanescunt, & homo ex toto resignatus manet. Nam rationi illi, Deus id vult, Deus id iubet, hęc est Dei voluntas, nihil est quod obiiciatur, nec euerti ipsa potest. Vnde Dauid Propheta aiebat: *Obmutui & non aperui os meum*, vt de aduersis immissis, Domine conquerer, *quoniam scio quia tu fecisti*, mihique illa immisisti. Si hoc modo in obediendo procederemus, quonam mandata maiorum spiritu impleremus, qua promptitudine & pfectione ipsis pareremus! statim quippe ad vocem Superioris literam iam inchoatam imperfectam relinqueremus, nobis persuadentes hanc Christi vocem esse: quinimo magna nobis inciuilitas & mera rusticitas videretur post vocationem tergiuersari, ac dicere, Iam iam ab eo quamprimum eo me conferam: quomodo itẽ voluntatem nostram conformaremus, quomodo iudicium resignaremus? omnes per vnam hanc cogitationem difficultates quantocyus tollerentur.

Valde nutat obedientia, quæ puri hominis personam in superiore respicit.

Obediens homini qua homini facile repugnat.

Obediens homini quasi Deo ne vix quidem potest reluctari.

Psal. 38. 10

Celerrima est obedientia, quæ in Superiore Deum agnoscit.

Hinc simul intelligetur solutio & responsio cuiusdam quæstionis, quæ huic proposito nostro mirifice quadrat: Vnde scilicet fiat, quod cum quis tanto tempore in Religione egerit, ac quotidie toties obedierit, nondum tamen aliquẽ obedientiæ habitum acquisierit, nec hanc sit perfecte virtutem assecutus: cum tamen commune Philosophorum & Theologorum omnium sit axioma, virtutum habitus per ipsosmet illarum actus & exercitia comparari? Rei huius causa & simul dubii solutio est, quod habitus acquirantur per actus similes, qui per formalem ac particularem virtutis illius rationem fiunt: hæc autem obedientia, de qua loquimur, virtus sit Religiosa, & quædam (vti dicunt Theologi) virtutis Religionis, quæ Deum, & diuinæ eius maiestatis cultum & honorem respicit, species. Iam quia ille cum obedit, Deum in Superiore pure non respicit, nec tam obedit, quia illa Dei voluntas est, quam vt vel Superiori placeat, vel aliquo apud alios sit loco, vel pœnitentiæ iniungendæ, vel correptionis infligendæ metu, vel quod, quæ imperata sunt, ad mentem eius sunt, aut suauiter leniterq; illi proposita, quã deniq; ob alias id genus causas; propterea nō sunt hi actus virtutis huius obedientiæ Religiosæ, quod formali & Religiosa

Cur in obedientia Religiosi multi multis etiã annis ne hilũ quidem proficiant.

Obedientia religiosa est virtus religionis Deũ respiciens.

Qui Deum in superiore nō respicit, non exercet vllum religiosæ Obedientiæ actum.

obedientia ratione careant. Quocirca si hoc modo procedat, obedientiæ virtutem nec est assecutus, nec toto vitæ tempore vnquam assequetur: Politicam quidem, fateor obedientiam quandam habebit, (qualis & inter milites & in naui, & in qualibet communitate & congregatione reperitur) vera tamen Religionis virtus non erit.

Politica tãtum est obediẽtia, qua quis homini quasi homini paret.

Vnde S. P. N. dicebat, non tam obedire superiori nos debere, quod prudentia valeat, quod moribus lenis sit & placidus, quod aliis naturalibus donis instructissimus sit, quam quod Dei & Domini nostri vice fungatur, & locum suppleat. Si enim hinc recedas & in rationes illas humanas oculos conicias, totum obedientiæ robur elidi & deperdi, quinimo nec obedientiæ virtutem, nec actum religionis eam fore dictitabat, quia pari modo & in sæculo, viri alicuius prudentis, doctrina excellentis, ac longa rerum experientia edocti, opinionem sequi soles. Hoc scilicet cum hominibus viuere est non cum Deo. Quo autem magis ad rationes illas humanas respicies, earumque ductum sequeris, eo magis à Deo, & à vera obedientiæ virtute recedis; teque ad hominibus solum obediendum abiicis. Et hoc ipsum prosequens, Nequaquam nobis dispiciendum esse ait, num coquus nobis quid præcipiat, an domus totius superior, illene vel iste, quia non propter illos, sed propter Deum solummodo obedimus. Eadem ergo nos vult humilitate, promptitudine & resignatione officialibus subordinatis, qua superiori supremo obedire.

Lib. 5. c. 4. vitæ.

Obedientia religiosæ naturam tollit, qui Dei personam à superiore remouet.

Cap. 4. Exam. §. 29. regul. 38. summarii.

Obediendũ Deo in quocunq; superiore.

Ad hanc porro obedientiæ perfectionem peruenerat B. Franciscus, vt qui dicere solebat: Hanc mihi inter cæteras diuina bonitas gratiam contulit, quod tam prompte ac facile obedirem vnius horæ nouitio, si mihi in superiorẽ consignaretur, quam fratri cuipiam veterano & prudentia singulari prędito. exploratissimum scilicet ipse habebat, quomodo obediendum esset; ac proinde non tam [illegible] superioris personam quam Deũ cui in illa ob[illegible]ebat, respiciebat. Dicebat adhæc idem [illegible] Patriarcha. Quo superior, cui obsequi[illegible] donorum naturalium & auctoritatis min[illegible] quæ illi defertur obedientia, suo in [illegible] genere perfectior est, Deoque acceptior.

1. p. L. 1. cap. 28. Chron. minor.

S. Francis. æque nouitio ac veterano superiori parebat.

Atque hoc est, quod communiter docemus, scilicet eum, qui coquo refectorii, stratori, æditu ac reliquis officialibus inferioribus exacte & prout oportet, obedit, magis suam obedientiam tum patefacere, quam dum Ministro: & qui huic paret magis quam qui Rectori; qui Rectori, magis quam qui Prouinciali vel Generali: Et huius rei ratio est, quod hæc obedientia purius & magis propter Deum deferatur. In obedientia, qua supremo Præposito pares, fieri potest, vt te vel personæ ipsius respectus & auctoritas, vel ei complacendi gratificandiue desiderium moueat, verum cum te Officialis alicuius subordinati imperio subdis, nulla alia re ad obediendum moueri videris, quam puro Dei amore.

Eo perfectior est obedientia, quo homini magis vili propter Deũ paretur.

In supradictorum quoque confirmationem addit P. N. eum qui integre sincereque officialibus subordinatis non obedit, nec reliquis superioribus obsecuturum. Vera namque obedientia, vti ante demonstratum est, non personam eius, cui obedit, sed Deum propter quem & cui in omnibus obedit considerat. Et qui hujusmodi est, ei formalis veræ obedientiæ ratio deest. Nam si pure propter Deum obediret, etiam officialibus subordinatis & subalternis qui hac in parte Dei viæ fungũtur, obediret. Quandoquidem verò his non obedit, signum est, eum, dum maioribus superioribus obedit, non propter Deum, sed ob respectus aliquos humanos, obedire: itaque obedientia eius nec perfecta, nec Religiosa erit.

Cap. 4. Exam. 29.

Vera obedientia non hominem, sed Deum, propter quẽ obedit homini, respicit.

Obedientia quæ non est propter Deum, non est religiosa.

CAPVT XIII.

De aliis eximiis bonis, quæ in hoc superiori, tanquam Christo Domino, obediendi modo continentur.

Obediens ꝓpter Deũ simul à Deo gratiã ad exequẽdum opus accipit.

Deus obedienti propter se vires ad benè agendum sufficit.

PRæter id quod dictum est, alia eaque singularia in hoc obedientiæ modo, quo Superiori quasi Christo Iesu, & non velut homini paretur, & quo superior tanquã dominus ipse consideratur, bona comprehenduntur. Primum sit, hac obediendi ratione singulare nos robur & fiduciam magnam concipere, haud difficulter ea quæ injunguntur exequendi, & quam felicissimè ad exitum deducendi. Hæc enim est inter ea, quæ Deus, & quæ homines præcipiunt, differentia, quod hi sæpè præcipiant, ea quæ executori mandare haud facilè possumus, & ad ea quæ imperat exequenda, nec robur nec vires nec potentiam suppeditent. Deus autem nihil præcipiat, quin id facilè præstari queat, simul etiam vires & potentiam ad jussa facienda & adimplenda subministret.

Porrò hic in Religione singulari quodam modo, hac animi fortitudine, & in Deum fiducia opus habemus, vtpote in qua ad magna, ardua, & laboriosa vocati sumus. Proinde ad in hisce animo non concidendum permultum conferet, simul etiam animos & fiduciam suggerit considerare, id mihi à Deo Optimo Maximo injungi, eumque cum tali me officio & ministerio applicuerit, mihi concessurum quod præcipit. Atque ideò vna de maximis consolationibus, quibus se, qui in Indias aut alias laboriosas expeditiones amandantur, medijs in laboribus & periculis, tàm mari quàm terra occurrentibus, & tàm spiritualibus, quàm corporalibus solantur, est hæc: Tu me Domine huic expeditioni applicuisti, tu mihi eam feliciter fac succedere: *tuus sum ego, saluum me fac.* Hoc, inquit Chrysostomus, commonstrare nobis & declarare tacitè Redemptor noster Iesus voluit, dum discipulos suos ad prædicandum, mundumque in viam veritatis reducendum mittens, eis ait, *Ecce ego mitto vos*: perinde ac si diceret: Esto, vos debiles, & infirmi sitis, inimici verò potentes, & validi, pericula quoque evidentia; non est quod timeatis, aut animo concidatis, propterea quod me mittente, me jubente proficiscamini. *Ecce ego vos mitto,* ego vos ab omnibus malis, & aduersis, qui ingruere queant, casibus tuebor, deque omnibus inimicis vestris victoriam faciam reportare. Hæc vnica discipulorum Christi in omnibus eorum laboribus & periculis, fuit consolatio, vti etiam esse debet nostra in omnibus muniis, quæ suscipimus, atq; adeò in omnibus rebus, quæ à superiore nobis præscribentur: Deus me mittit, Deus isthuc mihi jubet, ipse ad hoc mihi vires elargietur. Abacuc Prophetæ mandat Deus, vt quod messoribus suis præparat prandium, Danieli in lacum leonum conjecto, in Babylonem deferret; qui cum diceret, *Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio*; ecce arripit eum Angelus in vno crine capitis, & sublatum per aera in lacum sistit. Vt hinc discamus, qua Deus facilitate & promptitudine succurrat, & opituletur in ijs quæ imperat.

Ps. 118. 94. Kem. 34.

Luc. 10. 2.

Obedientes propter Deum à Deo mittuntur.

Superioris mandatũ est velut Dei missio.

Dan. vlt. 32.

Deus obedienti etiã per miraculũ succurrit.

Præterea hæc, qua superiori tanquam Christo obeditur, obedientia continuum quoddam est ad Dei voluntatem semper faciendam exercitium: ita vt per hoc quis amore Dei perpetuo succensus incedere, & continua velut in oratione agere queat. Optima namque & perutilis oratio & optimus in Dei præsentia jugiter ambulandi modus est, cum quis in hoc se assiduè exercet, vt Dei voluntatem faciat, inque eo voluptatem sentit & delectationem.

Obediens in omnibus diuinæ voluntati vilificatur.

1. p. tract. 6. cap. 4.

Ad hæc qui hoc modo in obediendo procedit, minimè curat hoccine vel illud sibi injungatur; aliud quippe non spectat,

Vna illi libido parere Deo.

spectat, quàm vt, quod sibi mandatum est exequendo Dei sui voluntatem faciat. Atque hic ejus est cibus, voluptas, & vnica in omnibus, quæ agit, delectatio.

Pace magna gaudet. Insuper, qui in superiore Deum considerat, seque jam in Dei manus traditum esse, nec non ab eo regi ac gubernari se credit, mira animi pace gaudet, nihil designans animo aut definiens, imò nec curans, quid de se futurum sit, (*In pace in idipsum dormiam & requiescam*) *Psalm. 49.* quia in fidas se bonasque manus consignauit. *Psal. 22. 1.* *Dominus regit me & nihil mihi deerit*: certus sum aliud nihil de me statutum iri, quam quod ipse voluerit: atqui ipse aliud non volet, quam quod optimum est.

Præstantia huius exercitii. Quam multa hem! bona ac diuitias spirituales nobis compararemus, si Deũ in superiore contemplari assuesceremus, atque in animum penitus inducere, cum Deo & non cum hominibus viuere! Veteranus quidam Pater alias dicebat viginti & amplius annos se jam in Religione vixisse, & interea haud dum intellexisse, quid esset, *Obedire tanquam Christo, & quasi qui Deo servit & non hominibus*:

Sed labore ad id opus. & tu te in forte intelligere credes quod ipsum & legeris & sæpius referri audieris? sed id non sufficit: necesse est, vt ad vsum & praxim id, eo modo quo diximus reuocare nouerimus, vt hac ratione virtutis hujus perfectionem assequamur, omniaque hæc quæ commemorauimus bona percipiamus.

CAPVT XIV.

Injuriam, quæ superiori irrogatur, & contra eum conceptam murmurationem Deus tanquam propriam reputat.

A contrario. Sicuti dum superiori obedimus, obedimus & honorem deferimus Deo, quẽ superior repræsentat, & cujus locum occupat, ita, dum aliquam superiori injuriam & contumeliam irrogamus, ea qualiscunque demum sit, irrogatur Deo. Eadem in vtroque asserto militat ratio; & pari modo Christus de Priore, quo de secundo dixit: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit.* *Luc. 10. 16.* Apostolus autem ad Romanos scribens, hanc rationem assignat: *Quia non est potestas nisi à Deo*: *Rom.* *quicunq; autem potestati & decreto* superiorum *resistit, Dei ordinationi resistit.* Plurima hujus reï exempla in S. Scriptura legere est. *Potestas enim à Deo est, qui ei resistit, Deo resistit.* Cum Israelitæ contra Moisen & Aaron, quos illis Deus in superiores dederat, murmurarent, quod in deserto non haberent, quod comederent, pæniteretque eos Ægypto exiisse; sic eos Moses & Aaron sunt allocuti. *Audivi murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia muscitastis contra nos? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*: Rursus cum aduersus Samuelem *1. Reg. 8. 7.* ijdem Israelitæ murmurarent, ac Regem ad aliarum gentium imitationem, peterent, ait Deus Samueli: *Non te abiecerunt sed me ne regnem super eos.* Hoc item in sensu passim declaratur illud Isaiæ: *Isaia 7. 13.* *Numquid parum vobis, esse molestos hominibus,* quos Deus misit, vt vos regant & gubernent, neque sanè parum id est, sed multum: *quia molesti estis & Deo meo*: quia Deo hęc fit injuria, eamq; ipse velut propriam habet & vindicabit.

Quantoperè autem hæcce contra superiores murmura Deus detestetur, quãque vt propriam injuriam hanc ducat, *Punita murmurationis exempla.* poterit è magnis & extraordinarijs flagellis castigationibusque, quibus in ea animaduertit, colligi: legimus quippe Core, Dathan & Abiron, quia contra Moisen & Aaronem murmurabant, imperiumque populi eos sibi arrogare fastuosè dictitabant, horrendo quodam modo à vindice fuisse castigatos. Terra quippe *Nume. 16. 31.* sub pedibus dehiscens, eos absorbuit, & viuos vna cum vxoribus, tabernaculis & vniuersa substantia ad inferna transmisit: quin & alios ducentos & quinquaginta viros, qui ijs assenserant, ignis egressus à Domino deuorauit. Obseruat curiosè D. Thomas grauius Deum & atrocius animaduertisse in illos, qui supe- *2. 2. qu. 95. art. 2.*

rioribus oblocuti sunt, quàm in eos, qui immediatè diuino Numini injurij fuerant & contumeliosi, Deo cœli despreto diuinos honores deferentes. Satis namq; potuit hos in ore gladii de medio tollere: at illorum alios igne de cœlis misso sustulit, alios ab aperiente terra absorptos viuos ad infernum præcipitauit: Vt ostenderet inquit S. Thom. posteris, quanti eam contumeliam & injuriam faciat, quæ infertur ijs quos suos vicarios esse vult.

Exod. 32. 27.

Inobedientia cur idololatriæ cēseatur.

Hinc quoque obiter eadem opera intelligetur & patebit, cur in Scriptura inobedientiæ malum idololatriæ peccato comparetur. Samuel quippe cum Saulem inobedientiæ coargueret, ait, *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Quod S. Gregorius & Bernardus grande malum & peccatum egregie ponderantes dicunt, vide quam inobedientia sit, cùm id Spiritus sanctus idololatriæ, & Dęmonum consultationi par esse asserat. Et comparationis hujus rationē dantes, quia, sicut inquiunt idololatria & dæmonis consultatio cultum & reuerentiam Deo debitam, ei abjudicat; ita inobedientia & contemptus Superiorum, eum qui Deo debetur honorem & reuerentiam abrogat, propterea quòd hi Dei locum tenent. Adhæc sicuti idololatra, Deum verum relinquendo idolum ligneum adorat & colit; sic immorigerus & contumax, veram normam & regulam, quæ Deus est, sequi negligens, falsam, proprium inquam judicium, & rationes suas humanas, sequi præsumit.

1. Reg. 15. 23.

lib. 35. Moral. cap. 12. de ordin. vitæ & morum instit.

Aliud exemplum.

Sed ad lineam. Alias quoq; parum abfuit, quin omnes ad vnum Israelitas in deserto Deus vindex de medio tolleret, quod contra Mosen & Aaronem duces obtrectassent: immisit quippe in eos serpentes, à quibus, non pauci eorum perierunt. Quod & alludit Apostolus, Corinthijs scribens. *Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Eandem quoq; ob causam fęda à Deo lepra percussa est Maria Mosis soror, ob quam etiam septem diebus illam à castris excludi voluit, etsi dilectissimus & amicissimus ejus Moses ab ea hanc vt plagam auerteret, instantissimè eum esset precatus. Et qui Dei irati manum retinere potuerat, ne in populum illum idololatriæ rerum sæuiret, is sorori peccanti veniam impetrare non potuit, nisi ante pro delicto debitè satisfecisset.

Num. 21. 5.

1. Cor. 10. 10.

Num. 12. 10.

qu. 26. 27. 39.

Susurro à consortio communi separandus.

Atque hinc S Basilius hausit castigationem illam, quà in Religiosum Superiori suo vel fratri cuilibet contumacem, jubet animaduerti: vult namque ipsum prorsus à communitate sequestrari, neque ipsum tantum sed & omnia quę ejus sunt: ita vt opera ejus & labores cum aliorum operibus non misceantur: perinde ac in sæculo fieri assolet cum eo qui contagioso morbo laborat; nam non ipse tantum sed & omnes ej9 vestes, supellex, ac quidquid vsu tetigit & contrectauit separari ac domo proscribi consueuit, ne ad alios malum & contagium proserpat; ita qui in parendo contumax est, instar excommunicati ab reliqua cōmunitate sequestrari debet; quare solus agat, ac nemo illi in oratione, in cibo sumendo, in hora recreationis vel laboris cōmunicet, vt hoc modo pudore suffusus meliora respectet.

Nicolaus I. Pontifex Maximus ad Imperatorem Michaelem scribens, & eum velut inhumanum & impudentem sugillans, quod Præsules Ecclesiasticos lingua maledica ausus esset mordere, adfert ad hoc propositum generosum illud Dauidis factum: cum enim hic à Saule persequente instanter premeretur & diuersimodè exagitaretur, quadam die eum solum in spelunca, in qua ipse delitabat, reperit; vbi licet eum clanculo ac nemine conscio interficere potuisset, manus tamen in eum conijcere noluit, quod ceu læsæ majestatis crimen duceret, violentas manus in Christum Domini immittere, etsi Saul alioquin esset improbus, & juratus sui Aduersarius: attamen ausus fuit aliquam de chlamydis ejus oræ laciniam præscindere. Addit porro Scriptura, etiam facti hujus eum

postea

1. Reg. 24. 5.

postea pœnituisse, & doluisse, *Percussit*, inquit, *cor suum David, eò quod abscidisset oram chlamydis Saul*; pari modo, inquit ille Pontifex, quilibet bonus subditus, qui Christum Dominum in superiore agnoscit, facere debet, nec linguæ suæ nouacula ejus vestem præscindere audere: sed, si interdum vel ex incuria, vel infirmitate vel præcipiti aliqua passione impellente, aliquam ejus perfectionem commemorando proferat, statim ad seipsum, Dauidis exemplo reflexione facta, indolere & compungi, quod vestis superioris oram contingere sit ausus, etsi alioquin imperfectio parua sit & minuta. Et adnectit commune illud Pontificum dictum, *Facta superiorum oris gladio ferienda non sunt; quamuis reprehendenda videantur*: nam qui ea & faciunt, & fieri jubent, Dei locum & vicem supplent. Atque ideo ipse Dominus olim præcepit: *Diis non detrahes.* Deos ecce eos nuncupat, & ut tales coli vult, & honorari. Addit insuper, quod dictum alibi, non injuriam solum Deo & superiori per hoc à murmurante fieri, verum etiam subdito, apud quem isthæc murmuratio profertur, non parum damni inferri: hoc namque pacto superioris auctoritatem deterit, & bonam opinionem & æstimationem, quam alter de eo habebat diminuit; & in caussa est, vt ab eo fiat alienior, & amoris affectus intepescat.

Parce famæ superiorum.

Gregor. in Registr. lib. 12. 31.

Exod. 22. 28. Diis non detrahes.

Murmur famam deterit superiorum.

Quare fit vt obedientiæ auctoritas & robur summoperè eneruetur: atque id esse caussa solet, cur alius ille nullum sit fructum collecturus ex eo quod superior illi dicet aut faciet: quod est, illi januam ad omnem profectum, qui superioris adminiculo parandus est, occludere. Quamobrem, quocunque rem modo intueamur, serio ab hoc nobis caueamus oportet, ne tantum bonum per nos interuertatur, juxta illud Apostoli, *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.*

Heb. 12. 15.

Leuia etiā vitanda murmura.

Est autem hic sedulo aduigilandum, etiam in rebus leuibus & paruis: neque enim [illegible]e & paruum erit superiori amorem, æstimationem, opinionem, fiduciam, quam ter[illegible] de eo habebat, derogare, quod ex hujusmod[illegible] murmurationibus & oblocutionibus sequi [illegible]let. Atque hoc est, quod maximè in illis spectandum est, non tantum vtrum id quod dicitur, ex se graue sit vel leue.

Capvt XV.

Obedientia non excludit, quo minus quid superiori à subdito possit proponi, & quis in proponendo modus seruandus sit.

Non solum vitiosum non est, vel imperfectio, superiori suas rationes, proponere, verum etiam majoris perfectionis: Imo malum foret suo eas tempore non proponere. Vnde id etiam nos particulari quadam regula, signanter facere præcipimur: *vt nimia solicitudo in iis quæ ad corpus pertinēt, reprehensibilis est: ita cura moderata tuendæ ad divinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda est: & ea de caussa cum animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse, circa victum, vestitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & sic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re superiorem, vel quem ad id superior constituerit.* Non sine ratione hanc nobis regulam S. N. P. præscripsit. Licet enim verum sit præcipuam rerum ad valetudinem corporis spectantium curam, atque adeo in suo modo totam ad superiores pertinere debere; quia, tamen homines sunt, non Angeli, ac proinde scire nequeunt, vtrum aliqua re, præter ea, quæ in communi omnibus præbentur, ipse pri-

Rectè proponi possunt rationes superioribus.

3. p. Constit. c. 2. §. 1. regul. 46. summarii.

uatim opus habeas, omniumque particularitatum non possunt recordari; hinc necesse te est, ijs hac in parte aliquatenus opitulari, hanc ipsis in mentem & memoriam reducendo, vt eam queant procurare. Sed videndum hic, vt eò, quò oportet modo idipsum proponatur; quia periculum est, ne se amor proprius ac judicium aliquando admisceant: proinde vt in hoc fine vllo scrupulo & securè procedamus, duo seruari oportere, Beatus Pater ait: *Primum, vt antequam ad Superiorem quid referant, se ad orandum recipiant, & post orationem si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant.*

Note tamē amor tui decipiat. Duo servanda. Ibidem. Primum.

Non id ita intelligendum, quasi tibi salutationes aliquot Angelicæ ante recitandæ sint, ac deinde ex abrupto proponendum, quod in mentem inopinato veniet: sed per eam quam antè propositionem fieri vult orationem intelligit, vt primum tecum ipse in quiete perpendas & examines. Num ad majorem Dei gloriam sit futurum, istud proponere, vel num in eo te ipsum quæras. Nam si posteriori hoc intento moueri te sentis, minimè res erit proponenda: at si in majorem Domini Dei fore gloriam credas, Superiori eam proponere ne dubites.

...adum.

Alterum quod spectandum monet, est. *Vt cum verbo aut scripto breui (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, & totam curam rei expositæ relinquant: & quidquid ille statuerit, optimum ducant, nec contendere aut vrgere per se vel alium (sive concedatur, quod petitur sive non) pergant, quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium, ac suum maius bonum, quod Superiori re intellecta visum fuerit.*

Adeò vt tàm antè quàm postquam rem proposueris & repræsentaris, magnam quandam præferre indifferentiam debeas, non solum quoad ipsam executionem, vt videlicet rem, de qua agitur æquanimiter vel concessam admittas;

vel negatam dimittas, verum etiam in id, tanquam melius ducendo & existimando, quod Superior circa eam decreuerit.

Præcipuum quod in hac propositione spectandum venit, est, vt adeò indifferens quis sit in eo quod petit, vt æquè contentus & quietus sit, siue id concedatur, siue negetur. Atque hinc liquidò patebit, purene Dei gloriam, an vero se ipsum quæsierit. Nam si Dei voluntatem & gloriam purè quæsiuit, gaudebit omni eo, quodcunque demum Superior decernet: cum jam prænorit hanc Dei voluntatem esse, ore Superioris declaratam.

At si, dum petita negantur, in animo conqueritur, reluctatur, & murmurat; signum est eum indifferenter se non habuisse, nec purè in ijs Deum, sed se ipsum & proprias cōmoditates spectasse. Nam ideò animo dejectus est, & turbatus introrsum, quia petitorum non est factus compos.

Proinde id potissimum quis ex ea oratione, quàm ante rei declarationem instituit, elicere debet, videlicet, vt ita se ad quidlibet, quod à Superiore respondebitur, indifferentem ostendat, vt perinde se habeat, siue res postulata sibi concedatur, siue denegetur. Atque hæc est optima, quam adferre quis queat hanc propositionem faciens dispositio: nam ita fiet, vt tam eum delectatura & satisfactura sit denegatio, quam concessio. Consultum quoque foret, vt, cum postulata jam conceduntur, reflexione ad se facta, videat, num si sibi denegata fuissent, æquè contentus fuisset: id namque valdè bonum signum erit, quare tunc quietus & securus esse potest, se in rei concessione non suam, sed purè Dei Opt. Max. voluntatem facere.

Dico, ergo hoc modo rem aliquam Superiori proponere, adeo non obedientiæ perfectioni aduersari (cum indifferentiam & resignationem non excludat) vt majorem etiam perfectionem ac mortificationem patefaciat, ipsam vero non

proponere (præterquam quod inobedientia sit, signanter & directè regulæ præmissæ repugnans) imperfectionem esse apertam & immortificationem. Aduertit v. g. quis aliquid sibi noxium esse, aut contra se re quapiam opus habere; & Superiori id non declarat; sed sic secum ratiocinatur: si hoc mihi detur, benè habet; sin minus etiam benè: atque id fortasse putabit, mortificationis speciem, vel patiendi desiderium esse, aliud tamen non est, quam mera immortificatio & voluntas non patiendi, majorem namque difficultatem & animi repugnantiam sentit in eo ad Superiorem referendo & declarando, quam in patiendo eo, quod patitur; credens nimirum à Superiore habendum se, vt hominem de se, suisque commoditatibus, nimiopere laborantem. Id quoque interdum est immortificatio è carentia indifferentiæ promanans: dum sic apud se reputat: Nuper nescio, quid Superiori meo proposui; ipse verò adeò id mihi non concessit, vt etiam præfractè & durè responderit, vnde mecum statui, exindè eum amplius, non adire; quid ab eo petiturus, nisi dum planè eo carere nequeo. Omnia verò hæc indè ortum habent, quod indifferenter te in declarando non geras, nec satis tibi constantiæ aut virtutis sit ad negantis vultum verbaque sustinenda, ideoque pati rem mauis, quam proponere. Consideremus hic oportet, tum dæmonis fraudem, tum propriæ nostræ voluntatis robur; vtpotè quæ facit, vt eam, quam habemus necessitatem è propria voluntate pati velimus, imo & pati malimus, quam ad Superiorem eam referre, quod vereamur, ne id quod petimus, nobis denegetur. Quod etiam in amoris proprij, & propriorum nostrorum commodorum terminis ac materia error insignis est & cœcitas. Quia, demus, ipsum nobis à Superiore negatum iri, & prout tutè tibi fingis pessimum postulationis tuæ successum fore; an non tamen melius foret, ipsum quod modo pateris, tunc ex obedientia & Deo volente, quàm è propria tua voluntate (vti jam pateris) pati? Certum est, quod sic. Idque eo etiam magis, quod insigne tibi ex eo meritum accederet, quod ipsum proposueris, & regulam tuam seruaueris: (è quo sanè tibi non parum boni sequetur) nec illæ tibi timendæ essent inconuenientiæ, quæ postquam rem proposuisti, ex ea consequi possent: illa quippè tunc non tibi annumerabuntur, vt annumerarentur, si ipsam non proposuisses; sed rationibus, tum Superioris, tum Dei, qui te per illum regit & gubernat, adscribentur. Vt autem omnia hæc inconuenientia caueantur, & ab omni, quæ in eo nobis occurrere posset, difficultate & confusione liberemur, B. Pater nobis regulam quandam particularem circa hoc tulit. Qui enim facit, quod per Regulam suam facere jubetur, quid est, quod timeat, quid est ob quod erubescat? Superiori sanè displicere non potest, sed summoperè placere, quod regulæ quis suæ exactus sit obseruator. Adhæc rei hujus vsus & praxis, quæ in societate tam communis & ordinaria est, vt nimirum etiam in rebus minutissimis ad Superiorem recurratur, hoc ipsum perfacilè reddit; tu proinde vide, ne per tuam id tibi immortificationem difficile fiat.

Rationes suas celare, culpabile esse potest.

Vis voluntatis propria.

Melius est etiam negata, propterea sed fortè propponere, quam tegere Superiori.

Vniuersæ hujus materiæ cardo in eo vertitur, vt ea qua oportet indifferentia & resignatione, res Superiori proponatur: quod ipsum vberius paulo jam est demonstrandum. Qui ergo quid proponere volet, videat oportet, ne aliquam antè determinationem, ac velut præjudicium faciat, cogitans, ipsum optimum ac conuenientissimum esse: hoc namque caussa erit, cur postea inquietetur ac tentetur, si secus ac putarat, eueniat. Sed semper ad ea mente dubia, ac velut in æquilibrio posita magna cum judicii indifferentia Superioris resolutionem ac determinationem exspectans: ita fiet, vt quodcunque demum Superior decernat, ei acquiescat, & in eo penitus conquiescat.

In proponendo seruanda magna indifferentia.

Simile. cat. Ac veluti, dum discipulus aliquis præceptorem adit, speculatiui cujusdam conceptus ac dubij resolutionem postulaturus, ea, quam accipit, responsione contentus & quietus manet; quod adierit, velut discipulus, & cum dubio, eum, qui suus magister est? itaque id velut verum, ac genuinam dubij sui solutionem admittit: Pari modo dubia sua practica, quæ sibi interdum occurrent bonus obediens Superiori proponere debet, incertus scilicet ac dubitans, vtrum magis conueniat, & non magis in hanc, quam in illam partem propendens; vsque dum Superior ipse declarat, quid sequi & fieri oporteat; atque istud habere, vt optimum & certissimum, nec non, vt tale ipsum sequi, eoque magis contentus esse. Adeo, vt in oratione, quam ante propositionem quis instituit prædeterminare non debeat, hoc vel illud ad Dei gloriam conuenientius esse; sed duntaxat statuere, par & conueniens esse ipsum Superiori declarare, in eoque proponendo sibi persuadere; non se ipsum se, sed tutam Dei gloriam quærere: interim tamen semper anceps & irresolutus manere, num res in seipsa conueniens sit, an non, donec postea Superior resoluat ac determinet.

Punctum magni momenti. Est hoc, quam maximè notandum, hinc namque & bona propositio & animi illa tranquillitas, quæ ex eo quodcunque superior respondebit, sequitur, prorsus dependet. Et quoniam res hæc tam frequens & vsitata hic in Religione est, permagni refert eam, prout oportet, facere nosse; & maximum esset Religionis detrimentum, & inprimis dolendum, si in ea re in tantum degeneraremus, vix vt quidquam Superiores subditis hodiè negare possint, quin statim inde amaritudines, differentiæ, & querelæ sequantur, quasi non diligantur, quin imo sibi persuadeant, & fortasse obloquendo murmurandoque palàm dicant, Superiorem rigidum ac durum esse, nec vlli velle condescendere. Profecto si æquanimiter ferimus, nobis à Patribus nostris naturalibus multa, quæ ab ipsis petimus, negari, ita vt propterea eos ceu seueros non sugillemus, aut de debito ipsis amore quidquam remittamus; & quidem tum, cum propriæ voluntati bellum inducere, aut de nobis ipsis victoriam referre non propositum fuit; multo sanè hanc nos æquius erit erga Patres nostros spirituales beneuolentiam ostendere; & quidem modo, cum propriam voluntatem frangere & euincere profitemur. *Simile.* Apud priscos Religiosos moris erat, vt aliquando data opera, subditis Superiores petita quælibet negarent, etsi hæc alioquin sine vllo suo incommodo & damno possent concedere; eo duntaxat fine, vt illos in mortificatione exercitarent, & petitorum negationem ęquanimiter ferre assuefacerent. *Veterũ cœnobitarum mos.* Subditi vero, quæ ipsis voluntatis pessumdandæ occasio offerebatur, æqua mente & hilari, ex nimio profectus in spiritu desiderio eam admittebant.

Quid ergo foret, si non solum hoc, verum etiam id, quod nobis minimè conuenit, hodie nobis negari non posset, quin statim aliquę inde amaritudines & querimonię orirentur? Quid etiam, si in caussa id foret, vt Superiores interdum subditorum voluntati condescendere cogerentur, petita illis majoris mali euitandi gratia, concedendo? Quod profecto, vt ante diximus, Religioso apprimè timendum est. *Cap. 4.*

Vt porro isthæc propositio majori perfectione instituatur, ea, quam diximus indifferentia & resignatio non interius tantum homini habenda, verum etiam exterius verbis, & ipsa proponendi modo patefacienda est, vt nimirum verba desideriis respondeant, & id quod exterius est interiori opem præstet. *Indifferentia etiã hac foris exhibenda.* Atque ille demum bonus proponendi modus est, qui interiorem, quæ in animo latet, indifferentiam & resignationem declarat; & quò eam magis declarat, eò erit perfectior. Si quis autem ita rem ad superiorẽ referret, vt ne hic quidẽ intelligeret, quo

proponens inclinet, sed ratione subditi jam audita apud se dispiciat, quid fieri conueniat, esset hæc optima proponendi ratio. Hinc porrò id facili negotio intelligetur. Regula quædam prouincialis sic habet. *In proponenda re de qua deliberandum est cum consultoribus*, vt in ea liberè id quod sentiunt depromant, *in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne Consultoribus declinandi in eam partem detur occasio, sed quisque liberiùs in Domino suam sententiam aperiat.* Hæc autem & Superiori optima quid proponendi est ratio; nimirum id verbis adeo apertis & simplicibus proponere, vt vix ipse superior intelligat, quonam mente propendas; ne id fortè in caussa sit, cur postulatis tuis, infirmitatis tuæ ratione habita condescendat; sed dispiciat ac videat, quid hic à parte rei conuenientius sit, nullo ad tuam deuergentiam ac propensionem respectu habito.

Regum 15.

Exemplum indifferentiæ hujus.

Duo præclara hujusce rei exempla in Euangelio habemus: primum est modus ille & formula, quæ filio suo carissimo Deipara mater, in nuptiis illis ad quas fuerant inuitati vini defectum declarauit; dicens, *Vinum non habent*, Non ait, Prouide, Domine, huic defectui (potes namque) ac supple, ne sponsi pudore suffundantur; solum simpliciter & nude ipsam necessitatem repræsentat.

Iohan. 2. 3.

Secundum exemplum.

Alterum est modus ille, quo Maria & Martha fratris sui Lazari inualetudinem Redemptori significarunt: Miserũt namque per nuntium ad eum litteras, quarum hæc erat summa: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Vnde benè super illum locum, sic notat Sanctus Augustinus: *Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni & sana: non ausæ sunt dicere. Ibi iube, & hic fiet, vt Centurio; sed tantum Domine, ecce, quem amas, infirmatur, sufficis vt noueris, non enim amas & deseris.* Hoc ergo modo nostra nos postulata Superiori aperire oportet, puta verbis tam claris & simplicibus, vt necessitatem declarent, non autem quid ipsi desideremus, neu quo inclinemus. Atque ita securi erimus, nobis Superiorem non condescendere, neu nos ipsos nos quærere.

Ioan. 11. 3.

Hom. 2. super hoc Euangel.

Hunc proponendi modum expressè nobis in Constitutionibus Beatus Parens noster assignat, de infirmis & ægris agens, qui aliquod mundi clima valetudini suæ obesse sentiunt. Ait ergo ægrum hunc loci mutationem quærere non debere, neu aliquam huc propensionem ostendere; sed suam duntaxat infirmitatem & inualitudinem, nec non ad necessaria ministeria obeunda ineptitudinem declarare; reliquum vero Superiori debere relinquere. Hic itaque tunc dispiciat oportet, num futurum sit expediens aliò eum mittere, vbi plus sit fructus meliori vtens sanitate, facturus; vel num è contra major Dei futura sit gloria hoc in loco eum manere, esto minus, atque etiam nihil prorsus, agat, quia fortasse id illi in particulari expedientius erit. Si ergo in re, cujus tantoperè nostra videtur interesse, tantam Beatus Pater indifferentiam & resignationem exigat, vt non modò nos loci mutationem petere, verum etiam vllam ad eandem animi inclinationem ostendere nolit, quam petet in rebus alijs, quæ minoris sunt momenti? Quoniam vero subinde rem nec possumus; nec scimus proponere, quin facilè Superior intelligat, quid desideremus, & quonam propendeamus; vtile & laudabile inprimis est id, quod vsurpatur à nonnullis nempè vt postquam dilucidè & simpliciter, rem proposuere, superiorem ex animo rogent, nullam prorsus, vt sui commodi, delectationisque, sed tantum majoris Dei obsequij ac gloriæ rationem habeat; declarantes ei; insigne sibi quoad hoc beneficium collatum iri, ac maximo id solatio fore, quod Dei se in hoc voluntatem

3. p. Const. c. 2. litt. G.

tatem facere intelligant; & econtra maximo cordolio & amaritudini, si eum suo ipsorum nossent desiderio morem velle gerere, quod in eo suam ipsorum, non Dei, nec superioris, voluntatem facturi viderentur.

CAPVT XVI.

De nimia de iis, quæ ad corpus spectant solicitudine: & quantopere in his omnis fugienda sit singularitas.

8. p. Constit. c. 2. §. 1. & regul. 46. summarii.

SIcut B. P. N. laude dignam esse ait moderatam ad diuinum obsequium, valetudinis ac virium corporis curam, ita quoque dicit, nimiam solicitudinem in iis quæ ad corpus pertinent, reprehensibilem esse. Quoniam verò de primo membro iam locuti sumus, ideo hic iam agemus de secundo. Omnibus quidem in rebus perdifficile est seruare posse medium; maximè tamen & imprimis in hac circa corpus & valetudinem nostram solicitudine: proprius namque nostri ipsorum egregius est rei huius curator & pararius, atque ideo quam primum peritum medicum agit, suggeritque hoc officere pectori, illud stomacho, hoc lædi caput, illo oculos, atque ita, sub prætextu necessitatis, sæpe numero insinuare se solet sensualitas & lautitiæ.

Serm. 30. in Cantica.

Præclare hac de re differens S. Bernardus acrius inuehitur in eos, qui nimiopere de corporis valetudine sunt soliciti, & per eius conseruandæ speciem, ciborum quædam effingunt discrimina, quos Hippocratis & Galeni ait potius discipulos videri quam Christi. Hæ namque ciborum exceptiones, differentiæ & proprietates non in Euangelio, non in vniuersa sacra scriptura, sed in medicorum aphorismis traduntur: Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuiis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix possit quid comedas. Puta, quæso, monachum te esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Quatuor autem egregias, easque apprime practicas, rationes eo loco Sanctus Bernhardus assignat, ob quas communitatem sequi & omnem singularitatem fugere conuenientissimum sit. Parce, inquit, obsecro, primum quidem quieti tuæ, singularitates quippe illæ magnam secum trahunt inquietudinem vt subinde homo sic apud se disquirere debeat: Mihine, quod peto, dabitur, vel negabitur, iam si detur, an non dandum sit ægre & illubenter? & esto mihi detur id, ad tempus differtur, & exspectare cogor; &, si forte semel datur, sæpe & vt plurimum non datur. Quanta, in hoc inquietudo consistat, nemo nouit, nisi qui eam experitur? communibus verò contentum esse posse magnam causat quietem. Secundo Parce labori ministrantium. Vide enim qualem in hoc laborem & molestiam crees coquo, refectorii curatori, nec non mensæ ministris, dum eos omnes occupas, & vt tibi vni faciant satis eundo redeundoque solicitos discursare facis. Itaque ab hoc eos onere & molestia libera. Tertio, Parce grauamini domus. Considera inquam tuis te singularitatibus domui valde onerosum & grauem esse: nam commune & ordinarium pro omnibus iam paratum est: & hoc quidem sine vllo prorsus grauamine & onere fit, at tui vnius extra ordinem phantasmatis appetitibus & particularitatibus non necessariis morem gerere, permolestum domui est & fastidiosum. Quarto, parce conscientiæ, conscientiæ dico non tuæ, sed alterius, fratris videlicet tibi assidentis, & data comedentis, quem tua tu in cibo singularitate scandalizas: etenim illi occasionem das interius de te murmurandi, & te vt delicatulum & molliculũ culpan-

di: vel si forte iis te non iudicabit, quod his te norit opus habere: in animo Superiorem diiudicauit ac murmurabit, nec non illos quorum id erat curare, eo quod quæ tibi necessaria sunt, ea minime procurent.

Aliqui, inquit Bernardus, quod hac in parte faciunt, D. Pauli exemplo excusare & purgare volunt, vt qui discipulum suum Timotheum sic bibere vinum iubet: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Quibus ipse respondet primo; Aduertant, ait, nec Paulum hoc consilium sibi vsurpare, sed dare alteri, neque alium illum has sibi delicias captasse, sed has illi nec procuranti nec petenti vltro concedi: tu vero delicias & singularitatem tibi procuras & petis. Vnde maxime, inquit, suspicor ac vereor, ne prudentia carnis sub specie discretionis irrepat, & mera sit sensualitas, quod esse putas necessitatem. Secundo, aduertant hi, inquit, Paulum non cum Religioso agere, qualis tu es, sed cum Episcopo, qualis Timotheus erat, cuius vita & bona valetudo tunc, nempe sub initium Ecclesiæ tam necessaria erat. *Da mihi alterum Timotheum*, inquit, *& ego cibo eum si vis, etiam auro fluido & poto balsamo.* Et simul addit, *Id te saltem volo admonitum esse, vt si tibi ista auctoritas Apostoli placet de bibendo vino, Modico, quod ille adiunxit non prætermittas.*

Tim. 5. 23.

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Eustochium, quæ de custodia virginitatis est, primum eius custodiendæ præceptum & remedium esse ait, vino abstinere: *Sponsa Christi vinum fugiat vt venenum.* Est hæc gnome imprimis notanda, vtpote consentanea illi Paulinæ, *In quo est luxuria.* Et subnectit mox D. Hieronymus, *Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmoniorum. Non sic auaritia, quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?* Vt autem ad propositam materiam reuertamur aliud nihil hoc loco Religiosis inculcare volumus, quam quod à SS. Basilio *a*, Bernardo *b*, Bonauentura *c*, & aliis, & iam serio inculcatur, nimirum vt communibus quæ in Religione passim vsurpantur, contenti esse, in nulla autem re, quoad licuerit, singulares esse velle assuescamus. Vt porro hoc melius nobis persuaderetur, satis sane erat considerare, hoc pacto nos à multis inquietudinibus, amaritudinibus, multisque iudiciis tum de nobis ipsis, tum de aliis, vti antè diximus liberari. Imò verò vel sola nostri proprii commodi causa, vt nimirum in Religione quietè gauderemus, & contenti essemus, ipsum seriò procurare nos oporteret: esto alioquin aliquod in eo incommodum subeundum esset. Hoc namque pluris est, & præponderat omni fructu, qui è singularitatibus illis nobis queat obtingere. Potissime vero huc impelli & emoueri deberemus, quod hac ratione fratres nostros valde simus ædificaturi, magna Superiores lætitia affecturi, DEO denique summopere placituri.

Epistol. ad Eustochiū.

Ephes. 5. 18.

a Serm. de renunt. sæculi, & spirit. profectu.

b Vbi supra & in formul. honestæ vitæ.

c Vbi infra.

Est hoc autem imprimis notandum: est enim doctrina valde practicabilis, & apprime proficua. Inter maxima, quæ in Religione quis Deo deferre potest obsequia & sacrificia; inter maximas optimasque corporis asperitates & mortificationes tum eius maiestati acceptissimas, tum animæ vtilissimas, fratresque maxime ædificantes, non postremum meo iudicio locum obtinet, si ita, totum vitæ tempus in Religione traducat, nihil vt particulare in ea habeat, & ad finem vsque in sancta hac abstinentia & integritate maneat, communem Religionis rigorem, in omnibus obseruando, & communi omnium cibo, vestitu & opere semper contentus, nullum sibi priuilegium, exemptionem, aut singularitatem ambiendo. Cum porro aliqua tibi necessario subeunda sit asperitas, aliquod mortificationis exercitium vsurpandum, hæc, præcipua tua sit poe-

In religione communem vitam agere, est magna austeritas.

Bonau. de informat. nouitior. cap. 9.

sit pœnitentia ac mortificatio. Hinc Sancti Patres, & spiritualis vitæ formatores asserunt, alias extraordinem austeritates taliter temperandas ac moderandas esse, vt tibi semper ad hoc, ceu ad omnium præcipuum & caput, vires suppetant. Parui quippe tuas Superior flagellationes, & cilicij gestationes ducet, si postea te communibus & ordinariis rebus, quibus cæteri vtuntur, contentum non esse comperiet, sed proprias in vestitu, cubiculo, aliisque in rebus necessariis commoditates ac delicias sectari: En tibi ergo hic pœnitentiam quamdam, ad quam faciendam iam tum plenam facultatem habes, & quam te facere Superiores gaudebunt, quam denique ipse sine vllo euanescendi periculo suscipere potes: quia nullam sic videris pœnitentiam facere: nec aduertunt alii: vtrum te mortifices; nec ne. Est deinde hæc vna ex optimis, Deoque gratissimis, quas inire austeritates potes. Simplex quoddam & commune id vitæ genus esse videtur, coram DEO tamen singulare est, & solida securaque imprimis perfectio & sanctitas.

Singularitates & priuilegia à vita comuni sibi sumere, est causa magnæ dissolutionis regularum &c.

In quæst. circa regul. 19. & de informat. nouitior. c. 9.

Contra nihil est Religioni damnosius & quod præiudicet magis, quam si qui in illam singularitates, priuilegia, & quasdam à communi vita exceptiones introducere, & sibi arrogare incipiant, quocumque demum id prætextu fiat & titulo etiam vt ipsis quidem videtur, æquissimo. Porro id ita verum est, vt S. Bonauentura hoc inter præcipuas teporis remissiorisque in Religione disciplinæ causas annumerare non dubiter. Esto, inquit, diutius in ea egeris, multumque laboraris, magnopere tamen per hoc illi noces: qui enim post te, Religioni nomen dant, interiorem virtutem tuam nō vident, nec quid quantumque ante eorum aduentum laboraris, considerant, sed solum in exemplum, quod in præsens in regulari obseruantia illis das, oculos conijciunt: in qua seniores & veteranos præire sibi ac prælucere nouitii ac tirones vellent: & sicuti, quoad ingressum in Religionem fuere primi, ita etiam in Regularū eius obseruantia primos esse, in hac iis qui cum nouo Deo seruiendi feruore Religionem ineunt, ducatum præstando, & exemplo prælucendo. Si autem secus illos agere nouitii comperiunt, vel scandalizantur, vel eorum exemplum quam primum affectari incipiunt, ad eorum imitationem intepescendo. Egregie hoc intellexit S. N. P. Vnde vt ingens, quod inde sequi poterat, damnum præuerteret, inter alia quæ rogari iubet eos, qui Societati dare nomen & in eam admitti volunt etiam hoc annumerat, *An contenti futuri sint eodem atque alii modo in Collegio agere, nullisque priuilegiis aut prærogatiuis minimum omnium qui in eo fuerint anteire, omnem sui curam Superiori relinquendo.* Imprimis autem hoc peti vult ab iis, qui litterati & in Religione viri magni & eminentes futuri sunt. In illis quippe aliquod esse videtur periculum posse, ne quas sibi singularitates & exemptiones arrogare velint. Non vident autem, qui huiusmodi sunt, quantum hac via communitati, etsi alioquin in rebus minutis detrimenti creent. Statim namque ecce tibi alius, qui non minus se laborasse, & tantum re illa opus habere putat, quantum prior ille, idem sibi vult concedi: deinde & tertius, qui etiam paulo minorem eius necessitatem habet; mox & quartus; atque inde fit, vt disciplinæ Religiosæ vigor paulatim decidat, & pessum eat. Hac de causa id hominum genus D. Bernardus vocat vnionis diuisores ac destructores, ac pacis hostes. Consultius sane & melius esset, vt non prædicares, & id genus negotia non curares, quam vt has tibi singularitates atque exemptiones arrogares, quia plus per has destruis, quam per aliud illud construis.

Cap. 7. Examin.

Exceptiones à Societate exclusit S. P. N.

Ideo nos hac in parte S. P. præmunit, & omnes à Societate exceptiones & singularitates nimis quam procul abesse debere

debere monet, neu ad eas sectandas occasionem esse debere, quod diu in ea quis vixerit, aut miles veteranus sit, aut quod in Academia doceat, aut ad populũ concionetur; aut denique alias Superiorem egerit. Verum hoc fundamentum nobis semper præ oculis habendum, videlicet, non magis quempiam sibi in Societate nocere posse, quam quod occasionẽ det, è qua alij socii haud ægre intelligãt, eum propterea, quod aut Veteranus aut Professor, aut Concionator, &c. sit, exemptiones aliquas & priuilegia sibi ambire, & velle vt sibi extra ordinẽ, & præter communem aliorum vsum quid in rebus necessariis concedatur: Seniorum & aliis doctiorum in Societate est, magis fratres suos omnibus in rebus ædificare, & suo disciplinã Religiosam exemplo, tum conseruare, tum apud alios promouere, humilioribus se conformando. *Non alta sapientes sed humilibus consentientes.* Huic vsui scilicet deseruire litteræ debent, & diuturnior in Religioso statu vita.

Rom. 12. 16

Capvt XVII.

Respondetur obiectioni & scrupulo dicentis, quod homini suæ valetudinis habenda sit ratio.

QVoniam vero nulla re magis, & nullo æquiori titulo ad ambiendas aliquas particularitates moueri solemus, quam ipsa, qua ad valetudini seruiendũ & vitam conseruandam teneri videmur, obligatione; hinc vt huic quæstioni faciamus satis, quædam hic afferemus, quę circa eam vulgo Doctores tradũt. Notãt primo (& est communis omniũ doctrina) aliud esse, seipsum de facto interficere, vel data opera vitam abbreuiare, hũc in finem aliquid assumendo & faciendo (illicitum hoc enim est & peccatum grauissimum) aliud vero esse, de valetudine & vita conseruanda non laborare, & hãc prolongare nolle: quia adeo hoc non illicitum, vt etiam licitum esse censeant. Nemo quippe tenetur curare, vt vitam vel producat vel conseruet, delicatioribus adhoc cibis, aliisq; rebus extraordinariis vtendo: vti nec tenetur viuere & commorari in locis salubrioribus, etsi alioqui diutius & maiori in sanitate ibi se victurum nosset. Non item tenetur cibos salubriores, & complexioni suæ conuenientiores procurare, etsi pro certo sciret per hos se victurum & diutius & sanius. Certum id est & euidens: qui enim secus diceret, omnia is cum Ecclesiæ, tum Religiosorum institutorum, ieiunia, abstinentias, & austeritates condemnaret & euerteret. Imo verò Theologis & Sanctis Patribus asserentibus, reprehensioni vt plurimum subiacet, ac præsertim in Religiosis hominibus huiusmodi delicias consectari. Ne quidem dum quis iam infirmus est, tenetur exquisita, valde pretiosa ac sumptuosa, ad vitam conseruandam medicamenta conquirere, vti nec medicos raros & peritiores: imo omnia hæc in Religioso, qui humilitatem & paupertatem profitetur, reprehendenda sunt: satis eum est vulgaria, communia & facilia, quæ vt plurimum conuenientia sunt, media adhibere: nam, cum vita ac valetudo corporis nonnisi bonum temporale & transitorium sit, &, vitæ ac salutis animæ respectu, exigui momenti, hinc ad plura nos, quam adhoc, noluit Deus obligare. Hinc non solum ab eo, quod extraordinarium, & exquisitum, licet abstinere, & aliquid auferre, verum etiam ab eo, quod commune & ordinarium. Sic videmus Religiosos & Dei seruos, id de alimento suo, somno, commoditatibus & tractatione corporis detrahere, quod & alii communiter vsurpant & ipsi licite vsurpare possent. Et hoc ipsis non modò vt licitum permittimus, verum etiam vt sanctum laudamus; esto, hoc valetudini suæ noxium ac detrimentosum esse,

Aliud est, de facto & ex proposito vitam abbreuiare: aliud, nolle eam prolongare: hoc licitum, istud illicitum.

esse, & propterea breuioris se vitæ futuros sciant, quemadmodum est non licitum modo, sed & magnæ virtutis indicium, ac meriti seges, pro proximi non anima solum, verum etiam pro vita eius temporali mortis se periculo exponere, & vitam temporalem prodigere, vti re ipsa præstant, qui pestifera lue aliove contagioso morbo infectis inseruiunt & medentur: pari modo licitum, laudabile ac multæ virtutis est, ad, propriæ animæ mortificationis fructu, succurrendum, exiguo se vitæ periculo exponere aut sanitatem corporalem modice lædere. Si quis, vt pannum aliquem sibi comparet, idque ad familiam commode alendam, & honoris aliquantulum comparandum, mari se committere audeat, in Belgium vel Indiam nauiget, laboriosas ducat noctes, & dies etiam laboriosiores, cum notabili suæ sanitatis detrimento & euidenti vitæ periculo, atque id etiam, vt licitum ei concedamus; quanto magis id homini licitum, laudabile & sanctum erit, ad spiritualem propriæ animæ sanitatem, vt sic caro spiritui subijciatur & pareat, ne quam, contra ipsum, rebellionem moueat, & aliquam traditionem moliatur? Atque hoc demum esse dicimus, pœnitentiam facere. Id vero si auferamus, omnes prope, quæ in Dei Ecclesia vsurpantur, pœnitentias tollere, necesse foret.

...otest quis ...ger medicinam recusare, nolle vitam producere ex Dei amore.

...auarr. in ...iet. 22. ...97. ar. 1. ...mma c. ...n. 41.

Quærunt insuper in scholis suis Theologi, num alicui seruo Dei è colicis torminibus, vel stomacho grauissime laboranti, aut vulnus magnum dolorem afferens habenti, liceat nolle curam aut sibi medicinam fieri, sed ipsum ex Christi amore pati, dummodo mortis periculum non sit?

Respondent licitum id esse, & adferunt ad hoc probandum exemplum S. Agathæ, ad quam cum S. Petrus in figura cuiusdam senis, venisset; eius præsectas à tyranno mamillas curaturus, eas sibi restitui noluit, dicens, *Quia medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui.* Adducunt quoq; ad hoc alia multorum spiritualium & perfectorum hominum exempla, qui colicos vel stomachi dolores patienter ferunt, nullum sibi cõtra eos remedium adhiberi patiẽtes, quo carnem mortificent, ac spiritui subijciãt, dolores, passionemq; Domini quadantenus sentiant; itaq; eius participes sint, in quibus etiam doloribus mire hilares & contenti sunt, mirificeq; inde proficiunt. Adhæc, vt appareat non tanti sanitatem & vitam esse, vt de ea procuranda ac conseruanda, vti nonnulli censent, laborare nos oporteat, hunc Theologi casum ponunt: Versatur, inquiunt, quis in præsentissimo moriendi periculo, nisi illi pes aut brachium præscindatur; quærunt itaq; num membrum illud sibi resecari pati tenebitur? Et dicunt, quod non: & ad hoc propositũ adferunt illud quod simili in casu alius ille olim ait, *Non est tanto dolore digna salus* & vita. Tradunt præterea scholastici, neminem medicinas vt vita sua prolongetur adhibere teneri, esto norit, eam, iis non adhibitis etiam abbreuiandam, v. g. Dicentibus medicis, vt singulis mensibus vel annis catapotia purgandis humoribus sumat, hæc aut illa medicamina vsurpet, cauterium sibi hac in parte vel illa inuri sinat, minime auscultare tenetur, etsi decẽnio citius mori deberet. Addunt insuper, etiamsi quis sciat, se vinum vel purum, vel niue infrigidatum ac dilutum bibendo, breuioris vitæ futurum, non teneri sub peccato mortali, vinum vel niuem omittere. Iam hæc proposito nostro adaptemus. Si, vt gulæ satisfaciant, vt frigidum bibant, vt sapidas quasdam & delicatas lautitias comedant, vel aliis id genus deliciis gaudeant, homines de sanitate sua conseruanda vel de vita producẽda magnopere soliciti non sunt, nec vllam rei huius rationem habent, nec eos propterea ipsi condemnamus; cur tantam sanitatis valetudinisque suæ rationem Religiosus habeat, vt ob imaginariam persuasionem, qua hoc illi credat obfuturum, illud vero plus profuturum, regularum obseruantiam proculcet? Et vt de-

Plutarch. in Mario.

Si licet sæcularicommoda quadam reiicere ad vitam longius extendendam, id etiam magis religioso.

mus, non inanem id imaginationem, sed sinceram veritatem esse, hanc quæso necessitatem, & quod, inde ei consecuturũ est, commodum (quod etiam valde incertum est, & potest alia bona in contrarium esse ratio) in vna tutinæ lance, inquietudinem vero & turbelam tam propriam quam alienam, & malum quod fratribus datur exemplum, & quæ hinc sequuntur incommoda, in altera ponamus; videbimus, quam hæc præ illis infinite plus sint ponderatura, quod mundani faciunt & tu fortasse etiam sæpius fecisti, vt gulæ satisfaciant & voluptatula saporis fruantur; an non id te æquum erit facere ad vitam Religiosam viuendam, ad communitatem sequendam, ad scandalum, malumque exemplum, quod fratribus per singularitates & delicias tuas dares, euitandum?

Hoc saltem hinc colligimus, hominem ad singularitates has & commoda procurandа, minime obligari. Quantum ad scrupulum spectat, securus esse potes, nullam hinc eius habendi occasionem esse, esto etiam minus tibi præberetur, quam tum præbetur, cum vix quidquam præbetur, & deterrime tibi fit, tam cum bene vales, quam cum ægeres, esto etiam aliquod sanitatis detrimentum ideo patiaris: sed melius te facturum, & maiorem perfectionem fore, si quid patiaris, & hoc vt pœnitentiam suscipias, quam si delicias & commoda tua efflictim procures, & quod maior tui ratio non haberetur, nec tanti, quanti faciendum te putas, forte fias conquerare. Non vult enim Deus, vt tantopere de valetudine & sanitate soliciti simus. Vnde S. Bernardus illud Christi: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, exponens, ait, Hippocrates eiusque sequaces docent, quomodo vita in hoc mundo conseruetur; Epicurus amare voluptates, magnaque contentione quaslibet delicias sectari, at Christus Iesus Redemptor noster, vitam & animam perdere, delicias & voluptates corporis contemnere & præ animæ bono, minimi ducere. Tum iam vide, quemnam ex hisce Magistris sequi velis; vtrum Christi an vero Hippocratis & Galeni discipulus esse malis. Quibus addere ipsi poterimus, experientia docente videre, nos, eos, qui delicatuli & singulares sunt, vt plurimum malo affecto & languido esse corpore, & aduersa plerumque valetudine conflictari, & non raro per ea ipsa media sanitatem detere re, per quæ eam stabilire putant; & è diuerso eos, qui Deo superiorique confisi, communitatem sequuntur, & rebus omnibus se accommodant, vegeto sanoq; in Religione esse corpore, & athletica quadam firmitate gaudere.

Serm. 30. in Cantic.

Hippocrates docet vitam tueri, Christus perdere.

Cassianus hic aliud obseruatu dignum notat. Esse videlicet quosdam, qui nonnullas sibi singularitates præberi cupiunt, non tam quod iis opus habeant, quam ex auctoritate quadam, præsumptione sui, fastu & superbia, volunt namque maiorem sui, quam aliorum rationem haberi, & hac prærogatiua ab aliis distingui, eo, quod veterani sunt Concionatores, Professores, & Magistri scholares. Et hi, inquit Cassianus, vt plurimum, nec valde spirituales sunt, nec virtutibus conspicui.

Lib 6. de instit. renunt. c. 23.

Singularitates sibi quidam procurant ex fastu.

Videmus, quippe ait, & legimus priscos illos Patres, qui stellarum instar in Ecclesia Dei, disciplinæ Religiosæ obseruantia resplenduere, magnos communitatis amicos, singularitatum omnium inimicos fuisse: & hos, nostrum est, imitari.

Non hinc tamen efficere volumus anxie se hominem retinere & cohibere debere à proponendo superioribus suis id, quo opus habebit. Certum namque est in magna familia semper esse aliquos, qui rebus aliquibus particularibus indigeant: parem namque omnes habere valetudinem nec possunt, nec æquales adferre corporis vires. Vnde id etiam omnes norint oportet, ne-

moque ex ijs, quæ diximus, occasionem de alio serius diiudicandi sumat, sed vt dum aliquem singularitates & p æeminentias nonnullas vsurpare videbit, has ei pernecessarias esse credat, eique ac infirmitati illius compatiatur. Noli, inquit Bernardus imitari quosdam, qui cum condolere & compati proximo debent, ei inuident. *Videt*, ait, *hoc alter quispiam, & fortaßis incipiet inuidere, cui condolere debuerat. Hinc accidit, vt sæpe beatificet eum in corde suo ea de re, vnde miserum se ille reputat, moleste ferens necessitatem suam*, & quod communitatem sequi non possit: quod profecto magis ipsum cruciat, quam ipsa, quam patitur, infirmitas.

Serm. 1. de volit. & Caßit. cord

Quemadmodum nec inuideremus, nec murmuraremus, quin cōdoleremus ei, cui quod magis ægrotaret, plura & pretiosiora medicamenta præberentur: ita si tu prout oportet, intelligeres, quam hæc illi singularitas grauis & amara sit, tantum abest, vt ei hanc inuideres, vt compatereris potius, Deoque ingentes gratias ageres, quod tu plus cibi, somni, vestium, commoditatum opus non habeas, sed communitatem sequi valeas & communia tibi satis esse possint.

Et addit, Bernardus, eum qui singularitates alijs subministrari solitas curiose considerat, easque oculo liuido intuetur, satis ostendere, cogitationes nimis quam abiectas esse & sui cordis affectus totos in sensualitatem & delitias ferri.

Concludit demum vir sanctus, in quo & ego materiam hanc concludere possum: Non id propterea inquit, dico fratres mei quod de aliquopiam vestrum hac in parte in præsens conquerendi occasionem habeam, sed necessarium mihi visum fuit vos huius rei commonere & præuenire, quod inter vos aliqui teneræ & delicatæ complexionis sint, quibuscum vel ratione ætatis, vel infirmitatis ac debilitatis, aliquatenus dispensandum sit.

Sed Deo gratias ago, quod vestrum multos videam tam rerum suarum satagentes, tam de in via perfectionis progrediendo solicitos, tam denique a cogitationibus hisce terrenis & sensualibus remotos, vt nulla debilium & necessitatem habentium, inter quos agun, ratione habita, nec in singularitates eorum oculos conijcientes, semper ad seipsos eosdem conuertant, seque ipsos identidem incusent & increpent, persuasum habentes, se esse, qui minime omnium præstent. Vnde omnes se & Superiores & meliores existimant, Secundum illud Apostoli consilium, *superiores sibi inuicem arbitrantes.* *Phil. 2. 3.*

Addit tandem & aliud consilium, dicens consultum esse vt non tam respiciendo eos, qui particularitatibus his opus habent, nec ad illas reflectendo in vnum atque alterum ex ijs qui maiorem domi feruorem præferunt ac meliori exemplo collucent, oculos conijciamus, eosque pro viribus studeamus imitari? Ac simul refert, quid sibi in quodam è suis fratribus contigerit, & quo se mirifice scribit fuisse delectatum. *Bernard. Vbi supra.*

Venit ad eum summo mane monachus laicus, & ad eius pedes prostratus exclamat, Væ mihi pater, quia hac nocte in Matutinis triginta in vno fratrum virtutes enumeraui & consideraui, quarum ne vnam quidem in me reperio.

Laudabile ergo exercitium est, fratrum nostrorum virtutes considerare & intueri Atque is, sermonis huius mei, inquit, sit fructus: nimirum semper in alijs virtutum ipsorum notare excellentiam, non autem imperfectiones vel defectus, & è contra in nobis, non quod præsumptionis & inanescendi sed quod veræ humiliationis nobis esse potest occasio, spectare

Virtutes in alijs, considerandæ, defectus vero in nobis.

Quid enim refert te magis quam alium laborare & ieiunare posse, si ille te præcellat virtutibus, si inquam maiorem te habeat humilitatem patientiam & caritatem? quid item ad rem

 facit

facit, non tantum eum posse ieiunare vel laborare quantum tu? Quare ait in posterum in fratribus tuis magis attende ad bona quæ habent, & tu non habes, bonum vero, quod tibi ipse habere videris noli intueri, sed esto magis solicitus, vt scias, quid tibi vt ad perfectionem pertingas, desit. Ita fiet, vt in humilitate, nos & caritate simus conseruaturi, & in Religione plurimum profectus facturi.

CAPVT XVIII.

In quo ea quæ iam dicta sunt, exemplis stabiliuntur.

Hieron. platus lib. 3. de bono status Relig. c. 16.

RAbandus princeps, in Gallia vir, qui illustri miraculo ad Religionem vocatus est, cum in ea Religiosæ vitæ asperitaté, vtpote lautæri vitio assuefactus, grauiter ferre cæpisset, Abbas quidam, qui tunc erat nomine Porcarius, indulgentia quadam separatos ei cibos paulo commodiores, complexionique eius conuenientiores, præberi iubebat: quibus tamen ille quo magis vtebatur, eo indies tenuior graciliorque fiebat. Itaque accidit, vt quadam die dum fratres reliqui communi mensa, arido scilicet pane & fabis vescerentur, videre sibi visus sit duos senes, alterum caluum, cui binæ claues è collo pendebant, alterum habitu monachum, qui crystallinam pixidem manu gestabat. Hi toto cænaculo circumeuntes vnicuique monacho, nescio quid edulij è vase illo impertiebant, Rabandum solum ita prætereuntes, vt etiam seuero ac potius subirato vultu eum intuerentur. Ille tamen ex eius, qui proxime assidebat partiuncula aliquid suffuratus, vt illud gustauit, visa est illi eius suauitas omnium ciborum quos vnquam in vita sua etiam sæculari comedisset, suauitatem longe antecellere.

Quod visum cum tertio iam contigisset, ad Abbatem accessit, diligenter inquisiuit quinã essent hi duo senes. Intellexit Abbas facile, alterum eorum Petrum Apostolum esse, in cuius tutela erat monasterium, alterum autem Honoratum Monasterij auctorem: causa autem cur ipsi vni illa esca communis negaretur, eam esse, quod communem aliorum seueritatem non sequeretur. Quod audiens Rabandus, animo confirmato ad omnem eius vitæ disciplinam perferendam, multo eam faciliorem & leniorem reperit, quam antea putasset: ac paulo post eosdem sanctos vidit, qui sibi quoque perinde ac alijs, de illo tam suaui cibo tribuerent, quo incredibiliter ad omnem laborem ac duritiam Religionis confirmatus est.

Simile huic exemplum refert Cæsarius, atq; in ordine Cisterciensi quemdam fuisse, magis veste quam vita & operibus monachum, qui quod medicinam calleret, per Prouincias discurrebat, vix vnquam nisi in præcipuis festiuitatibus, ad Monasterium reuertens. Hic in quadam Beatissimæ Virginis festiuitate, cum staret cum alijs ad psallendum, ipsa Sancta Dei Genitrix, multa claritate circumfusa, chorum ipso vidente intrauit, & de pixide quam manu gestabat, electuarium per cochlear hauriens, singulis in os immittebat. Ad ipsum vero veniens, & pertransiens dicebat: Tu electuario meo opus non habes, quia medicus es, & plurimas tibi impendis consolationes. Ille inde contristatus, culpam suam agnouit. In illo tempore nonnisi per obediẽtiam coactus, de monasterio egredi consensit, & ab omni sensuali consolatione abstinuit. In proxima ergo solennitate deipara, prout ante fecerat, ad famulos suos recreandos veniens, cum ad illum ordine venisset, gressum figit, & ait. Quia mores correxisti, tua medicamenta meis posthabens, ecce de meo electuario sicuti cæteris, tibi impertior. *Lib. 7. Dial. c. 48.*

De quo vt gustauit mox tãtum dulcedinis & deuotionis accepit, vt deinceps stabilis in congregatione maneret & omnia carnis commoda tanquam stercora reputaret. Electuarium enim illud

gratia deuotionis erat, cuius dulcedine labor omnis vertitur in delicias.

lib. 4. Dial. c. 80. Venit, inquit idem Cæsarius ad Cœnobium Claraualense Clericus quidam, delicatiori vitæ generi assuetus, qui cum panem conuentus, qui tunc temporis satis vilis erat, abhorreret, atque ex ipsa apprehensione, quod is sibi comedendus esset, animi deliquium pati videretur, nocte quadam Saluator IESVS ei per visum apparuit, panis quo fratres vescebantur, frustrum manu tenens, quem ei porrigens ait, Comede panem hunc. Cui cum Nouitius responderet, Nequaquã vesci potui pane hordeaceo, CHRISTVS vulneri lateris sui panem eundem intinxit, & porrectum comedere iussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore eius. Ab illo enim tempore panem ac reliquos cibos communitatis, quos prius vix tangere potuit, magna cum delectatione & sapore comedit.

p. 1. lib. 1. c. 53. Chron. S. Francisci. In Chronicis Minorum, vbi fit mentio de celebri illo Capitulo, quod à storeis cognominatum est (eo quod culicula fratrum in agris constructa & storeis abinuicem separata, singula essent) & ad quod quinque prope fratrum millia conuenere, & cui item S. Dominicus interfuit, legimus, tantum tunc temporis sanctorum illorum Religiosorum feruorem, & pœnitentiæ studium fuisse, vt non tam calcaribus, quam frenis opus haberent. Nam cum S. Franciscus intellexisset, multos eorum thoraces & loricas squamatas & circulos ferreos ad nudam carnem gestare, atq; inde non paucos morbum contraxisse, sciretque id asperitatis genus impedimento esse, quominus prout oportebat, orationi insistere, & ministeria Religiosa obire possent, atque adeo nonnullos inde emori, in virtute Sanctæ obedientiæ mandauit, vt quotquot thoraces & orbes illos ferratos gestarent, depositos eos ad se deferrent, & ecce, quingentæ tam loricæ quam circuli ferrei, inuentæ sunt. Cum ergo hoc in feruore ordo indies procederet, & fratres eius Capitulo indicto, de illius boni conseruatione, ac progressu tractarent, cælitus fuit B. Fr. reuelatum, cacodæmones aliam, in eius ruinã, quodam in Nosodochio, quod inter Portiunculam & Assisium situm erat, congregationem celebrare, ad quam vno de viginti dæmonum millia & amplius conuenerant. In qua cum varii varias tum S. Patri Frãcisco, tum eius ordini & sequacibus oppugnandis atq; expugnandis, artes & consilia proponerent, tandem quidam te turba dæmon, cæteris vafrior & generosior, tale consilium dedit: Sanctus hic Pater Francis. eiusq; sectatores, tanto feruore mundum ac mundana fugiunt & abominantur, tamq; contente ardenterque Deum cæli diligunt, orationi vacãt, corpora atterunt, vt in præsens parũ aut nihil omnia cõtra eos vestra valitura sint molimina, quare auctor vobis sum, vt ne nunc adeo casso vos labore fatigetis, sed patienter exspectemus, donec Francisco ex hac vita sublato, maior fratrum sit numerus, tum namq; adolescentes quosdã nullo perfectionis zelo succensos, senes honoribus conspicuos, nobiles, delicatulos, Doctores ob doctrinam arrogantes, atque alios debilioris valetudinis in eum ingredi faciemus. Hi deinde ad Religionis nomen & honorem conseruandum, eamque adaugendam passim quoslibet admittent. Hac demum via eos ad sui ipsorum & rerum mundanarum amorem, ad scientiarum desiderium, ad ambitionem pertrahemus: tuncque dilatam vindictam de iis sumere fas erit, multos eorum sub potestatem & ius nostrum redigendo. Placuit omnibus vafrum hocce & astutum consilium, & exspectare aliquantulum satius visum fuit, quam modo inani, cum certa spe fructus, labore sudare.

TRACTATVS SEXTVS.

De obseruantia Regularum.

CAPVT I.

Quam insigne Dei beneficium sit & gratia quod nos Regulis quibusdam obuallarit ac communierit.



NTER alia quæ nobis in Religione Deus Opt. Max. contulit beneficia, non vltimum id est, quod tam multis nos Regulis & sanctis monitis & instructionibus communiat, & velut circuncingat, vt hac ratione ab inimicorum nostrorum violentia tutiores simus & munitiores. Vnde non inscite à Sanctis Patribus consilia Euangelica, ciuitatis cuiusdam antemurali & vallo extimo assimilantur: nam sicuti illa tunc magis custodita & munita est, cum non solum murum habet, sed & antemurale, (licet enim hoc ab inimicis diffringatur, & ad terram deiiciatur, vincendus iis adhuc superest murus intimus, qui eos arcet & excludit) ita & duplici muro Religiones muniuntur ac circumcinguntur. *Vrbs fortitudinis nostra Sion, saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Primo namque nos fortissimo & inexpugnabili legis ac mandatorum suorum muro, deinde & alio exteriori vallo, vel antemurali, regulis inquam & constitutionibus Religionis communiit & cinxit, vt, dum hostes nos impetent, (vtpote quibuscum nobis iuge & perpetuum certamen est) esto summum nonnisi aliquid ex hoc antemurali frangant & deiiciant, primarius tamen legis & mandatorum Dei murus integer semper maneat, & nos salui & incolumes. Non exigua sane Dei gratia est, quod tentatio à qua impugnaris, ad summum nonnisi paruam aliquam regulam te faciat infringere, cuius violatio ne ad veniale quidem peccatum pertingat, & quod modo in Religione etiam maioris facias illam violare, quam forte in sæculo fecisses grauia peccata consciscere.

Regulæ Vallа sunt & propugnacula Religiosorum.

Isaia 26. 1.

Vnde liquido patebit, quam grauis sit pusillanimium nonnullorum in Religione viuentium error, qui dum se regulas aliquas vident transgredi, & imperfectiones nonnullas committere, statim sibi persuadent, propterea quod hoc modo semper imperfectionis via cespitant & inquietantur se melius longe facturos, si in sæculo viuerent, quam in Religione tot imperfectionibus scaterent.

Est hæc grauis quædam Diaboli tentatio & illusio, vtpote quæ circa tanti momenti negotium (ipsam inquam vocationem) versatur: non n. hac aliud intendit, quam vt in mundum reuertaris, & ex hoc Regularum & consiliorum Euangelicorum septo & antemurali te desperabundus proripias.

Tunc quippe tormentis suis & machinis nemine obstante murum legis Dei quatere certatim inciperet, & forsitan breui in peccatum aliquod mortale prolabi faceret. Modo vero tam facile id facere nequit, quod hoc antemurali ita munitus sis & propugnatus, in quo nimirum omnes illius ictus excipis,

cipis, & in quod vniuersa eius tela impacta illico diffringuntur, interim laborum in peccatum mortale procidendi periculo nimis quam procul distante. Et sane esto, multas id genus displicentias & imperfectiones in te sentias, vna sola culpa earum quas in mundo committeres, grauior longe est, quam omnes, quas hic committis. Vnde tibi persuadeas velim, te, quamuis tibi tepidissimus & imperfectissimus videaris, multo meliorem fore hic, quam esses in sæculo.

Vna sæpe culpam sæculo commissa longe grauior est, quam omnes, in Religione contr. etc.

Hæ vna de rationibus est, ob quas nos Religiosum statum permagni facere, & infinitas quotidie Deo ob singulare illud, quod nobis ad eum nos euocando, contulit beneficium, gratias agere oportet. Et si aliud in Religione bonum non foret, quam vnum hoc esset id sane magnum, & vel ob hoc solum in primis ea & optanda & æstimanda foret.

Quid? Anne parum tibi videtur, quod, aliis in arena cum tauris & bestiis feris luctantibus, tu superius tutus, in orchestra alienorum periculorum spectator consideas?

Aliis in medio tempestatum & vndarum maris agentibus, tu in portu ab omni periculo securus nauiges? Aliis in medijs fluminum Babiloniorum vorticibus fluctuantibus & prope pereuntibus, tu in ripa quietus & tutus consistas?

Præterea Regulæ & consilia Euangelica maximo sunt ad legis diuinæ mandata obseruanda adiumento. Qui enim consiliorum perfectionem seruare profitetur, facilis ei fit ipsa mandatorum Dei obseruatio: & exaduerso qui consilia seruare detrectat, nec ad perfectionem aspirat, ægerrime o ipsa Dei mãdata seruabit. Hæc in sensu declarat & exponit S. Thomas illud Christi Domini in Euangelio pronunciatum, *amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum calorum.* Nostine inquit D. Thomas, qua id de causa fiat?

Regulæ & consilia Euangelica plurimum iuuant ad obseruationem legis diuinæ.

Quodlib. 4. art. 23. Matth. 19. 23.

Quia difficile est, quod homo præcepta seruet quibus intratur in regnum, nisi sequens consilia & ad perfectionem conn tens *diuitias relinquat.* At si quis consilia sequi proponit, huic procliue est & mandata seruare: certum est enim ipsam diuitiarum abdicationem rem nullam vt propriam possidere: nulla vt propria vti, conferre, vt homo securior sit, nihil alienum se concupiscere: & Deum pro nos persequentibus orare, & malefacientibus benefacere, conferre, vt ab inimicis odio prosequendis nimis quam simus remoti: & nunquam iurare, & si ad veritatem stabiliendam, conferre, vt à periurio alienissimi simus.

Quamobrem bene docent Sancti Patres, Regulas & consilia quæ in Religione profitemur, non modo non esse onus, verum adiumenti ac subleuaminis vicem præbere, ad ipsum mandatorum Dei onus facile portandum.

Duobus id exemplis egregie ostendit S. Augustinus: Agens namque de legis gratiæ suauitate pondus eius ponderi alarum auis simile esse perhibet. Hæ namque adeo auem nõ grauant nec impediunt, vt etiam alleuient, & subuolare vt possit efficiant. Rotæ curules etsi aliquanculum graues sint & ponderosæ, tamen boues trahentes adeo non onerant, vt potius exonerent, & in tantum onus ableuient, vt nisi per totas stater, ne mediam quidem ponderis quam trahunt partem trahere possint, pari modo est de Euangelicis consiliis quæ Regulis nostris includuntur sentiendum: vtpote quæ vsque adeo oneri nobis non sunt vel impedimento, vt etiam rotarum vicem nobis præbeant, & earum adminiculo legis diuinæ onus & iugum magna facilitate & suauitate supportemus, quod mundani non nisi gemiscendo, sub onere satiscendo, atque ad singulos prope passus cespitando, portant, quod harum alarum & rotarum subsidio careant. Hanc ob causam gratissimos Deo Opt. Max. nos

Serm. 22. de verb. Apostol. Bernard. epist. 341.

Regula rotarum, & alarũ instar non sunt oneri.

nos exhibere, Regulas magni pendere, & ergo earum obseruantiam medullitus & intimo cordis affectu nos affici oportet.

Capvt II.

Perfectio nostra in ipsa Regularum obseruatione consistit.

Prou. 3. 2.
Legis custodia animæ vita est.
Psal. 118. 103.
Hieron. epistolam Hedibiam.

CVstodi, inquit sapiens, *legem atque consilium & erit vita animæ tuæ, & gratia*, dulcitudo, suauitatis, *faucibus tuis*, & palato tuo spirituali, iuxta illud Prophetæ, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* S. Hieronymus epistola ad Hedibiam, in qua duodecim ab ea propositis quæstionibus ac dubiis respondet: quarum prima fuit, Quomodo quis poterit perfectus esse? eodem ad eam modo respondet, quo Christus Iesus adolescenti illi, qui (vt in Euangelio traditur) ad eum veniens & coram eo genua flectens, petiit, *Magister bone quid faciam vt vitam percipiam?* quia salutis meæ negotium in tuto collocare in primis desidero.

Marc. 10. 21.
Matth. 19. 21.
Custodia Legis & virtus Dei oculis placet, arridetque.

Cui Dominus, Præcepta Dei *nosti*, hæc serua & salutem in tuto collocaris. Tum Adolescens. *Magister hæc omnia obseruaui à iuuentute mea.* Addit autem Euangelista Marcus *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.* Ipso eum intuendi modo & gratia satis exterius ostendit, quo eum amore propterea complecteretur. Virtus quippe & bonitas ex se nimis quam amabiles sunt, Deique oculos & cor ad se rapiunt.

Perfectus est, qui Dei mandatis addit Euangelica consilia.

Sed mox ad eum Dominus. Porro *vnum tibi deest, vade, quæcunque habes vende & da pauperibus*, & habebis *thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* In hoc, inquit Hieronymus sita perfectio est, vt ad ipsa scilicet Dei mandata, Euangelica consilia adiungantur.

Exod. 25. 25.
Religiosa vita est mensa cum corona aurea.

Vnde venerabilis Beda ait, iis, qui præter diuina mandata etiam consilia sequuntur, secundum illam coronam auream, quam Moses priori superaddere in mensæ labio per circuitum iussus est, posse accommodari. *Et super illam alteram coronam aureolam.* Per hanc enim anagogice intelligi illam præmii & gloriæ præeminentiam, qua præ aliis donabuntur ii, qui hoc in mundo ipsos etiam in perfectione anteibunt, præter diuina mandata Enangelica insuper consilia sectantes. Et hac de causa Redemptor adiunxit, *Et habebis thesaurum in cælo.* Id est consilia Euangelica sequens non modo vitam consequeris æternam, verum etiam in ipsa cælesti gloria eris ditissimus, & inæstimabilem thesaurum possidebis.

Matth. 19. 21.
Religioso mittitur præter vitã æternam thesaurus in cælo.
1. Petr. 2. 9.
Coloss. 1. 13.

Hanc quippe nobis Religiosis Deus Opt. Max. gratiam contulit, quod non solum nos *de tenebris in admirabile lumen* fidei & Euangelii sui *vocauit*, vti reliquos omnes Christianos, *& in regnum filii dilectionis suæ transtulit* & regno cælorum cum electis & amicis suis donare nos vult, verum etiam quod eminentur & præcellenter præ aliis in eo euehere & magnates quosdam efficere satagit: atque ideo ad consilia Euangelica sectãda, ad ipsum inquam perfectionis statum, quem in Religione profitemur nos euocauit. Æquissimum ergo erit, vt tam eminenti beneficio pari gratitudine respondeamus: quod faciemus haud dubie, si quod à nobis B. P. exigit, exacte obseruemus: *Quicunque*, inquit, *Societatem ingredientur, & in ea viuet oẽs eius constitutiones, Regulas ac viuendi rationem integre, & ad amussim obseruare desiderent, & cum diuina gratia ex toto corde & viribus, perfecte eas seruare allaborent.* In hoc porro noster situs profectus est & perfectio.

6. Part. Constit. c. 1. § 1.
Obseruatio regularum Religioso societatis valde commendatur.

Hoc si facimus, boni futuri sumus Religiosi, si vero perfecte, Religiosi perfecti. Ipsum quoq; Religionis nomen satis nobis obligationem indicat, qua ad hoc faciendum tenemur, ideo namque Religiosi dicimur, quod ad Regularum

& con-

& consiliorum Euangelicorum obseruationē nos ipsos obligauerimus, ac velut deuinxerimus. Religiosus enim idem sonat quod religatus ac reuinctus, propterea quod non per diuina mandata solummodo ligatus sit & obstrictus; perinde ac reliqui Christiani, verum etiam per Euangelica consilia, quæ Regulis ipsis comprehenduntur. Hac eadem de causa Religiosi ab Ecclesia vocantur Regulares, ob eam videlicet quam ad Regulas suas seruandas habent obligationem, quod sane nomen inprimis honorificum est, atque eo in Iure Canonico appellari solent. Hinc & nos à Concilio Tridentino & in Bullis Apostolicis à summis Pontificibus, dicimur Clerici Regulares. Nomini ergo nostro vsquequaque respondere studeamus & quam maxime Regulares simus, ac Regularum nostrarum obseruantes, vt nomini quó dicimur, vita ex æquo respondeat. Hinc S. Bernardus ad Religiosos quosdam, magno feruore in perfectionis stadio currentes, scribens, eosque ad in feruore suo vlterius progrediendum exhortans ait: *Rogo vos fratres, & multum obsecro, sic agite, & sic state in Domino dilectissimi, soliciti semper circa custodiam ordinis, vt ordo custodiat vos.* Adeo vt, quamdiu ipsi Religionis Regulas custodiemus, ipsa nos custoditura sit Religio, inque virtute & perfectione conseruatura.

Nomen Regularium obseruationem regularum flagitat.

Sess. 25. c. 16.

Epist. 321. ad fratres de S. Anastasio.

Custodiens Religionis Regulam, custoditur à Religione.

Tota Samsonis fortitudo & robur in capitis capillis sita fuisse perhibetur, hinc suas iis detonsis vires amisit, & à Philisthæis facili negotio victus & vinctus est.

Iud. 13. 5 & 16. 19.

Quod sane egregia figura est rei, quam hic tractamus. Quia sicuti Samsonis robur Deus in crinibus capitis situm esse voluit, eo quod Nazaræus esset (qui status hinc erat veluti modo Religiosus) ex vnius instituti & sectæ præscripto intonsam Cæsariem alere debebat, nec nouaculam super caput suum admittere poterat, & quia callide & astu quodam ei capilli præsecti fuere, (quod arcanum ipse suum è nimio erga vxorem Dalilam amore sui oblitus detexisset) vna cum capillis Religionem æque & fortitudinem amisit: Simili ratione omnis nostra virtus & robur in Regularum harum (quæ leues quędam paruique momenti res, perinde ac capilli videntur) obseruantia consistit: sumus quippe Nazaræi, id est, Religiosi & hosce capillos fouere, alere & nutrire tenemur, qui si nobis resecentur, ad instar Samsonis robore destituemur, facile expugnabimur, & ab inimicis nostris Philisthæis illis tartareis & dæmonibus, constringemur.

Virtus & robur Religiosi in regulis est situm, & Samsonis olim in crinibus.

Capvt III.

Regulæ nostræ ad mortale peccatum nequaquam obligant: hinc tamen occasionem sumere ad eas facile transgrediendas non oportet.

Regulæ & Constitutiones nostræ ad peccatum, siue mortale, siue veniale non obligant. Quod ipsum est de reliquis ordinationibus ac mandatis superiorum intelligendum, nisi dum ea in nomine Domini nostri Iesv Christi, vel in virtute Sanctæ obedientiæ singillatim præscribuntur, quemadmodum in ipsis Constitutionibus declaratur.

Noluit siquidem B. P. eas in peccati laqueum & pedicam esse: quamquam hinc earum temere violandarum occasionem & ansam nemo accipere debet. Qua persuasione multos dæmon inducere solet, vt Regulas & præcepta maiorum de facili violent.

6. P. Const. c. 5.

Quapropter B. P. N. hinc nobis præcepta peccandi occasionem & laqueum, qui ex ipsa Constitutionum & Regularum obligatione sequi poterat, eripere, inde vero easdem à nobis integre

Regulæ Societatis licet ad peccatum non obligent, perfectè tamen seruandæ sunt.

Amore potius Dei, quam timore regulæ sunt obseruandæ.

& perfecte vt ne vel latum vnguem à perfectione deflectamus seruari cupiens, ait, *Et loco timoris offensæ succedat amor & desiderium omnis perfectionis, & vt maior gloria & laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur.*

In proemio Constit. §. 1

Atque adeo in ipso Constitutionum ac Regularum principio sic habet: *Interna caritatis & amoris illius lex, quam Sanctus Spiritus scribere & in cordibus imprimere solet, ad id adiuuare debet.*

Ioan. 14. 15

Quod idem est cum illo, quod apud D. Ioannem Redemptor Iesus ait: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Amanti sufficit amati voluntatem nosse: bene morato filio satis est, solum patris sui voluntatem scire, nullis vt alijs timoribus extrinsecus opus sit.

Nec bonus Dei filius, nec seruus est, qui regulas temere violat, eo quod peccato non obstringant.

Vnde quicumque Regulas propterea, quod ad peccatum & infernum non obligant, facile infringit, & parui ducit bonus non est filius, imo ne quidem bonus seruus.

Dic mihi obsecro, illenè ex opinione tua bonus seruus foret, qui non aliter omnia iussa herilia exequi vellet, nisi dum stricto ense, & sub pœna mortis hæc herus iniungeret? Illane etiam morigera & morata dicenda coniunx, quæ marito suo diceret, equidem thorum alieno concubitu non polluam, fidemque coniugalem seruabo, cęteroquin noris me, quidquid mihi in mentem venit, facturam tametsi id tibi sciam fore vt displiceat? Tales porro sunt, qui, quod Regulæ ad peccatum & infernale supplicium non obligant, eas de procliui transgrediuntur.

Seruare regulas formidine pœnæ, vilissimi est mancipij.

Mancipiorum ac seruorum id proprium est, qui nonnisi flagellorum & supplicij metu famulatum suum præstant.

Vnde Poeta,

Horat. lib. 1. epist. 16.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ

Verum oderunt peccare boni virtutis amore

Vt Deo magis placeant & gratiores sint.

Greg. lib. 3. Dial. c. 16.

Monachus quidam nomine Martius vt scripto prodidit Magnus Gregorius, cum in montem Marsicum solitariæ vitæ ducendæ ergo se contulisset, inibi ferreæ pedem catenæ innexuit, hanc vero ad rupem affixit, ne longius posset vagari, quam catenæ longitudo permitteret.

Regula S. Benedicti exemplo nō est catena ferrea, sed catena Christi.

Quo audito Sanct. Benedictus quemdam è discipulis ad eum misit, qui ei diceret, *si seruus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi*: Qui ilico obediens catenam soluit, solutus tamen longius non processit, quam catena se extendebat, dum ad eam constrictus esset.

Sic nos (quos à ferrea B. P. catena liberauit) ad Regularum obseruantiam, non sub reatus & damnationis obligatione, sed suaui amoris CHRISTI Domini catena constringi nos volens, hæcce amoris catena magis ad illarum obseruantiam impellere & potentius inflammare debet, quam ferrea timoris peccati & pœnæ infernalis.

Cæterum duo hic obseruanda sunt.

Regulæ quandoq; duabus ex causis ad peccatum obligant.

Primum quando Constitutiones & Regulæ circa rem ad vnum è votis, quæ facimus spectantem, aut lege naturali inhibitam versatur, tunc illam sub peccati reatu obligaturam, sed non tam virtute Regulæ vel constitutionis ipsius, quam ratione voti vel legis naturalis, vti id supra demonstratum est.

Tract. 3. c. 10.

Secundum, esto Regula ex se & natura sua ad peccatum non obstringat, nihilominus aliquem eam infringendo

pecca-

peccare posse, quod aliqua in eo negligentia, socordia, regulæ contemptus, vel vilipendentia, vel quid simile forte interueniat. Sicut id D. Thomas de ordinis Prædicatorij Regulis, quæ ex se etiam ad peccatum, tam lethale quam veniale neminem obligant, loquens, bene obseruauit.

c. 2. q. 106. art. 9. ad 3. & Caiet. ibi ad 4 dubium.

CAPVT IV.

Non propterea quod leue quid per Regulam præscribitur, excusatur eam infringens, imo potius accusatur.

Aliam quoque vulgarem satis vsurpare dæmon tentationem solet, vt Regulas aliquas nos transgredi faciat, nimirum parua, leuia & nullius momenti esse dicens, quæ ijs aut vetantur aut præcipiuntur, atque adeo sanctitatem & perfectionem in hoc negans consistere.

Minime violanda est regula, quia leuia præcipit.

Hoc ille astu opem ad hoc ei ac vires præbente nostra inertia, languore & tepore sæpe nos eas violare & infringere facit.

Vnde aduersus hanc tentationem armis quibusdam nos necesse est communiri.

Dico ergo primo, per ipsum, quod quis in sui purgationem adfert, leuia videlicet ea, & tenuia esse dictitans, culpam adeo non excusari & imminui, vt etiam quadantenus ingrauescat & adaugeatur.

Leuis materia grauiorem facit regulæ transgressionem.

Est hæc doctrina S. Augustini, de Adæ namque inobedientia loquens, ait: *Sicut Abrahæ in filio suo Isaaco immolando obedientia, merito magna & eminens reputatur, quod res tam ardua & difficilis illi iniuncta esset: ita in paradiso tanto maior primi parentis inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est nullius difficultatis fuit.* Quod nullus in hoc ei sit excusationi locus.

lib. 14. de Ciuit. c. 15.

Adæ peccatum in leui materia longe fuit grauissimũ

Quomodo enim se primo nostri parentes excusare potuere, quominus in re tam facili, vti erat ab vna tantum arbore abstinere, Deo vetanti obedirent, præsertim cum aliæ permultæ in paradiso arbores, & fortasse meliora ferentes poma, minime deessent, de quibus comedere poterant?

Quid quæso fecisset Adam, si magnum quid ei Deus præcepisset? si quemadmodum Abrahamo præcepit, filium vnigenitum vt immolaret, ita Adamo mandasset, dilectam vt vxorem sibi sacrificaret, quomodo in ea sacrificanda putas morem gessisset, qui ne eam contristaret, ne à pomi quidem vnius vti id mandarat Deus, esu abstinere voluit?

Qui cadit in paruis, citius in magnis ruet.

Pari modo ex eo, quod Regulæ, quas quis transgreditur, adeo sint seruatu faciles, eius culpa & inobedientia magis aggrauatur.

Quod etiam notauit S. Bonauentura: *Minima neglecta* inquit *eo turpius moribus maculam ingerunt*, hominemque reprehensione digniorem reddunt, *quo vitari facilius cognita potuerunt.*

In specul. discip. ad nouitios in prologo.

Si quod præciperetur valde graue foret, ac factu difficile, aliquis forsan excusationi esse posset locus, at in re adeo procliui ac leui quam adferre tui purgationem queas?

In neglectu minimorũ accusationi nõ datur locus.

Ad hæc quomodo mihi persuadeam in arduis & difficilibus fore vt obedias, sine in facilibus quidem ac leuibus obedientiam præstes? cui enim credam facturum eum quod maius est qui quod minus est non facit? Vnde S. Bernardus, *Qui linguam suam & ventrem custodire non potest, monachus non est.*

Non facit magna qui parua negligit.

Lib. de interiori domo. c. 50.

non est. Et erat hoc, velut commune quoddam apud Priscos illos monachos principium, & ab eo suum illi abstinentiæ exercitium auspicabantur.

Qui linguã & ventrẽ coercere nõ potest, monachus esse non potest. Qui quod facile est, non vincit, difficile nũquam vincit.

Dicebant namque, quomodo, qui in exterioribus (quod facilius est) seipsum non euincet, in interioribus, (quod longe difficilius) superabit? quomodo spirituales & inuisibiles (*contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*) hostes debellabitis, qui exterioribus quos præ oculis habet, præualere & resistere nequit?

Ephes. 6. 12

Hinc facile perspicere poterimus, verane an falsa sint illa, quæ interdum in nobis ipsis sentimus ad res quasdam magnas suscipiendas. V. C. ad dura & laboriosa sustinenda, ad mortificationes extraordinarias obeundas, etiam ad mortem inter Infideles & Gentiles oppetendam desideria, Si enim hic in vmbra ne leuissimam pati & portare mortificationem vales, si etiam varias Regulas transgredi mauis, quam vt te in venia petenda mortifices, quomodo te credam ardua & perdifficilia aggressurum?

Quare rem acu tangens Bonauentura, dicit: *Multi pro Christo optant mori, qui pro Christo nolunt paruas iniurias & leuia verba pati. Sed quem terret sonitus folij volantis, quomodo sustineret ictum gladij terribiliter vibrantis?* Si verbulum aliquod acerbius ab alio in te prolatum, quod leuiter per auras volat, te turbat & inquietat, quid erit, quando persecuratoris gladius reipsa desæuiet? Quid quando falsa contra te in rebus grauibus testimonia producentur, & vt vera credentur.

Per parua itur ad magna.

Quocirca idem Bonauentura auctor est, vt in rebus leuibus nos vincere & mortificare assuescamus: qui enim in his seipsum mortificare & voluntatem suam frangere nescit, multo id minus faciet in magnis: *Minima*, inquit, *aduersa tolerare patienter assuescamus, quia maiora non superat, qui minora tolerare non didicit.*

In scala Religios. ar. 16

Nouitius quidam, vt Dionysius Carthusianus refert, magnum primis conuersionis suæ diebus feruorem præ se tulit, exinde vero, vti fieri assolet, intepuit ac prorsus refrixit. Initio namque, omnia illi erant perfacilia at postea quælibet humilitatis & mortificationis exercitia illi difficilia apparere, & magnam ipse in illis obeundis molestiam cœpit sentire, Graue & permolestum in primis illi videbatur vile & abiectum quoddam vestis genus, ab Nouitijs pro more tunc gestari solitum. Huic ergo quadam die post meridiem dormitanti, apparuit per visum Christus dominus oblongam & grauem humeris crucem gestans, cum qua anhelans & fatiscens, gradus quosdam in proximo positos conatus est ascendere, at quod crux esset immensum grandis & lata, per gradus eam traducere nequiuit. Quem Nouitius laborantem & frustra conantem miseratus, eique opitulari gestiens, ait, sine obsecro, domine tibi me in cruce hac gestanda suppetias ferre. Sed seuero & subirato vultu eum intuens Dominus, indignabundus ait, E qua tu audacia tam grauem & ponderosam hanc crucem meam ferre præsumis, qui ne habitum quidem illum adeo etiam leuem mei amore gestare sustines? Quo dicto, visum disparuit, & Nouitius experrectus, ad hanc exprobrantis Domini vocem ita erubuit simul & animatus est, vt ex eo tempore, quantum antea in veste illa humili & vili gestanda molestiæ senserat, tantum postea in ea voluptatis sentiret & gaudij.

Principiũ feruet. Medium tepet. Finis alget.

Qui vult venire post me, tollat crucem suã & sequatur me.

Crucem quomodo ferat qui vilem vestem ferre refugit.

CAPVT

CAPVT V.

Quam graue damnum sequatur ex eo, quod Regulæ parui fiant, tametsi in rebus minimis ac leuibus.

Luc. 16.10

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit, & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus erit. Quod tentatio hæc qua in Regularum obseruantia nos dæmon segnescentes & remissos efficere vult, nonnisi leues paruique momenti res, eas esse dicendo: in eoque perfectionem & profectum nostrũ consistere negando, adeo communis sit, hinc duo quoad hanc in præsens declarabimus: Primum, quantum è paruorum horum contemptu & vilipensione sequatur damnum. Deinde quod è contrario sequitur bonum deducemus. Duo namq; hæc in verbis ante allegatis Christus Dominus significat.

Frequens est transgressio minimorum.

De primo siquidem ait: *Qui in modico iniquus* & infidelis *est, & in maiori iniquus erit.* Quod etiam antea per Sapientis os Spiritus Sanctus edixerat. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Satis hoc esse debebat, vt diligentes & exacti Regularum obseruatores essemus, illasque eo nomine, quod parui momenti esse & pretiis videãtur, nequaquam transgredi præsumeremus. Scimus quippe irrefragabile Dei verbum esse, eum qui modica contemnit paulatim prolapsurum, nec ante peccandi finem facturum, quam in maiora & grauiora impingat.

Eccl. 19. 1.

Initiũ ruinæ est à paruis.

Hoc modo perdi ciuitas quædam & ab inimicis expugnari solet: vbi olim in Ierusalem factum esse conqueritur Ieremias: *Cogitauit, Dominus,* inquit, *dissipare murũ filiæ Sion,* ciuitatis illius adeo validæ & turritæ, muroq; & antemurali cinctæ: *tetendit funiculum suum* & mensuram, *& non auertit manum suam à perditione,* id est, ante non destitit, quam eius ruinam ante conceptam opere exequeretur. At quomodo eam executus est? dicet Ieremias: luxit & ad terram cecidit antemurale, & statim eo disiecto *murus pariter dissipatus & auersus est,* itaque ciuitas occupata est & intercepta.

Ierem. 28.

Ciuitatis perditio ex re parua.

Ad eundem porro modum & animæ nostræ ciuitatem ingrediuntur & expugnant hostes tartarei. Regulæ namque vti initio ostendimus eius antemurale sunt & vallum extimum, à quo ipse legis & mandatorum diuinorum murus cingitur, ambitur & communitur: quamobrem si illud antemurale concidere & subuerti sinas, protinus etiam concidet & dissipabitur murus, itaque anima tua expilabitur, & prædæ patebit. Sapiens enim ait, *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Si itaque hocce regularum septum dissipare & vallum destruere incipias, facta iam via serpens antiquus hac ingredietur, teque commordebit. Si vineæ sepem & maceriam aufers, & quod intra eandem continetur, patere ad prædam patiare, statim eam *vindemiabunt omnes, qui prætergrediuntur eam.*

Cap. 1.

Regulæ sunt antemurale hoc sublato mandata Dei quoq; violantur.

Eccl. 10. 8.

Psal. 79. 13

Vt autem melius hoc intelligatur, est enim maximi momenti punctum, omissis metaphoricis & figuratis loquendi modis, aperte & simpliciter iam loquamur. Nosse vis, quomodo fieri possit, quod Spiritus Sanctus ait, nimirum, eum qui parua & modica negligit, paulatim ac sensim in grauiora prolapsurum?

Eodem prorsus id modo fit, quo in peccato veniali contingere tum Theologi & sancti Patres docẽt tum nos pueris in Catechismo declaramus, peccatũ veniale inquiunt quædam est ad mortale dispositio & via: Venialia enim quantumlibet multa sint, nunquam vnum constituunt mortale, nec ad animę mortem inferendam, gratiam & amicitiam Dei auferendam satis sunt, esto animam eodem tum emolliendo eam & debilitando, tum tepefaciendo disponant & inclinent, vt facile ab occurrente aliqua tentatione & impugnatione queat ex-

Veniale disponit ad mortale.

Pugnari, itaque in aliquod letale scelus præceps ruat.

Quemadmodum primi machinarum bellicarum in murum aliquem impacti impetus, etsi eum statim ad terram non deijciant quatiunt tamen & disponunt, vt à postremis haud ægre sternatur, & sicut guttæ impluuij in petram incidentes, licet per se quæquè eam excauere & lacum in ea facere potens non sit, eam tamen singulæ ita disponere valent, vt in huius dispositionis virtute post sequentes guttę eam excauent & lacunent. Vnde Iob: *lapides excauant aquæ & alluuione paulatim terra consumitur.* Simili modo peccatum veniale hominem ad letale deinde committendum disponit & præparat, paulatim enim quis peccati timorem exuit, & facere incipit, quod cum amore Dei non est coniunctum, exinde statim committet aliquid, quod amori huic aduersabitur.

Et quæ non obsunt singula multa nocent.

Iob. 14. 19.

Primo fit præter, postea contra Deum.

Qui verbi gratia pro nihilo ducit mentiri vel etiam citra necessitatem iurare, statim corruet, & malum vnum alteri committens, audebit & passim mendacium aut rem aliquam controuersam iuramento confirmare.

Qui mētiri solet peierare consueuit.

En tibi hominē in letale crimen prolapsum. Qui in parui momēti rebus murmurare & obloqui audet, mox occurrente illi occasione, quæ non ita leuis sit, se in præsentissimo lethaliter, peccandi periculo constitutum comperiet.

Qui ex negligentia oculos hinc inde leuiter gyrat, qui oborientes sibi de re illicita & fœda cogitationes non statim à se repellit, haud procul à ruina distat, etenim aliquando cum minus cogitabit & non opinantis corassentiendo rapietur, quo oculi vel cogitationes ferebantur, & in momento fœde corruisse se intelliget.

Aliud quippe nihil per negligentem hanc incuriam, & iterata venialia peccata diabolus spectat, quam vt ad mortalia viam sternat.

Eodem igitur modo se res habet in Regularum transgressione & vilipendētia. Diabolus namque gradatim & paulatim nos ad grauius malum disponit ac pertrahit, donec tandem in enorma & horrenda scelera nos præcipitare faciat. Principio namque magnum conscientię remorsum homo sentit, dum paruam aliquam Regulam infringit, postea non tantum & demum nullum penitus: pari etiam modo & gradu in orationis studio in examinibus & in reliquis exercitiis spiritualibus intepescit & languescit (nam hoc nequidem illi potius, & antiquius est quam Regula) dum modo ipsum omittit, modo non pro eo ac oportet, sed nonnisi pro forma, nulloque inde collecto fructu, peragit.

Religiosus parua negligens sensim deficit.

Ex hisce initiis, quæ exigua & leuia videntur, ingentes Religiosorum oriri lapsus & ruinæ solent; vti notant Patres illa Euangelistæ Ioannis, (quibus de Iudæ proditoris contra Mariam Magdalenam quod pretiosum illud vnguentum Saluatoris Iesu pedibus inungendis adhibuisset murmuratione loquitur, vt qui diceret satius longe futurum fuisse, si ipsum venundatum esset & redactum inde precium in pauperes effusum) verba exponendo, Dicit autem hoc Iudas ait Ioannes, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat*, hinc quia vnguentum isthuc vendere ad ipsum, vtpote Oeconomum spectabat, ægre ferebat denariorum illorum decimandorum sic sibi ablatam occasionem esse: quapropter in damni huius compensationem, Redemptorem Iesum triginta illis denariis, quorum in vnguento effuso iacturam fecerat, vendere statuit.

Iudas Christum 30. denariis cur vendidit.

Ioan. 12. 6.

Obserua inquit S. Augustinus & vide Iudam non pessum iuisse tum, cum Christum vendidit, neque enim hæc prima mali eius origo fuit, quippe id dudum corde fouerat, secūq; ferebat, tum latro erat & filius perditionis, Christūq; corpore solum non animo sequebatur. Sic dum grandem Religiosi alicuius lapsum aduertes, ne tum primum malum eius cepisse puta, quia iam ante in

Apostata dudum animo peruerso fuit.

ante in perditionis statu versabatur: iam dudum corpore tantummodo in Religione egit non animo, iam dudum spiritu omni carens orationes & examina omittens, denique Regulas suas prætergredi graue non ducens. Hisce ergo de pulueribus isthuc ortum est lutum.

In c. 16. Matth. super illa verba quid vultis mihi dare, &c.

Idem quoq; notat S. Hieronymus dicens: *infelix Iudas damnum quod ex effusione vnguenti se fecisse credebat vult Magistri precio compensare.* vide quonam malorum auri cupiditas, & quod paulatim de pecunia quid clanculum tolleret, & aliquid sibi retinere cuperet, Iudam perduxerit: vt & ipsi etiam in rebus admodum paruis incipere timeamus, hoc videlicet est, quod ait Iob: *Famem eius* (inimici) *præcedit egestas.*

Sensim labimus sine sensu.

Iob. 41. 13.

Primo namq; anima per imperfectionem & culparum venialium multitudinem necnon per orationis & spiritualiũ exercitiorum defectum depauperatur & debilitatur atq; inde postea in grauia & mortalia proruit: qui negligenter ambulat omnia imperfectionum genera passim deglutiens, mox etiam aperta & manifesta peccata deuorabit. Quocirca caueamus quam diligentissime, ne Dæmoni aditum patefaciamus. Regularumq; timorem ac reuerentiam exuamus ipsasque vilipendamus.

Ierem. 6. 8.

Seuat Regula seruãtem eam.

Et quoniam per Ieremiam sic Dominus cominatur: *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima à te, ne forte ponam te desertam terram inhabitabilem:* hinc operam da & Rleigiosæ huic disciplinæ & obseruantiæ, quam nos Regulæ docent, te conformes, ne forte à te recedat omnipotens, teq; derelinquat, itaque turpem & deplorandum tui casum videamus.

CAPVT VI.

De ingentibus donis, quæ è Regularum obseruantia & æstimatione sequuntur, etsi alioquin circa res paruas ea versentur.

Matt. 25. 21.

Gaudium tu intrabis, quia maius est quam vt te illud intra re possit.

EVge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituã, intra in gaudium Domini tui. In hisce Redemptoris nostri Christi verbis ingentia nobis declarantur bona, quę è diligenti Regularum obseruantia, reuerentia & æstimatione, esto circa minutas & parui momenti res ea versentur, in hominem resultant: *Euge*, inquit, *Serue &c.* porro tam eximium & supereminens erit gaudium & merces, quod te eo quod super pauca fidelis & diligens fuisti manet, vt non tam gaudium intraturum dicat in te (quia à te capi non poterit) quam exaduerso te ingressurum in gaudium, ipsumque circum secus superabundaturum, perinde vt dum in aulam intras, quæ te multo capacior & amplior est. Et alio in loco ait: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Præmii & gloriæ, quæ propterea nobis dabitur, mensura non est parca, curta, & ex æquo commensa, sed mensura conferta & superabundans.

Luc. 6. 38.

Remunerat Deus parua quia fidelitas maior in his apparet.

Videamus iam, quamobrẽ eos, qui in modico fideles sunt, tam ample Dominus remnueretur & extollat. Quia nimirum in hisce rebus paruis & modicis melius alicuius fidelitas elucescit, & quid facturus sit tum, cum maiora illi committẽtur. Ita id Dominus ipse apud S Lucam asseuerat dicens, *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit.* Notandũ vero non dixisse Dominũ, Qui fidelis est in maximo & in minori fidelis erit: sed cõtra magis: namq; fidelitas alicuius perspicienda

Luc. 16. 10.

spicienda videtur in modico, quam in multo, sicut fidelitas œconomi aut quæstoris alicuius non tam apparet in eo quod centum aut mille aurei rationibus suis non desunt, quam, quod ne obolus quidem. Bonus et obsequens famulus nō tam agnoscitur in rebus magnis exequēdis, quā in paruis et minutis, & ad quas faciendas minime obligatus erat. Boni denique filii obedientia & erga Patrem amor nō tam colligitur ex eo, quod in grauibus, magniq; mouenti rebus ei morem gerit, quam, quod ne in minutis quidem à patris sui voluntate ac beneplacito vel latum vnguem deflectere studet, aut aliquid facere, quo eum vel minimū offendat, aut modicam molestiam creet.

Obedientia filii in minimis maxime notatur.

Pari modo religiosus bonus nō tam ille habēdus est, qui sedulo ne in graues defectus ac letalia crimina incidat, cauet, quam qui singularem & magnam in omnib. regulis & obedientiis, quantumlibet paruis & minutis, adimplendis solicitudinem ac diligentiam adhibet.

Bonus religiosus minima cauet.

Hac itaq; de causa eos, qui huiusmodi sunt, Dominus ita remuneratur & extollit, tātis quoq; beneficiis cumulat adeo denique in eos liberalis & effusus est, propterea quod ipsi vicissim Deo se liberales exhibeant. Atq; hoc innuit Apostolus Iacobus, dum ait, *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis.* Quanto autem Deo fies vicinior, liberaliorem q; te erga eum exhibebis, tanto ille in te effusior erit, maioribus te beneficiis & fauoribus præueniens: Iam qui serio solliciteq; allaborat vt Deo Opt. Max. placeat, eiusq; voluntatem faciat, non in ijs modo quæ voluntatem faciat, non in ijs modo quæ obligationis sunt, verum etiam quæ cōsilii & supererogationis, nec tantum in maioribus, sed & in minoribus: atq; adeo in omnibus, id quod melius & perfectius est, quodque diuinæ voluntati cōformius fore nouit, agere procurat: is in Deum liberalis est: hinc & ipse Deus vicissim in illum se liberalem præstabit.

Iacob. 4. 8.

Liberalis in Deum quis?

Hi intimi & familiores Dei amici sunt, hi eminentiorib. ab eo gratiis & prærogatiuis extraordinariis donantur, hi magis in virtute & perfectione crescunt, & super alios proficiunt & excellunt. Vti etiam experientia teste videre est: Horum siquidē nonnullos cognouimus, qui in spiritu & donis diuinis admodum fuere eminentes, alios audiuimus, esto veterani essent, in cuiuslibet tamen regulæ & præcepti, quantumlibet parui & minuti obseruantia & exacta custodia, tam singulares fuisse, vt omnibus intuentibus & exemplo essent & confusioni: per hanc s. viam adeo illos Dominus extulit & eminentes reddidit, imo ēt in sæculo, videre est famulos, qui hoc modo Dominis suis seruiunt, omnimodis soliciti vt, quacūq; in re possunt, magna æq; ac parua, ordinaria pariter & extraordinaria, illorum voluntati pareant & placeant, illorum præconseruis suis beneuolentiam sibi conciliare donaq; & beneficia eximia ab illis consequi. Ita porro & in domo Dei res se habet. Quippe qui se velut paruulos gerunt se inquam humiliant, & parua ac minuta in religione exequi gaudent, hos præ aliis complectitur Deus, hos deliciosius tractat, his item multa beneficia præ aliis elargitur. *Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cælorum.*

Perfectionis amantes à Deo extollūtur.

Matth. 19. 14.

At qui altum sapiunt, libertatem sectātur, veteranum agunt, & parua adeo non magni faciunt, vt etiam quodammodo contemnant et dedignentur, rati, nouitiorum ea propria esse, eos Deus humiliabit, & à se seu spurios reiiciet iuxta illud Prophetæ: *Si non humiliter Domine sentiebam, sed exaltaui animā meam, sicut ablactatus est super Matre sua, ita retributio in anima mea.* Mater enim sua puero iam grandiori vbera & lac subtrahit, at pusioni ea præbet, eumque brachiis & sinu fouet. Ergo inquit nisi me Domine instar pueri humiliē, proijce me à facie tua, & ablega à conspectu tuo, sicuti Mater filium quem ablactare vult, à se abdicat. Adhæc, puero iam ablactando, papillæ absynthio & amaro aloes succo inungūtur, vt in quibus miram antea suauitatē & dulcorem percipiebat, amaritudinem iam

Parua cōtemnentes Deus respuit.

Psal. 130. 2.

Nolens humiliari vt puer à cōspectu Dei ablegatur, vt filius ablactandus à matre.

iam in illis inueniat. Hanc maledictionem Deus etiam sibi imprecatur, eamq; extendit & ad eos, qui se iactabunde efferũt, qui pueri & paruuli esse detrectãt, quibus nimirũ contingit, vt, cum antea in oratione, & exercitijs spiritualibus, dulcedinem & saporem inueniant, in iis postea amaritiem experiantur, omniaq; illis in absynthium transeant.

Epist. 3. ad Helio. Quam ob causam ait D. Hieronymus: *Mens Christo dedita*, eiq; placere gestiens, *aeque & in maioribus & in minoribus intenta est, sciens, etiam pro otioso verbo* ac cogitatione Deo *reddendam esse rationem*, & optime intelligens, à rebus minoribus paulatim ad maiores descensum & prolapsum fieri; ac simul certa est, sibi, si in modico fidelis est, multa ac magna à Deo collatum iri. Itaq; nihil vt exile & modicum reputat, sed omnia plurimi & permagni facit. Et hoc ipsum serio inculcãs S. Basil. ait, *Stude vt maiorum virtutum compos efficiare, neq; minores tamẽ negligito. Nullum omnino sit e r itum, quod paruipendas: quamuis illud tenuissima bestiola minutius sit.* Nullus omnino inimicus est, qui contemptus non cumprime nocere, magnumq; nobis inferre damnum queat.

in princip. 2. tom. fol. 4. pag. 2.

CAPVT VII.

In quo, quod dictum est, aliquibus exemplis confirmatur.

4. Reg. 5. NAaman, diues & potens erat, & Regis Syriæ intimus, vtpote militiæ eius princeps, verũ lepra infectus. Hic audiẽs, in Samaria Prophetam esse, Elisæum nomine, qui omnigenas curaret infirmitates, ipsos etiam mortuos ad vitam reuocaret; cõmendatitias à Rege Syriæ ad Regem Israel litteras obtinet, vt hic illum à lepra sua, mox vt venisset, & litteras protulisset curari iuberet. Itaq; in Samariam cum magno equorum & curruum apparatu, profectus, vt ad Elisæi ostium venit, seruos ad eum ingredi cum mãdatis iubet. Sed hic ad Naaman foras non egressus, duntaxat ei renuntiat: *Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atq; mundaberis.* Hoc responso irritatus Naaman, *Putabam*, ait, *quod egrederetur* Propheta *ad me & stans* magnis cerimoniis, *inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me*: Et ecce aliud nihil dicit, quam vt in Iordane lauer. *Numquid non meliores sunt Abana & Pharbar fluuii Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis & munder?* Abeamus ergo: neque enim propterea huc me tãto labore venire necesse erat. Cum ergo conuersus abitum pararet, quod putaret id parui momenti esse, & propterea vilipendendum, accesserunt ad eum serui sui, eo haud dubie prudentiores & dicunt, Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi, *Lauare & mundaberis?* Ergo rationi cedens ad Iordanem abit, & septies in eo se lauat, post lotionẽ, ecce à lepra mundatur, *& restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli.* In eo ergo quod illi paruum, contemptibile & exiguum videbatur, eius salus & valetudo consistebat.

4. Reg. 5. 10

Naaman in parua re obediens sanatur à lepra.

Salus nostra in minimis sita est. Idem etiam in rebus spiritualibus vsu venit, quippe in exilibus & minutis illis rebus, quas regulæ præscribũt, salus nostra, profectus & perfectio sita est. Sic ẽt imaginis alicuius perfectionẽ & venustatem nonnisi quibusdam in apiculis, & lineolis tenuissimis consistere certum est. Si ergo tibi ad salutem hanc spiritualem, ad profectum & perfectionem hanc cõsequendam diceremus difficilia & ardua quædam suscipienda tibi esse, *certe facere debueras*, & quam iis impenderes operã vt bene collocatam & impensam credere; quanto magis nunc, cum per quędam tam factu facilia eam consecuturum te dicimus? Quocirca quod regulę circa res tam faciles & paruas versentur id nulla nobis inertiæ & negligentiæ esse debet occasio, verum, vt magis hinc ad eas seruandas animemur, cum rebus tam paruis & facilibus profectum & perfectionem nostram contineri videamus.

Lib. de viris illustribus ord. Cisterciens. Cisterciensibus Monachis olim per Regulam erat præscriptum, vt ad mensæ finem micas panis quisq; colligeret, easq;

Monachus ob micas post mensã manu retentas pœnitentiam petit.

vel comederet, vel in lancem congregaret, Factum est autẽ vti, cum de illis Monachis non nemo Deum timens, & Regularum obseruãs micas iam manu collegisset, à lectione mensali cui attendebat, absorptus sua eas manu teneret. Interim Prior lectionis finiendæ, & ià mẽsa surgendi signum dat, tum Monachus ille ad se reflectens, perplexus hæsit, ꝙ micarum absumendarum, vel in lancem mittendarum iam non esset locus; vnde ob negligentiam, quam in illius regulæ obseruantia ostenderat, cõfusus, aliud eius resarciendæ remediũ sibi nõ putauit esse, quam vt culpã suam cõfessurus superiorem adiret, & pœnitentiam quandã propter eã peteret. Micas ergo pugno clauso tenens dictis à mensa gratiis, superiorem adit, & ad pedes eius prostratus, culpam quã admiserat profitetur, magnaq; animi demissione pœnam sibi pro ea aliquam petiit iniungi. Prior pro ratione & mensura culpæ, eum corripit, rogans quid de micis factum esset? En, manu, inquit, eas, Pater contineo, Eas inquit, prior, mihi exhibe: tum alter extendit brachium pugnumque aperit; sed ecce loco micarũ gemmas pretiosissimas exhibet. Notat autem eo loco auctor hoc dominum miraculo monstrare voluisse, quantopere sibi feruẽtes Religiosi, quique non primarias solum, sed & leues & minutas Regulas quam exactissime custodiunt, placeant.

Micæ panis in gemmas conuertuntur in manu religiosi.

Fructus obseruationis minimarũ regularum.

Idem exemplum & Surius in vita S. Odonis Abbatis refert, ipsumq; ei, cum adhuc subditus esset, in Nouembri scribit contigisse, etsi id ipse, qua erat humilitate narraret ac si alteri cuidam Religioso euenisset.

Cæsarius lib. 6. Dial. c. 15.

Tempore Frederici Imperatoris, cum vna ex Abbatiis Imperialibus quibus de præposito prospicere ad Imperatorẽ ratione Iuris Patronatus spectabat, vacaret, duoque ad eam Monachi denominati essent, & vter alteri præferendus videretur incertum foret, alter eorum magnam auri vim Imperatori, quã in Monasterio coacervarat, obtulit, quatenus sibi suffragium ferret. Accepit aurum Imperator, seque pro eo staturum recepit. At postea comperto, illius competitorem virum bonum, simplicem virtutibus conspicuum, Regularumq; suarum obseruantissimum esse, cum suis cõsilio inito, qualiter indignũ illum amoueret, & ob virtutes suas electum confirmaret, à quodam suorum audiit: Domine, audiui Monachis illis regulam esse, vt acus sartorias portent: Maiestas ergo vestra, vbi in Capitulo Monachali erit, ab illo dissoluto & irregulari acum mutuo petat, quasi digitos suos mundare velit; quam si ille ad manum non habuerit, inueniens causam cur eum, ad Præposituram nõ admoueas, ꝙ regulam non seruat. Quod cum factum esset, & ille acum non haberet, ait competitori suo, Acum, quæso tuã Pater mihi mutuã da, quam hic ilico produxit & ei dedit: Tum Imperator: Næ tu bonus es Monachus, Pater, ac proinde tanto honore dignus equidẽ decreueram collegam tuũ denominare, sed ille se indignum reddidit, cũ regulas non seruet. Apparet enim qui parua negligit & non curat, eum etiam magnam neglecturum. Hacq; occasione isthoc ab regimine amoto id in alium illum regulæ suæ obseruantem cõtulit.

Monachus minutarũ regularum non obseruator ad prælaturã non admittitur.

Cæsarius lib. 4. c. 89.

Matrona quædam Nobilis cum mundo nuntiũ remittere, & habitũ Religionis assumere vellet in Monasterio, cui vt Vicarius præerat Monachus quidam Florinus nomine; ipso reclusionis suæ die lautum notis & amicis suis conuiuium parauit, ad quod etiam dictum Vicarium inuitauit, sæcularibus quidem carnes, Florino vero pisces, nam ex Regulæ præscripto, & quod Abbas ita iusserat, apponebantur, carnem gustare non poterat. Is ergo carnẽ videns in eã cæpit oculis ferri, eamq; appetere: quare manu in scutellã vicinam missa, carnis assæ frustũ arripuit, & cum iucunditate quadam ori ingessit. Sed iusto Dei iudicio, buccella illa ita gutturi trãsuersim inhæsit, vt nec inferne traijcere, nec superne eiicere posset. Cũ prope suffocaretur & oculis inuer-

Carnem contra regulã comedens deglutire non potest.

ſis iam iam eſſet exſpiraturus, alius Religioſus, eius ſocius, pugnum tam validum ceruici Florini impegit, vt carnea buccella foras exiliret. Cognouerunt autem omnes, id in eius inobedientiæ pœnam & caſtigationem contigiſſe.

I.p.l.1.c.60 Historiæ ordin. D. Dominici Fernando caſtillio auctore.

Cum S. Dominicus Bononiæ habitaret, ecce ſubito de nocte dæmon fratrem quendam laicũ tam crudeliter vexare & contundere fuſtibus cæpit, vt ad verborum inflictorum, ſtrepitum & fragorem reliqui fratres excitarentur: qui eum ex mandato S. Patriarchæ Dominici ad tẽplum detulere: verũ adeo grauis fuit, vt vix fratres decem eum ferre poſſent. Ianuam ingreſſis, omnes flatu vno lampades exſtinctæ ſunt, nihil prorſus vt viderent, Dæmone interea miſerum Laicũ diris modis torquente, cum Dominicus eum in virtute D. N. Ieſu Chriſti dicere iubet, cur fratrem hunc cruciaret, & cur in ipſum ingreſſus eſſet? Reſpondit Dæmon, quia veſpera ſuperiore, ſine venia & non præmiſſa benedictione bibit, in quo inſtituti ſui morem & Regulas eſt tranſgreſſus. Hæc dum fiunt, pulſatur ad Matutinũ & ait Dæmon, diutius hic me commorari nefas eſt, quia iam cucullati ad Deum laudandum ſurgunt. Et his dictis abiit fratre ſemineçe relicto & tam contuſo & elumbato, vt toto die proximo in pedes conſiſtere, ſeque loco mouere non poſſet.

Sine venia bibens à dæmone obſidetur.

Lib. 1. dial. cap. 4.

Simile huic exemplũ refert S. Gregorius in Dialogis, de Moniali quadam, in quam cum Lactucam non præmiſſa benedictione comediſſet, malignus ſpiritus ingreſſus eſt.

CAPVT VIII.

De aliis quibuſdam rebus, quæ regularum infringendarum eſſe ſolent cauſa: & quod aduerſus illas adhibendum remedium.

REgularum violatio interdũ à neſcio quo pudore puſillanimi ſui retinentia, vel (quod potius dicendũ) nimia immortificatione oriri ſolet, quod nimirũ aliquã quis in petenda à ſuperiore licentia faciendi id, quod ſine illa facere eum nefas eſt, difficultatem ſentiat. Vnde neceſſe erit illam difficultatem ſic complanare, non dico, vt plane non bibas nõ comedas, non loquaris, non ſumas & accipias, quod alius tibi dare vult, ſed vt omnia illa cum ſuperioris facultate facias. Quod enim cum Dei ac ſuperiorũ benedictione facere potes, cur id ſine illa exequi cupis? At dices anne toties & ad ſingulas regulas, ſuperior mihi eſt adeundus? forſan eſt is occupatus & ægre id feret. Hæc eſt impoſtura & error, contra quem in præſens ſcribo. Adeo ſuperiores propterea non ſtomachantur, vt nulla è re maiorem cõſolationem ſentiant, magiſue ædificentur. Hoc namq; eorum officium eſt. Tantique religio facit, quod valde ſis in obediendo exactus, nihilque penitus ſine licẽtia facias (quo hac ratione magis proficias, & meritum tuũ amplius) vt nimium eſſe nõ credat quod aliquis domi ſit ſuperior, & poſt eum alius quis, cuius partes ſint, tibi ad quæcunq; tibi opus erunt licentiam dare. Ergo cum id ſuum officiũ eſſe, & ad hoc ſe huc applicari norint, certum eſt, illos minime ſtomachaturos, gauiſuros potius quã ad ipſos recurras. Non ſecus ac Mercatores & opifices ægre ferre non ſolent, quod aliqua opificiorum & operum ſuorum exercendorum ſibi detur occaſio, imo eo gaudent magis, quo opificium ſuum exercent ſæpius, & plures ad ipſos ementes confluunt: Sic & boni ſuperiores facere ſolent. Vnde ſi tu contrarium de aliquo eorum cogites, tantundem hauddubie facis, ac ſi eum vt bonum ſuperiorem non haberes.

Ad hæc quomodo obſecro ægre ferat ſuperior, quod ad ipſum recurras, licentiam ab eo petiturus faciendi eius quod de ea non habita facere non poſſe nouit? Si impertinentia & ſuperflua quædam rogaturus eum adires, vereri forte poſſes, ne ſtomacharetur, ſed cum petas id quod in Regula ſignan-

ter exprimitur, mire potius gaudet: magnæ quippe illi consolationi est videre, quod subditi sui tam exacti Regularum sint obseruatores, & iussorum tam obseruantes, & parua ac minuta tanti faciant. Et econtra, quod cum huiusmodi rebus ad superiores non recurratur, magnopere ipsos cruciat, & molestiam ijs non paruam creat, vident enim Religiosum illum libertatem & exemptionem quandam ambire, & iam iam sine licentia isthæc omnia facere audere, perinde ac si nullus domi esset superior, ad quem posset recurri, & quasi non esset Regula, quę ijs de rebus ageret.

Superiores consulendi in re etiam parua.

Hoc ergo superiorem, ceu bonum aliquem patrem, de bono filiorum solicitum, de malo vero indolentem ægre ferre debere verisimile est. Hoc proinde est, à quo serio ipsi nobis cauere deberemus, vt ne hanc superioribus molestiam creemus.

Inde etiam infertur, quod sicuti nemini graue videri debere diximus, superiorem adire ad licentiam petendam eius rei quam & à Regula præscribi, & quam sine licentia se facere non posse nouit, ita multo minus nobis graue videri debeat, fratri nostro indicare, non esse nobis licentiam faciendi id, quod ipse per Regulam vetari, & sine facultate à nobis fieri non posse nouit. Est hoc permagni momenti monitum. Solent quippe idcirco nonnulli Regulas quasdam transgredi, ne se mortificent, indicendo, loquendi, vel accipiendi id quod mihi das, facultatem non habeo qui tamen interdum excusare se volunt, dicentes ideo se id fecisse, nec dicere ausos fuisse, id sibi facere nefas esse, ne alium illum mortificarent. Sed hoc est alium vt parum Religiosum, & Regularum suarum parum obseruantem censere. Adeo vero inde non mortificabitur, vt etiam valde ædificandus sit, vbi te Regulæ tam videbit obseruantem: qui fortasse hac in occasione tui periculum facere voluit, & videre quam tu Regularum tuarum sis solicitus & tenax, Te Religiosum (es etenim) & Regularum tuarum obseruantissimum videri gaude: hoc enim nemini displicere potest, placere potest.

Graue regulã transgredi ob respectus.

Regularũ obseruans ædificat alios.

Alij vero, hic ita se excusare solent. Ideo id feci, ne scrupulosus viderer. Hæc item parum laudabilis excusatio est: nã quod quis Regularum suarum obseruans sit, non tam est scrupulosum videri, quam Religiosum. Et sane malum inprimis & illaudabile foret, si quis eo erubesceret, quod Religiosus, Dei seruus, Regularumque suarum amans videatur. Hic namque inter alios mundi abusus & errores est, quod cum quis virtutum inire viam, Sacramenta frequentius vsurpare, & aliquatenus se ab sæcularium conuersatione per solitudinem subducere proponit hi statim obloquãtur, piaque alterius proposita exsibilent. Hinc multi palam & aperte se virtutum exercitio dare non audent. Sic in Euangelio princeps ille ad Christum nonnisi de nocte venisse scribitur, quod de die & palam omnibus venire non auderet. At in Religione plane aliter se res habet: vnde danda nobis opera vt semper ita se habeat: Inter alia magna quibus nos Religiosi fruimur, bona, illud non mediocre est, quod in eorum congregatione agamus, qui omnes in virtute indies proficere, & semper Religiosiores esse student: in quo qui magis excellit, is pluris æstimatur. Bonus porro Religiosus in amore Dei & virtute ita fundatus & solidus sit oportet; vt, esto aliquam in hoc cœpto contradictionem experiretur, non propterea à bono, & quod melius est sectando, dimoueri, nec Religiosus & Dei seruus videri erubescere debeat. Nam quem huius rei pudebit, timere is debet, ne & Dei filius eum vt seruum suum agnoscere, & coram Patre suo cõfiteri erubescat, sicut aperte in Euangelio asseuerat: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & Patris & Sanctorum Angelorum.*

Religiosus non curat quid alij loquuntur dum bene agit quemadmodum sæculares.

Ioan. 3. 2.

Religiosus bonus non mouetur dicteriis aliorum.

Luc. 9. 26.

Si quis nobilis seruum conduxisset,

qui

qui eum conmitaretur & honoraret, & hic tam arrogans & factuosus esset, vt, cum simul cum domino foras prodit non ponè eum, sed nimis quam procul ab eo sequeretur, ne illius famulus videatur, certum est, illum domo eiiciendum & proscribendum Idem porro supplicium metuatis, quem & Dei seruum, & Regularum suarum seruantem videri pudet.

Famulus dominum suum erubescens indignus qui recipiatur.

Vt autem hanc rem omnem clare perspiciamus, ipsi nobis persuadeamus necesse est, non domesticos solum, sed & exteros multum ædificari, si quando nos in Regularum obseruantia exactos & illarum perstudiosos vident. Verbi g. Si vbi cum illis loquimur, campana signum datur & iis dicimus, Domine ad hoc vel illud officium signo hoc euocamur, & honeste modesteque eis dimissis, eo nos conferimus, quo vocamur. Constat certe sæculares nonnullos hoc facto magis ædificatos fuisse, & plus inde commodi cepisse, quam ex omni eo quod ipsis, apud eos manendo, dici potuisset.

Religiosus domesticos & externos ædificat.

Quoque qui id facit, senior est, maioribusque naturæ donis instructus, magis ædificantur.

Adeo vt cum quis in Regulis suis seruandis exactus & serius est, & facultatem sibi petendam esse ait, ad id quod alter eum nouit sine ea facere non posse, non id pudibunda reticentia fit, non inciuilitas (etsi alius ille Pater sit annis grauis) non denique scrupulositas, sed ardens erga disciplinam Religiosam studium, & proficiendi desiderium.

Itaque hoc neminem offendere, sed omnes maxime ædificare notum est. Si singulare & extraordinarium quid cuipiam esset faciendum, aliquam forte excusationem mereri videatur, si quis tum dicat, singularis videri nolo, ne me quis hypocritam putet.

Illud vero de quo hic agimus, aliud non est, quam Regulam tuam seruare. Preterea si semel id feceris, ianuam quodammodo occludis, ne huiusmodi quid in posterum tibi contingat, quod magnæ quieti occasio est, at si semel auscultes, & ianuam his adaperias, causam præbes vt & alias hac via te hostes adoriantur.

Quinimo præter bonum & commodum id, quod inde sibi quisque colligit, fratri quoque suo non mediocriter commodat. Nam fortasse alius ille ad regulam illam non reflectebat, qui tuo exemplo commonitus, ad eam reflectere, & eam æstimare incipit. Et sane melius illi & salutarius monitum dari à te non potuit.

In Chronicis Hieronymianorum Religiosus quidam silentii legitur obseruantissimus extitisse, atque illo nomine apud omnes magno in honore & reuerentia fuisse, qua fama vir quidam nobilis excitus, monasterium eius adit, cum illo colloqui auidus. Hunc ergo vt vidit solum ad hortulum suum properantem, ei instans inclamat, vt eum ad secum loquendum proliceret, at Dei famulus nec stetit vt videret à quo vocaretur, nec verbum ei vllum locutus est. Hunc ergo pone cum sequeretur, ambo simul hortum ingressi sunt.

Chronicis ordin. S. Hieron. c. 28.

Silentium ædificat externos.

In cuius ingressu vir Sanctus se in terram ilico prostrauit, oculosque manu velans, ei qui sibi loquebatur ait, An ignoras, Domine, te fas mihi non esse, sine Prioris mei potestate alloqui? Quo dicto, rursus se in terram abiecit, aliud vltra verbum non proferens. Nobilis autem vt hanc viri Sancti taciturnitatem vidit vlterius eum premere noluit, sed vt historia testatur, domum abiit magis hoc illius silentio, quam si mille ex eo verba audisset, ædificatus.

Alius eiusdem instituti vir Sanctus (vti in iisdem ordinis Annalibus refertur) inter cæteras, quibus conspicuus erat, virtutes, hanc habebat, quod valde parum & raro loqueretur, maxime temporibus iis, quibus seruandum erat ex Regula silentium, nec non in iis locis in quibus loqui est interdictũ: puta in claustro vel templo. Quare tam studiose ca-

Ibid. c. 31.

uebat, nequid in iis quæ diximus locis loqueretur, vt ne quidem respondere vellet iis, qui ibidem sibi quid dicebant. Quodam tempore, cum Rex Henricus ad Monasterium venisset, & casu per claustrum obambularet, videns Religiosum hunc illac transeuntem, eum ad se vocauit, vt secum loqueretur, quod illum ob vitæ sanctimoniam magni faceret, & carum haberet. At hic gressum figere noluit, nedum respondere. Eum ergo vt nihil respondere Rex vidit, altius inclamare cepit, & illum insequi nominatim vocando. Verum Dei seruus, nec stetit tum, nec verbum locutus est, donec extra claustrum venisset. Ergo, ambobus iam extra claustrum versantibus, percontatur eum Rex, Cur ante sibi loqui noluisset? Ille causam rei huius reddens: In claustro, inquit, in quo me Maiestas vestra vocabat, Religiosos loqui minime decet. Atque hæc fuit causa cur nihil responderim, vsq; dum foras prodirem. Et addit historiæ, hoc Regem responso mire fuisse ædificatum.

Silentio Rex ædificatur.

CAPVT IX.

De aliis mediis, quæ ad Regularum obseruantiam non parum nobis conferent.

PRæter id quod iam dictum est, ad seriam exactáque Regularum nostrarum obseruantiam, exstimulabit nos quam maxime: Primo bonum ædificationis exemplum, quod dare nos omnibus oportet, iuxta illud Apostoli: *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Neque enim sufficit, esse nos bonos nobis, verum insuper necesse est vita nostra & exemplo aliis luceamus. *Sicque luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera* nostra *bona* & vitam exemplarem, *& glorificent patrem nostrum qui in cælis est.* Perinde ac homines Deum laudare, glorificare ac benedicere solent, cum vel arborem floribus ac fructibus onustam, vel rosam pulchram & odoriferam conspiciunt. Omnibus quidem hominibus sublustri hoc bonæ vitæ exemplo præluceamus oportet; fratribus tamen nostris, quibuscum frequentius conuersamur, quam maxime & potissime.

Rom. 12.17
2. Cor 8.21
Matt. 5.16
Exemplum bonum.

Porro bonum isthuc exemplum & ædificatio, non tam consistit in eo, vt gratia nulla peccata committas, quam vt paruas imperfectiones euites, & nemo non ad oculum videat, esse & in obedientia & Regularum obseruantia quam exactissimum, ac parua & minuta Religionis iussa & consuetudines magni facere, & in pretio habere.

Vnde, Qui in hoc magis eminet & excellit, plus exempli boni & ædificationis dat, & quo professione quis antiquior, & scientia eminentior, eo etiam magis alios ædificat, si in rebus illis exilibus solicitus ambulare, & exactus esse appareat. Alia æstimari & magni fieri antiquitas non debet, non aliter quis aliis dici antiquior quam quod sit præ aliis humilior, mortificatior & in Regularum obseruantia, & in omnibus iussis, quantumuis exilibus, exactior: Prout in Euangelio Redemptor ac Magister noster Iesus nos docuit, dicens: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Si sunt nimirum qui bono suo exemplo Religionem sustentant, & vt virtus & disciplinæ Religiosæ vigor semper latius diffundatur, efficiunt hi columnæ sunt quibus ipsa suffulcitur & innititur. In Apocalypsi ait CHRISTVS, *Faciam illum columnam in templo Dei mei*, & Ieremiæ Deus olim dixit: *Ego dedi te hodie in columnam ferream, & murum æneum.*

Luc. 22.26
Apoc. 3. 12.
Ierem. 1.18

Contra vero nullum quis maius inferre Religioni damnum noxamue potest, quam prauum fratribus in ea exemplum præbendo, quo autem Veteranior, talentisue maiorib. instructus erit, eo hęc noxa erit maior. Exemplum namque ad mouēdū, & alios post se trahēdos, vti S. Patres

Patres nos & experientia docent, est efficacissimum, in malo vero & vitio adhuc multo est potentius. Si ergo alius ille te, qui veteraniores, ita tepide Regulas tuas obseruare videt, & parua non curare, quid faciet ipse accedente illa inclinatione naturali, qua omnes quotquot sumus ad libertatem aspiramus, & quibusdam Regulis arctari, restringi, ac cohiberi detrectamus? quid, videns iter complanatum, & ostiolum apertum faciet aliud quam per ipsum transire?

Exemplum malum causa multorum malorum.

Hoc scilicet volebat & aliud non exspectabat, quam vt quis sibi hic Ducatum præstaret, & quæ inde sequeretur, verecundiam sibi tolleret. Hoc modo disciplina Religiosa paulatim relaxatur ac dissoluitur: cuius rei tu prima es causa & initium.

Itaque non solum propriarum, sed & alienarum tibi culparum Deo reddenda erit ratio, quod malo tuo exemplo illarum causa fueris: iuxta illud Prophetæ *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Hoc ergo adiuuare nos debet, vt in Regularum nostrarum obseruantia exacti & serii simus, & nihil in iis agamus, quod aliquem offendere & scandalo esse possit.

Psal. 18.13.

Altera vt Regularum obseruantia semper integra vigeat & in flore permaneat, ratio est in primis obuia, & admodum facilis: & hanc nobis B. P. in ipsis constitutionibus ac Regulis assignat, dum ait: *Aliquoties singulis annis omnes à superiore sibi pœnitentias iniungi propter defectum obseruationis Regularum petant: & hæc cura iudicium sit illius quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habeat.* Tanti faciendæ nobis Regulæ nostræ sunt, vt, dum eas transgrediamur, non modo propterea in animo interius displicentiam sentire ob l. ipsum summopere dolentes, sed eam exterius ostendere nos oporteat, aliquam propterea pœnitentiam nobis iniungi petentes, & iniunctam exequentes.

3 pa. const. c. 1. §. 28 & Regul. 51. Summarij.

Quod cum fit, etsi subinde quis in Regulas impingat, pœnitentia tamen hanc fracturam reparat ac restaurat, ipsæ quoque Regulæ in vigore, integritate & obseruantia sua perinde manent, ac si eas nemo violaret.

Docent vulgo Doctores Iuris ciuilis necnon Theologi tum legem in vi sua, flore vigore & viridi obseruantia, atque tam integram quam si tunc primum conderetur, manere, cũ qui eam infringit, castigatur, neque enim est necesse, vt, quo lex in vigore & obseruantia sua manere dicatur, ea à subditis non infringatur, sufficit ad hoc, serio aduigilari, vt qui eam transgrediuntur, pœnas dent: at cum passim ab omnibus, quauis occasione violatur, hæcq; violatio non castigatur, nec curatur, id inquiunt, signum est, legem illam in vigore non esse nec vim legis obtinere, sed per non vsum, vel vsum contrarium iam derogatam & abrogatam esse. Id ipsum nos de regulis dicere possumus. Quando videlicet tam in Religione solicite proceditur, vt statim, atque erratum committitur, & contra Regulam peccatur, sequatur pœnitentia, tunc optime Regularum obseruantiam vigere: At, cum hinc Regulæ passim, & de facili violantur, multæque circa eas imperfectiones admittuntur, illinc vero nullas propterea rogari iubirique videmus pœnitentias, vere nos dicere posse illas minime seruari: quandoquidem tam libere & effrenate violantur, vt hucne quidem reflectatur, peccans impune habeat, imo erratum etiam parui fiat. Dicendum ergo, Regulam illam iam vim Regulæ non obtinere, quod eam vsus in contrarium abrogarit, cum ea superioribus videntibus vel conscíis, infringatur, nullas autem violator pœnas luat.

Lex tunc viget quãdo improbitas castigatur.

Atque hinc est, quod superiores, quibus ex officio necessario incumbit prouidere, vt Regulæ in vigore & flore suo permaneant, quique Religionis ceu excubitores & custodes sunt, pœnitentias pro defectibus in earum obseruatione

tione commissis iniungere in conscien-
tia teneantur. Adeo vt, dum te superior
ære vel verbis castigat, non ideo faciat,
quod male erga te sit animatus, vel mi-
noris te faciat (nouit siquidem, nos
homines esse, & tanti non esse vnam
vel alteram Regulam transilire) sed vt
suo officio satisfaciat, à quo & Regu-
larum integritati consulere, & vt in
vigore primo maneant, aduigilare iu-
betur.

Vnde si, dum illæ violantur, vel parum
curaret ac dissimularet, vel violantem vt
oporteret non corriperet: ostenderet haud
dubie parui se eas facere, hanc violatio-
nem velut ratam habere & consentire,
vt earum vsus & exercitium paulatim in-
tercidat, ipsaque Religio tandem relaxe-
tur & intepescat. Atque hæc est, inquit
De sex alis S. Bonauentura, inter Religiones obser-
Seraphim. uantiæ primæue seruantes ac reforma-
c.1. ala 1. tas, & alias dissolutas relaxatasque dif-
ferentia: non quod in his peccetur, & in
illis minime (hoc namque prorsus fieri
Iacob. 3. 2. nequit, quia *in multis offendimus omnes*)
sed, quod in obseruantibus & reforma-
tis, qui regulam infringit castigetur &
reprehendatur, in dissolutis nequa-
quam.

Quod ergo superior ratione officii sui
facere tenetur, id etiam ab omnibus pas-
sim B. P. N. vult vsurpari. Vnde ait: *Ali-*
quoties singulis annis omnes à superiore sibi
pœnitentias iniungi propter defectum obser-
uantiæ Regularum petant.

Valde quippe Præposito laboriosum
foret, ac molestum, si, vt lictor & vindex
delinquentibus singulis à tergo instare
deberet, & eis pro vnaquaq; quam præ-
tergreditur Regula pœnas ex merito in-
iungere.

Et fieri id plane non poterat: & esto
Pœnitentia posset, suauitati tamen, quam societas v-
spontanea. surpat, minime id conueniebat: Id tuum
est curare, tuum est primo apud superio-
rem culpam tuam dicere, pœnitentiam pro
ea poscere, nec permittere, vt ante ab a-
lio quam à te tuam Præpositus culpam &
defectum resciat. Tuæ namque eæ sunt
partes, & magis per hoc ipsum tu, quam
alius quilibet, lucraris.

Inprimis vero ponderanda est, quam
huiusce rei in eadem regula B. P. assignat,
ratio: *Vt hæc cura indicium sit illius quam*
de suo profectu spirituali in via Dei quisque
habeat, Adeo vt, dum quis de pœniten-
tia ob defectum in Regulam commis-
sum à superiore petenda anxie solicitus
est, simul etiam se de profectu suo spiri-
tuali laborare, & esse solicitum ostendat:
contra vero, qui variis Regulis violatis, *Pœnitenti-*
multosque in iisdem defectus commit- *arum.*
tens aliquam propterea pœnitentiam *frequens*
petere negligit, suo de profectu parum *vsus, signũ*
se laborare declaret. *feruoris.*

Vnde dum pium hoc exercitium domi
frequens est, multæque passim pœniten-
tiæ & mortificationes suscipiuntur, rem
domus optime procedere, magnum in-
didem vigere feruorem, atque adeo om-
nes bene ędificatos & animatos esse cen-
semus.

Hoc ergo secũdum est medium quod
iam damus: quod sane admodum obser-
uatu facile est. Non dico nullos omnino
in Regularum obseruantia defectus no-
bis esse admittendos: ad hoc enim Ange-
li esse deberemus non homines: sæpe nã-
que in eas impingemus: & quis est quan-
tumlibet iustus, qui non aliquando in
venialia incidat? *Non est enim homo, qui*
non peccet. *3. Reg. 8. 46.*

At cũ delinques, aliquẽ doloris ac di-
splicentię sensum ostende, vt appareat te
Religiosum esse, Regulas magni facere
& æstimare, magnumq; & ardens earum
seruãdarum desideriũ præferre. Videaris
saltem quamprimum culpam & com-
missum dicere: nam pro paruam hãc pœni-
tentiam quam subis Regulæ violationi
plane satisfacis: quin etiam hinc maius
accipies compendium, quam ante passus
es dispendium; ipse quoque diabolus ob
defectum, in quem præcipitare te com-
pulit, non tam gloriabitur, quam con-
fusus erubescet, quod ipse tam bene eum
reparare scieueris.

Ita id

Dæmon pœnitentiis vltro susceptis confunditur.

Ita id ipsemet alias apud S. Patrem Dominicum, etsi inuitus, fassus est, quando ab illo per omnes est Monasterij officinas deductus, & dicere iussus, quo in singulis earum modo Religiosos illius tentaret. Nam cum ad Capituli locum tandem deuentum esset, in quo & culpæ palam aperiuntur, & peccantes coarguuntur & castigantur; dæmon infrendens & ringens, hic, inquit, perdo quidquid in recreationis, refectionis, ac reliquis locis ante sum lucratus.

Et non apud Deum solum, verum etiam apud homines, per hasce pœnitentias Regularum violatio abunde reparatur & ei satisfit. Negligens v. g. fuisti in campanæ signo audiendo, vel ad id, te conferendo, ad quod vocabaris, publicũ aliquem defectum, quem viderunt omnes admisisti, ecce per pœnitentiam aliquam publicam & tantum dicendo culpam tuam negligentiæ huic medicina fiet. At si defectus quidem videatur, nulla tamen propter eum pœnitentia suscipi, merito dici poterit, in domo illa obseruantiam Regularum non vigere, sed eam paulatim deficere & pessum ire.

Notandum autem hic est, licet in Societate potius moris sit, vt pœnitentiæ vltro petantur, quam à superiore iniungantur, & ita id semper fieri conueniat, non propterea tamen secundum pœnitentiarum vsurpandarum modum, qui in Regula præscribitur intermittendum videri: *nimirum quando eas propter eundem finem superior imponit.* Hæc enim causa foret vt pœnitentiæ, quas superior iniungeret, difficiles viderentur, & nõnulli nimis quam indigne ferrent, has sibi pœnitentias præscribi: quod notabile Religionis detrimentum & scandalum foret omnium.

Reg. 4. Summarii.

Quocirca hunc dandi pœnitentias vsum amplius extendi & generaliter ab omnibus practicari par est, quia nũquam eius vsurpandi deerit occasio. Imo, esto hæc deesset, vult B. P. *Vt omnes parati sint admittere & adimplere prompta voluntate omnes & quasuis pœnitentias, quæ sibi erunt iniunctæ, etiamsi propter defectum non culpabilem iniungerentur.* In quo suam quis virtutem, humilitatem, nec non quo erga sui profectum ardeat, desiderium magis patefacit: Iuxta illud Apostoli Petri: *Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Parum sane est, quod, cum reuera deliquisti, & reprehendi mereris, dum reprehensionẽ ac pœnitentiam æquanimiter sustines; at quando nullo tuo de merito reprehenderis, & mulctaris perinde ac si reuera peccasses, pœnamq; patienter & æquanimiter fers; hoc profecto permagni faciendum est.

Reg. 37. Summarii.

1. Petr. 2. 20.

Tertio ad regularum obseruantiam non parum cõferet id; quod vltima Summarii, & vltima communium regula habemus, videlicet eas scire & nosse; vnde illic præcipitur, vt omnes eas in cubiculo asseruent, & singulis mensibus legant, vel legi audiant. Quibusdam etiam satis non est, illas in Refectorio semel in mense legi audire, sed præterea in lectione sua spirituali quotidie tres aut quatuor præter communem lectionẽ Regulas euoluunt: quo fit vt nulla non Regula singulis mensibus pensiculate attenteque percurratur & ruminetur. Quæ sane praxis inprimis laudabilis est, & optima spiritualis lectio futura.

Adiumento demum huc erit, de ipsa Regularum obseruantia examen particulare instituere; non quidem de omnibus simul, sed primo de ea qua maxime quis opus habebit, ac deinde de alia, interdum de iis singulatim, quæ ad officium suum spectabunt. Et erit id examen inprimis proficum & fructuosum.

***

TRACTATVS SEPTIMVS.

Quam se quisq; superioribus & Patribus spiritualibus clare & liquidò aperire debeat, integram & planam illis conscientiæ rationem reddendo.

CAPVT I.

Quanti momenti ac necessitatis sit, sincere nos cum superioribus nostris agere.

Lib. 4. de instit. renunct. c. 9. & collat. 2. Abbat. Moysis c. 10



PATRIBVS illis antiquis id Cassianus scribit solenne & vsitatum fuisse, vt quotquot Dei se seruitio primum manciparent, eos, velut primam Alphabeti litteram, docerent omnes tentationes & prauas cogitationes, & quidquid in anima sua contingeret, maioribus ac Magistris suis statim declarare. Et erat id ceu primum doctrinæ spiritualis quam tradebant, principium & rudimenta. Vnde S. Antonius dicebat: *Si potest fieri, quot passus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella sua, habet declarare senioribus vt non demetur in ipsis.* Vnde scribit Ioannes Climacus multos se quodam in Monasterio, sanctitatis nomine illustri, vidisse Monachos, qui de zona libellum gestarent, in quem omnes suas quotidie cogitationes scripto referrēt, vt illarum deinde archimandritæ suo rationem darent. Aitque hoc eos superioris sui iussu facere solitos. Idem documētum signanter proponunt S. Basilius, S. Hieronymus, Ambrosius, & Bernardus.

Manifestatio sui.

In Vitis Patrum p. 2. §. 104.

C. 4. de obedient.

In constit. Monast. & aliis in locis in regul. Monast. c. 34.

Lib. 3. offic. c. 16. De ord. vitæ & morum instit. c. 4.

Exam. §. 34.

Quod autem communis Sanctorum Patrum doctrina est, & primum apud priscos illos eremicolas principium vitæ spiritualis erat, id nobis Beatus noster Pater, velut permagni momenti rem, & inprimis necessariam verbis grauissimis, quæ in Constitutionibus legere est inculcat. Re, inquit, *in Domino considerata, visum est nobis in diuinæ maiestatis conspectu mirum in modum conferre, vt superioribus subditi omnino perspecti sint.* Non solet autem B. P. aliis in rebus, etsi maximi eæ momenti sint, tali modo loqui. Satis quoque illi non est nude hoc modo rem hanc proposuisse, sed eam etiam rationibus efficacissimis probare connititur. Et prima quidē cur necesse sit & magni referat, manifeste & candide se superioribus declarare, ratio est, vt hoc pacto subditos hi suos melius dirigere & gubernare queant. Superior quippe tenetur te regere & conducere; hoc namq; eius officium est, hoc est Rectorem, hoc superiorem esse. Iam si te perspectum non habeat, si te ei non aperias, certum est id eum, prout oportet, non posse facere. Ait enim Sapiens: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur.* Si suam æger Medico plagam & morbum non detegit, ab eo curari non poterit. Etenim vt D. Hieronymus scribit, *Quod ignorat medicina, non sanat.* Necesse est tuam medico inualetudinem declares, si eum tibi medicinam facere velis, quin imo, si multis languoribus & morbis simul tenearis, eos ad vnum omnes reueles oportet: Si namque vel vnum celes, tale forte tibi Medicus medicamentum præscribet, magis vt tibi noceat quoad id quod tacuisti, quam cōferat quoad id quod declarasti: quod enim salutare est Hepati, noxium est spleni. Vnde te necesse est omnia mala tua declarare, quo ita suum Medicus medicamentū temperet in vno, vt in altero minime noceat. Pari ergo te modo, & ob eandem rationem, medico spirituali, qui ipse superior est, omnes tuas indispositiones & languores aperire oportet Cū enim Medicus ægrum bene perspectum habet, omnesque eius indispositiones, lan-

Prou. 28. 13

In illud Eccles. 10. 11. Si mordeat serpens in silentio.

Nihil celetur hic.

languores & naturalem complexionem penitius nouit, eum multo curabit facilius & citius, statim namq; ipsam morbi radicē agnoscit, videt quis humor peccaminosus prædominetur, quid illi prodesse, quid obesse queat, itaq; haud difficulter conueniens & congruum illi remedium applicat. Hac de causa solent principes & magnates secū medicos ducere, qui quocunq; pergunt, se sequantur, & comedentibus quotidie assistant. Nō vt is ad singula ipsis momenta dicat, ne comedas hoc, ne bibas tam multum (sic namq; graues ijs essent & molestiam exhiberent) sed vt, dum illos comedentes vident, eorumq; quotidiana exercitia, animi propensionem, & quæ ipsis obesse vel prodesse solent, assiduo vsu obseruant, eorum complexionem & naturam intimius perspiciant, ac postea, cum in morbum aliquem eos incidere continget, melius eos curare & medicamenta adhibere norint. Hunc ergo morem nos S. P. Noster seruare & medicos semper ad manum habere vult, qui omni nobiscum loco versentur, qui nostram cōplexionem, naturæ inclinationem, debilitatē vel robur intime & penitus perspectam habeant, quo melius idcirco nos curare & gubernare norint. Societatis nostræ regimen spirituale est & interius, nec supplicijs & castigationibus vllis continetur, itaque vt plurimum per iuridicam informationum, accusationū, ac denuntiationum viam non procedit, animę dumtaxat tuę remedium atque vtilitatem spectat, vnde tu ipse te Superiori detegas ac manifestes oportet, velut Medico, velut Patri, qui Dei vices occupat. Quod nisi facias, præsentissimo animā tuam expones periculo, Deūque tentabis, vtpote qui hominum te adminiculo regere & gubernare vult, bene autem hi te regere nequeunt, nisi te ipsis patefacias, quia ipsi te, qualis sis, perspectum non habent. Aliud ergo si spectes, Deum tentas, quandoquidē vis id, quod moraliter, loquendo, fieri plane non potest. Secunda ratio, quæ priorem etiam declarat, est quia quo superioribus omnia subditorum interiora magis & euidentius patent, eo his melius, accuratius & maiori cum amore poterunt succurrere, & animas illorum à varijs tueri inconuenientibus & periculis, in quæ forte prolabi possent, si huic vel illi loco, functioni, officio eos applicarent, quod eorum tentationes & prauas propensiones, quantaque eorum sit fortitudo, robur, & virtus ignorant. Præsertim quoniam in Societate ex vi professionis & instituti nostri semper nos oportet ad quocumque terrarum & locorum quotiescunque vel à summo Pontifice, vel superioribus nostris immediatis id nobis iniungetur, discurrendum paratos esse. Vt vero in id genus missionibus non erretur, hunc scilicet mittendo, non illum, & hos ad hoc negotium, alios ad aliud applicando, *non solum valde, sed & summopere refert*, (inquit S. Pater Noster) vt integram inclinationum & tentationum subditorum suorum & ad quos defectus & peccata natura sint vel fuerint propensiores, notitiam superior habeat, hoc pacto namque melius eos regere & dirigere poterit, nemini quid, quod vires excedat iniungēdo, neu maioribus periculis & laboribus exponendo, quam commode ferre quisque valeat. Quod autem Societatis regimen ita facile, suaue & recte procedens sit inter alias causas nō vltima est isthæc, quā Superiores vniuscuiusq; suorum subditorum habent (perspicatia & notitia, qua singulorum talenta, dotes, habilitates tū bonas, tum malas), & ad quid quisq; aptus, vel ineptus sit, intime nouerūt: hoc etenim modo sciunt quid de vnoquoq; in particulari statuendum sit, quis cui rei applicandus. Ita fiet vt nihil tibi præcepturi sint, quod vires, tum spirituales, tū corporales excedat, neq; vlli te sint periculo expositur, sed vnicuiq; iuxta vires & talentum, & vt in Euangelio dicitur, *Vnicuiq; secūdum propriam virtutē*, officia distributuri. Tertio, permagni hoc, inquit S. N. P. refert, vt sic melius Superior ordinare & prouidere possit id, quod vniuerso Societatis corpori consentaneum

Manifestandi negligentia quam periculosa.

Superiores debent suorum vires nosse & propensiones.

Mat. 25. 15

Necessaria ad bonum regimen manifestatio.

neum & conueniens est, vtpote cuius bonum & honorē vti & tui vnius particulatim, ipse recipere & curare tenetur. Cum ergo superiori te declarabis, eique integram plenamque animæ tuæ rationem reddes, tunc ipse de honore tuo per omnia solicitus, ac sine vlla tua nota & infamia, vniuersale totius corporis Societatis bonum respicere & spectare potest, si autem bene te integreque non patefacias, fortasse honorem simul & animam tuam necnon bonum Religionis totius nomen & honorem, qui à tuo vnius dependet, non paruo discrimini expones.

Non erit absre, si hoc loco, velut in transitu consideremus ac ponderemus, quomodo, quæ in rem & profectū proprium nobis Societas assignat media etiā sint fini illius conformia & proportionata. Si quidem institutum nostrum esset in cellis & solitudine manere, Chorū tātum frequentare & refectorium, tanta sane claritate, tantæ conscientiæ redditione opus non foret, at cum Societatis subditi tam diuersimode applicari apta ri & vsurpari, tam periculosas sublimesque functiones obire per mundum quocunque locorum inter fideles & infideles, & subinde etiam soli, & per longum tempus, mitti debeant: Superiorem ante probe nosse oportet, quid quisque possit, ne cum ipsum, tum Societatem vniuersam in præsens periculum coniiciat. Quin & subdito ipsi magnopere conducit, sincere se candideque superiori reuelare, vt nimirum sic conscientiam suam exoneret acquietam ac securam reddit: Si enim id non faciat, omnia isthæc pericula in illius caput recident. Si enim suam ipse in Spiritu debilitatem & exiguas vires Præposito declarasset, occasionibus, tentationibus & periculis his ab eo expositus non fuisset.

Varietas munerum poscit hanc manifestationem.

In moral. §. 12. tō. 1. Elegans simile.

Egregio simili & exemplo rem hanc demonstrat Plutarchus: Pauperes, inquit, dum diuites præstoli e videri volunt, magis inde depauperan t u r, vt tandem etiam nihil penitus rerum habeant: pares namque opulentiorib. sum ptus & expensas facere volunt id est maiores quam arcula sustineat: pari modo si Religiosus quis à virtute inops, & humilitate destitutus, suam tegere indigentiam, diues apparere & videri habere vult, quod non habet, magis reuera depauperabitur, & tandem fortasse sibi ipsi perniciem accerset: quia tractabitur vt diues quis, & fructibus collectis instructus, nam tentationibus & periculis, ad quæ pares opes, facultates & virtutes non habet exponetur, omniaque in illius caput mala conuoluentur, eo quod seipse minime reuelarit. Vnde, vel ob solam nostri securitatem ipsorum & satisfactionem, vt item conscientiam nostram exoneremus, nullum scrupulum sentiamus, & hæc in nos pericula non incurrant, hanc nostri ipsorum nos superiori rationem oporteret dare: tum vero vt Deum in nobis adiuuandis, atque ab omni periculo & peccandi occasione tutis conseruandis benigniorem & fauentiorem experiamus.

Quam vero ille Religiosus qui se totum Superiori suo manifestauit, omnesque suas miserias & imperfectiones sincere patefecit, in animo securus & quietus est, cum postea ad missionem aliquā ablegatur, vel huic aut illi officio applicatur quam is Deo confidit se ab eo omni in re adiuuandum, & in quibuslibet peccandi occasionibus & periculis quæ occurrent, à probro & lapsu eripiēdum; Dicet enim, Ego me Domine huic officio non applicui, functioni huic vltro me non ingessi, imo vero meam quoad insufficientiam, & exiguas spiritus mei vires candide proposui, tu me huc promouisti, tu id iniunxisti: Supplebis ergo quod mihi deest. Qua item fiducia repetit illud S. Augustini, *Domine da quod iubes, & iube quod vis?* Putat quippe Deum teneri, sibi concedere id quod à se fieri mandat.

Fructus eiusdē quies & securitas.

lib. 10. confes. c. 29.

Alter autem, qui animum suum minime declarauit, at fortasse, vt huic functioni

ctioni & operi admoueretur, vel ab alio quod ipsi placebat non amoueretur, aliquã tentationem, passionem, imperfectionem, vel debilitatem suam patefacere noluit, quam habere consolationem potest? Qui enim huiusmodi est, hunc nec mittit Deus, nec obedientia huic muneri admouet: nam iuxta philosophos, *ignorantia causat inuoluntarium*. Quocirca non est hęc proprie voluntas superioris, sed ipse propria voluntate se huc ingerit & intrudit: & intrusus est, non vocatus non missus: De quibus non incommode dici potest illud Dei ore Ieremiæ pronuntiatum. *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Qui tales sunt, quid mirum si impingant, si quæ agunt, non bene illis succedat? Vnde & merito timere, & perpetuo in angore & tristitia viuere possunt. Notent porro velim hi, minime se conscientiæ suæ & debito satisfacturos, quod superiorem ante rogent, ne se tali vel tali officio applicet vel huic periculo labendi exponat, in genere videlicet dicendo, sufficientes ad hoc vires ac virtutem in se non sentire: est enim causa magis in particulari, vti postea dicemus, exponenda, alioqui enim Superior quidquid dici potest humilitati attribuit, atque adeo qui sanctiores sunt, plerumque id genus plura sui humiliandorum causa allegare solent.

Ier. 23. 21.

Damnum neglectæ, periculosæ cordis desolatio.

Cap. Vlt.

Ob has ergo rationes S. P. N. tantopere id nobis commendat, & identidem ac repetitis vicibus in Constitutionibus, velut permagni momenti rem, ob commune totius Societatis bonum, inculcat. Tam porro hoc ipse sensu plenus est, vt, in quarta Constitutionum parte, vbi quid à quoquam clausum seruari vetat, non ianuam, non arcam addat, *neque quidem propriam conscientiam*; esto id eo loco ad Propositum facere non videatur. Tanti scilicet hoc facit, tanti id apud eum valoris est. Idem facit & in sexta parte cum ait, *Nihil ex externis vel internis eos* (superiores) *celent*.

Valde eam vrsit S. P. N. Ignat.

4. p. Const. c. 10. § 5.

6. p. Const. §. 1. § 2.

Adeo hoc in Societate necessarium esse credit, vt (sicut loquitur Apostolus) *oportune & importune*, vsus veniat, non veniat, & omni tempore illius nos identidem commonefaciat & in mentem reuocet. Et quo loco in quinta congregatione generali disquiritur, ecquæ substantialia & essentialia instituti nostri vt præcepta, dicitur, ea ipsa esse, quæ in instituti nostri formula ac Regula Iulio III. Pontifici fuere proposita, & tum ab eo, tum ab eius successoribus approbata & confirmata: nec non omnia illa, sine quibus priora vel non consistere, vel nõ nisi ægre admodum conseruari queunt, quorum vnum esse dicebatur ipsa conscientiæ apud superiorem retectio. Adeo vt hæc Societati ita substantialis sit, vt sine ea conseruari ipsa non possit. Quo vno pronuntiato paucis comprehendimus, quidquid demum dici queat. Quãdiu itaque sancta hæc ad superiores & Patres spirituales in omnibus rebus cõfugiendi, animæque penitus illis patefaciendæ, consuetudo etiam in aliis Religionibus viguit, notarunt & obseruarunt historici nonnulli, tam diu eas in primo obseruantiæ vigore integras perstitisse; econtra experientia teste constat, hoc communiter causam esse solere cur quis in Religione pereat & pessum eat, quod videlicet paulatim intepescere, passionem aliquam & malam inclinationem sequi, in exercitiis spiritualibus segnescere & modo vnum mox alium defectum admittere incipiat: ipse vero imperfectionem suam obtegere satagat, suæque infirmitatis rationem non reddat, vnde hoc pacto plaga paulatim vitiata putrescit, ingrauescit, incrudescit, & quod initio paruum malum erat, mox ita adaugetur, vt postea fiat prorsus insanabile & immedicabile, ac tandem totum ædificium corruat, quia iam à longo tempore rimas agere ac fatiscere cœpit, nullumque ei remedium adhibitum est.

2. Tim. 4. 2.

Can. 17.

Substãtiale medium est conseruandæ Societatis manifestatio.

Refert Bern. Rossignol. li. 1. de discipl. Christ. perfect. c. 1.

Neglecta labefecit multas familias.

Tacitum vulnus abit in insanabile.

Quod etiam his verbis bene notauit S. Dorotheus: *Dicunt aliqui ideo, cecidit*

Serm. seu doctrinas.

Fitq; causa apostasiæ.

hic, hac de causa Monasterio egressus est ille: quippe morbus eum exire compulit vel parentes: at ego dico nec hoc nec illud in causa fuisse, sed quod ipse iam inde, initio se non detexit, & eorum quæ in anima sua contingebant, rationem superiori dare noluit.

CAPVT II.

Quanta quiete & consolatione mentis fruatur, qui superiori ac Patri suo spirituali totum se reuelat, & quanta hac in re bona & commoda includantur.

Lib. 1. offic. c. 6. *Lib. de amic. c. 5.* *In reg. monach. c. 34* *De ord. vitæ & morum instit.* *Amicus bonus vitæ medicina.* *Eccl 6.16.* *Eccl. 6.14.* *Eccl. 6.15.*

SAncti Patres & Ecclesiæ Doctores, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & Bernardus docent, vnum è maximis, quæ hac in vita obtingere homini solatia possunt, esse, quod fidelem nactus sit amicum, in quo conquiescere & cui fidere queat, totum animum suum & cuncta cordis arcana illi detegendo, iuxta illud sapientis. *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Nulla inquit S. Augustinus est medicina ad curandas plagas tam efficax, quam talis amicus, qui te in laboribus consolari, in dubiis consulere, in prosperitatibus tecum gaudere & congratulari, in aduersis denique compati queat. *Qui autem inuenit illum* (talem amicum) *inuenit thesaurum.* Quid dico thesaurum? *Nam amico fideli nulla est comparatio: non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Hanc porro gratiam Dominus tibi in Societate contulit: talem namque in ea amicum (superiorem scilicet) nactus es, ille enim tuus est Pater spiritualis, tuus Magister, tuus Medicus, mater & frater tuus: ac viscera & cor erga te habet plusquam maternum, resque tuas tam quam proprias, & plusquam proprias curabit. Vide ergo, vt tali amico debite commodeque vtaris, teque magna cum fiducia ei aperias.

Eccl. 6.36. *Solatium ex manifestatione incredibile.*

Si videris inquit eo quo ante loco sapiens, *sensatum* & amicum talem, *euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus,* assidue eum de rebus tuis consulendo, tuaque illi communicando, quia verum in illo solatium, consilium & remedium omnibus in rebus, in quibus necesse erit inuenies. Quemadmodum enim infirmo solamen & alleuiamentum est, ei se aperire medico, à quo sanitati reddendus est, ita afflicto mœrenti & desolato magnam consolationem & recreationem adfert, pœnas, molestias & afflictiones suas patefacere ei, qui consolationem & opem adferre potest.

Inter alia, quæ tristitiæ pellendæ, & cor afflictum exhilarandi media Philosophi morales assignant, est afflictiones suas alteri referre & patefacere.

2.q.38.a.2 *Ex eadem doloris lenimen.*

Et adfert hoc D. Thomas, vbi de tristitia tractat, hancque huius rei dat rationem. Nam quando quis inquit, mala & aduersa sua solus apud se tacendo cōcoquere & ferre vult, maior est ad ea mētis attentio, & cor magis eodem fertur; vnde etiam hominem magis affligunt; at quando ea aliis communicat, aliquatenus inde mentem diuertit, attentio namque tunc distrahitur ac dilatatur, & animus nonnihil respirat.

de interpret. Patrū *Nebulas animi tristes discutit.*

Ita id fieri communiter per experientiam videmus, & ita vulgo dicunt homines, Ignoscas, quæso hæc tibi grauamina mea narranti, quia aliquam ex hac narratione consolationem videor accipere, S. Abbas Nilus Ioannis Chrysostomi olim discipulus, id communiter à Patribus, illis antiquis hac in re solitum dari remedium scribit. Quod & ipsi scita quadam similitudine declarabant, vti nubes tum densæ & obscuræ sunt, cum aquis turgent, at postquam eas effuderunt, à se reiecerunt & exonerarunt, clarescunt & splendidæ fiunt, sic quamdiu quis à tentationibus suis onustus & grauis incedit, in magna tristitia, confusione, angoribus viuit & melan-

cholia

cholio appletus: at hocce à se onus excutiendo, prout id exstillat & à se abiicit, prout superiori se aperit & manifestat, ita & ęgritudine animi pulsa cor alleuiatur, tristitia mitigatur, & homo gaudio, consolatione, miraque animi pace & quiete deliuitur.

Serm. 5.

Exprimentum S. Dorothei.

Scribit se Dorotheus tantam animi pacem & gaudium sentire solitum, dum omnia sua Magistro & Patri spirituali retegebat ac manifestabat, vt, quod tanto mentis gaudio perfundebatur, timere ac suspicari cœperit, bonone in statu animæ suæ res versarentur, & sibimet ipsi indignari.

Sciebat siquidem cœlestia gaudia intrare volentibus tribulationes & aduersa, Domino asserente, necessario subeũdas esse (*quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*) cũ porro se non tam labores & tribulationes pati, quam deliciis & consolationibus videret perfundi, formido hæc illi obnata est, rectumne in cælos iter insisteret, an secus donec Magistrum suum & formatorem Ceratis Ioannes Abbas consulens, ex eo audiit non esse, quod propterea affligeretur aut laboraret: quoniam quam ille sentiebat pax & animi transquillitas promissa erat iis, qui conscientiam suam superioribus retegunt, vti ipse faciebat.

Ca. praced.

Reg. 25. Rector.

Quod autem tanti id momenti sit, ideo id B. P. nobis, vti ante diximus tam operose importuneque cuculcat, vultq; superiores sæpe cum subditis agere & loqui nam vt alia taceam quę in hoc inclusa sunt bona, per priuatam & familiarem hanc conuersationem mirum in modũ subditi animãtur, vt ad superiores sincere refugiant, & calre perspicueque se illis retegant. Quin vt rei huius maior sit occasio & ad maiorem omnium consolationem, in constitutionibus statuit singulis vt in dominibus & collegiis quidam sit rerum spiritualium præfectus, ad quem omnes vt conscientiæ suę quieti consulant, consolationem

.p.c.1.§. 2. & 4.p. 10 §.7. icut & ræfecto ...rituali.

in eo inueniant, & in animæ negotiis dirigantur, recurrere possint. Vnde præclare Cassianus: videmus, inquit, omnes disciplinas humanas, & vniuersas artes mechanicas, quæ tamen nonnisi ad temporalia bona sunt vtiles, esto etiam ita materiales sint, vt eas oculis videre & manibus contrectare possimus, ab homine nihilominus addisci & percipi non posse, nisi alteri eas docenti se is in discipulum subdat.

Collat. 2. Abbat. Moysis c.11.

Simile. Nulla sine magistro ars perdiscitur.

Quomodo ergo tibi persuadeas in hac sola profectus tui spiritualis scientia non esse tibi opus Magistro, qui te doceat & quid faciendum sit præscribat, præsertim cum tam obscura, spiritualis & inuisibilis ea sit vt non queat oculis corporeis, imo nec animæ quidem, nisi magna cordis puritas accesserit, videri? & in qua qui errarit, non, vt in aliis scientiis vsu venit, temporalem, quæ facile reparabilis est, iacturam facit, sed animã suam in sempiternum vel perdit vel lucrifacit.

Non hic cum hostibus visibilibus, sed inuisibilibus, non cum vno aut duobus, sed innumeris Dæmonum noctu & interdiu assidue nos impugnantium, cuneis nobis certandum est. Hac de causa necesse nos est, inquit Cassianus, diligenter & serio ad maioris nostros & Patres spirituales recurrere, quidquid in anima nostra introrsum geritur, illis declarando vt per eos hoc pacto dirigamur & adiuuemur.

Aliis autem rationibus omissis, ingens fructus & bonum inde prouenire natum, quod singulis in domibus quidam sit rerum spiritualium præfectus, quodque is passim consulatur, liquido patebit ex iis quæ cum ipso tractantur & communicãtur, declarare enim ei homo debet, quis orationis, quam obit, sit successus quo in illa modo & methodo, procedat, quẽ ex ea fructũ colligat, num quas adhoc institutas & præscriptas habem' daditiones & monita seruet: qua super

Quid patefaciendum Prafecto Spirituali.

per

per te particulare examen instituat,
num erratorum numerum per puncta
annotet, & num examen cum altero
conferat; num spiritualem lectionem
instituat, quemnam ex illa fructum eli-
ciat: num quas tentationes habeat, &
quomodo se in ijs gerat: quas pœniten-
tias & mortificationes cum priuatim, tũ
publicẽ obeat: in obedientia quomodo
se habeat, necnon in indifferentia, in hu-
militate, in Regularum obseruantia,
& in aliis id genus rebus. Qui porro no-
uit, esse sibi horum omnium alteri ratio-
nem reddendam, certum est, eum pro-
pterea paulo accuratius super se aduigi-
laturum, eam vt meliorem dare queat.
Præterea, minime dubium est, quin ad
rem aliquam magni faciendam, & à no-
bis maiori in pretio habendam, singula-
re medium sit, quod ab alio eam magni
fieri & in pretio haberi videmus. Cum
videam ergo semel & iterum isthæc à me
quæri, certum est, teneri me propterea
accuratius ad eadem reflectere: & si se-
mel impegerim, dare operam, ne impin-
gam denuo. Adhæc, quemadmodum
Theologi & Sancti Patres sacramen-
talem confessionem forte velut frenum
ac retinaculum esse docent, ad homines
à peccando retrahendos, vti reipsa id in
Hæreticis videre fuit, qui eam & nega-
runt, & vsurpare desierunt. Adeo quidẽ
vt cum propterea populus in Germania
scelaribus & flagitiis scateret, itaque ini-
quus in proximum esset, vt ne vicinus
quidem à vicino tutus esset, ipsimet hæ-
retici legatione missa, Imperatorem
Carolum V. rogarint, vt legem ferret,
quæ omnes ad scelerum confessionem
instituendam obligaret: quod enim
auricularis sublata esset confessio, ciui-
lem vitam vix posse consistere, & homi-
nes tuto viuere, quo Imperator audito,
non parum risit, tanquam si ipse rem hãc
lege lata iubere posset.

Domin. Soto Dom. 1. in 4. Sent. dist. 18. q. 1. art. 1.

Quemadmodum inquam hominem
non parum à peccando retrahit nosse,
sibi, quæ delinquit, esse per confessio-
nem detegenda, ita Religiosos non pa-
rum ab erratis & imperfectionibus ad-
mittendis reuocat, videre, earum sibi
apud alterum rationem reddendam
esse.

Confeßionis frequẽtatio est vnum è primariis medius salutis.

Vt vero comparationem hanc longius
deducam, dico, confessionis frequenta-
tionem vnum è primariis esse mediis,
quæ alicui ad salutem in tuto collocan-
dam dare possumus, Nam præterquam
quod gratia & peccatorum venia in hoc
Sacramento obtinentur, quæcunq; cui-
piam suggeri possunt remedia & consilia,
in eo inclusa sunt. Vnde dum sæcularem
aliquem in spiritu proficere volumus,
consulimus illi: modo quidem, vt Rosa-
riũ deiparæ matri recitet: modo vt quo-
tidie, siquidem per occupationes liceat,
sacro missæ officio intersit, nonnunquã
etiam vt concionem audiat, interdum vt
aliquas suscipiat pœnitentias operamq;
det, ne quis sibi elabatur dies, quin ali-
quam asperitatem subeat: denique velut
omnium præcipuum, & quo priora con-
firmentur consulimus ei, vt sæpius bono
alicui cõfessario delicta sua confiteatur.
In quo vno quæcunque ei dari possunt
remedia simul comprehendere & quic-
quid illi dici queat, & opus habet, illi
suggerere videmur. Id enim ipse si faciat,
Confessarius singulis octonis vel qua-
tuordecim diebus, vel mensibus, ea illi
media & remedia suggeret, quæ vna vice
nec tu ei dare posses, nec alius accipere,
simul etiam rationem ab eo tunc poscet,
quomodo quæ illi antea remedia dedit,
opere exequatur.

Hæ namque bonorum confessariorũ
sunt partes, curare videlicet, vt pœnitẽ-
tes sui semper in virtute crescant. Hinc &
vitæ spiritualis Magistri pœnitentibus
semper consulunt, vt vnum & eundem
stabilem Confessarium semper habeant:
Nam hodie vni, cras alteri confiteri, par-
ui esse profectus causa solet. Pari modo
in hoc vno conscientiæ reddendę medio
particularia omnia media & remedia, quę
alicui ad proficiendum possunt, dari in-
clusa sunt. Ibi enim superior vel Præfe-
ctus rerum spiritualium videt quomodo

ex orationis, examinum, & lectionis spiritualis medio proficias; ibi apparet, quomodo tentationes, inclinationes, & prauam quam habes, indolem vnicas, ibi cernere est, quomodo silentium, humilitatem, indifferentiam & resignationem exerceas; num proficias vel deficias; hic deniq; tibi suggeritur remedium & consiliũ, quod particularis necessitas ac dispositio tua exigit dum modo quidẽ corripieris, modo ad pergendum animaris. Cumq; hoc ea suauitate & caritate fiat, qua fieri oportet, & qua id Societas per Dei gratiam facit (adeo vt id solum maioris boni tui & profectus in spiritu causa fieri, & solum hunc intendi noris) non potest medium hoc non esse efficacissimum & maximæ energiæ.

Caput III.

Suas superiori vel Patri spirituali tentationes aperire, efficacissima est ad eas superandas ratio.

Communis est Sanctorum Patrum doctrina, & apud antiquos illos Patres primum velut principium, vti ante diximus, tentationes quaslibet Præpositis Senioribus ac Magistris quamprimum ac percipiuntur, declarandas ac detegendas esse. Cuius rei etiã B. P. in Constitutionibus nos identidem cõmonet. At videamus obsecro, quænam eum ad hoc tam operose nobis inculcandũ, mouerit causa: nam nostra permagni intererit, eam nosse, quo veritas hæc cordis nostri intimo profundius insculpta maneat. Rei itaq; huius, iuxta Cassianum, ratio est, quia te Diabolus, idipsum si feceris, dolis, stratagematis, ac tentationibus suis, ceu Tironem aliquem decipere & supplantare non poterit, cum Magistri tui, qui Veteranus est miles, suis armis circumcinctus: non item velut ignarum ac belli inexpertum te fallet, si statim ad Patrem tuum spiritualem, qui & gnarus est & expertus recurras, & dictis eius audiens fueris. Neque enim tunc militem nouum vel tironem, sed veteranum & in spirituali militia versatissimum dæmon oppugnat. Omnem namq; confessarii ac Magistri tui scientiam, prudentiam, & experientiam, facis tuam, quando mox vt sentis periculum, illud ei patefacis, & consilio eius acquiescis. Vnde Cassianus veram hoc pacto ait prudentiam & discretionem, quæ magna virtus est, & quam D. Antonius tanti faciebat, comparari.

Cap. 1.

3. p. Const. c. 1. §. 12. & Regul. 41. summarii. Lib. 4. de institutis renunt. c. 9 & collat. 2. Abbatis Moysis c. 10

Nihil ad eos dæmonis dolos frangit, ac manifestatio tentationũ patri spirituali.

Cum enim sancti illi Monachi quadam in collatione vel conferentia spirituali inter se quærere cœpissent, ecqua virtus homini plus ad perfectionem momenti conferret; vnus castitatem nominaret (per eam namque sensuales appetitus sub rationis frenum rediguntur) alius abstinentiam, per quam sui ipsius homo imperium obtinet; alius quis de numero iustitiam aut eam quæ sibi præ aliis eminere videbatur, virtutem in medium afferret.

Antonius auditis omnibus, & quid sequendum esset; definiens ait: Nulla ad perfectionem comparandam virtus magis necessaria & conducibilior est, quam prudentia ac discretio; reliquarum namque virtutum exercitia, nisi ab hac condiantur & temperentur, Deo non placent, immo ne quidem virtutum sunt actus; si ergo, inquit Cassianus, perfacilem perbreuemque virtutis huius assequendæ modum cupis, omnia tua superiori significa & communica, & ex eius sententia, iudicio, consilioque, te dirige; itaque eam consequeris, & prudentiam & discretionem superioris tuam facies.

Manifestatione acquiritur prudentia.

Idem diserte scribit Sanct. Bernardus de hac virtute agens: *At quia omnino rara ista auis* (discretio) *est in terris, huius discre-*

Serm. 3. de circumcis.

*discretionis locum in vobis suppleat virtus
obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, ni-
hil aliter quam imperatum sit, faciatis.* Hoc
modo inquit suppletur & resarcitur ipse
discretionis & experientiæ defectus, &
vera acquiritur prudentia.

Hinc Sancti Patres tantopere com-
mendant, vt tentatus infestationes suas
quam primum alteri detegat, hanc quo-
que ob causam nihil adeo connititur &
procurat Diabolus, quam vt eas non de-
tegat: alium quippe & contrarium fi-
nem, nostrum inquam, damnum & in-
Serm. 5. teritum ipse spectat. Et nulla, vt ait Do-
item Ab- rotheus, re adeo gaudet, quam dum suas
bas Pomeri, quis tentationes & cogitationes Præpo-
vt habetur sito reuelare detrectat; tunc namque de
in vitis Pa- victoria quodammodo certus est, & op-
trum p. 2. time sperat, quod tunc solus cum solo
§. 147. velut in duello pugnet: *Væ autem soli:*
Eccl. 4. 10. Quia non habet qui lapsum impediat,
quique post lapsum manum porrigat, ad
resurgendum.

Contra nihil adeo timet dæmon, ni-
hil quoque fert grauius, quam dum se
suaque quam clarissimi alteri quis dete-
git: tunc namque omnem victoriæ spem
deponit, animo cadit, & desperans se in-
de subducit. Apta quadam comparatio-
Simile. ne id B. N. P. in exercitiorum libello de-
clarat; quam quia adferre ipse non du-
bitat & nos eam fas erit adducere.

Ait ergo perinde dæmonem in nobis
In regulis oppugnandis agere, ac qui lasciuo amo-
ad motus re inardescens castam aliquam virginem
animæ dis- honestis probisque parentibus cohabi-
cernend. tantem ad stuprum, aut matronam viro
regul. 13. honesto & honoris coniugalis zelatori
ardentissimo nuptam, ad adulterinum
concubitum pellicere studet. Hic ergo
decipere satagens, ante omnia, summa
diligentia procurat, vt quæcunque sug-
gerit illicita vel promissa, nemini reue-
lentur, immo nihil adeo timet aut dolet,
quam vt puella cũcta illius molimina pa-
tri, matrona marito nõ patefaciat, hoc e-
nim dum fit, votorum se compotem fieri
posse & de victoria sperata desperat: ac
quando silentio rem premunt, aliquid

tandem se cõsecuturum sperat. Pari mo-
do, inquit B. P. cum aliquẽ in casses suos
fraudulenter dæmon pertrahere satagit,
ante omnia summo conatu allaborat vt
qualibet suggestiones suæ lateãt, & quas
adfert, machinæ & rationes nulli dete-
gantur: id enim si fiat, de victoria prope-
modum certus est, & consecuturum se,
quod spectat. Ex aduerso nulla re indig-
natur magis, quam dum hæc Confessa-
rio aut superiori aperiuntur ac manife-
stantur. Quoniã enim plus astu & fraude
potest & lucratur diabolus, quã vi aper-
ta, hinc vbi se detectũ & patefactũ videt,
se quodãmodo victum fatetur, omnesq;
artes suas & technas frustra, & euanidas
esse. Est vero hoc omnium eorum, qui
fraudibus & dolo vtuntur proprium, iux-
ta illud Christi in Euangelio, *Omnis enim* *Ioan. 3. 20.*
qui male agit odit lucem.

Ad hoc propositum adfert S. Doro- *Doroth. vbi*
theus id quod olim S. Macario Anacho- *supr.*
retæ accidit. Macarius enim magni An- *S. Maca-*
tonii discipulus, cum quodam tempore *eius monet*
diabolum obuium haberet, rogauit eum, *monachum*
quomodo à suis Monachis tractaretur? *à dæmone*
Respondit dæmon, pessime: quia statim *illusum, vt*
ac mala aliqua cogitatione eos pulso su- *tentationes*
periori eam retegũt. Sed inter illos vnus *aperiat.*
me quam optime habet, quem ego vicis-
sim turbinis instar susq; deq; prout vo-
luero, verso & reuerso, quiq; nutui meo
paret per omnia. Cuius Monachi nomen
cum dæmon indicasset, eum Macarius
mox adiit, comperitq; illum in eo à dia-
bolo illusum esse, quod Patri spirituali
tentationũ suarum rationem non daret,
& illius cõsilia ductumq; minime seque-
retur. Exhortatus eũ ergo Macarius est,
vt se candide superiori patefaceret, & ex-
inde amplius proprio iudicio nõ fideret.
Audiit bene consulentẽ Monachus, itaq;
remediũ morbo suo inuenit. Haud mul-
to post cum iterũ in diabolum Macarius
incidisset rogauit eum, quo iam sibi mo-
do res cum amico illo monacho succede
ret? Cui ringens & indignabũdus respõ-
dit Ille iã nõ amicus meus est, sed inimic⁹
Obseruata bene hoc loco Dorotheus, o-

mnes

quidem S. Macarii monachos à diabolo tẽtatos & oppugnatos fuisse, nullam tamen illorum expugnari ab eo potuisse, quod ilico ad patrem suum spiritualem referrent, quidquid in animæ suæ penetrali agebatur, & ad illius suasum consiliumque se conformarent vnum vero illum à diabolo victum & deceptum fuisse, quod proprio iudicio nimium quantum niteretur ex sua se opinione regeret Superiori denique suo patriue spirituali declarare animum & retegere nollet: Qui etiam simul ac sua patefecit, diaboli inimicus factus est.

Non potest, inquit Cassianus, decipi & illudi qui Patri Spirituali se totum denudat & aperit: quod & confirmat illo Syracidæ testimonio, dicentis: *Si denudaueris & manifestatis absconsa illius* (dæmonis stratagemata id est, occultas absconditasque eius tentationes) *non persequeris post eum*, & ab eo non illuderis: necnon verbis illis Salomonis in Ecclesiaste, *si mordeat Serpens in silentio*. Liberet, inquit, te Deus à Serpente clam & tacite commordente.

Eccl. 27.19
Collat. 2. Abbat. Mois. c. 11.
Eccle. 10.11

Cum enim Serpens vel vipera sonitum edit, & eminus sibilans ab incantante percipitur, in facile est contra morsum eius remedium adhibere.

Ad eundem modum auertat Deus, ne diabolus serpens ille antiquus, te solum clam mordeat & in silentio: at cum Magister tuus spiritualis, qui aliquot è sacra scriptura depromptis carminibus incantare illum potest, eum audit, nullum ab eo tibi imminet periculum.

In manifestatione placet Deo humilitas.

Huc accedit quod tanti Deus Opt. Max. faciat, quod ad Superiorem & Patrem spiritualem homo recurrat, seque patefaciat, hæcque in accedendo relucens humilitas adeo illi placeat, vt per solam hanc retectionem, esto, esto nullum prorsus suggeratur remedium, imo ne verbum quidem vnum à Superiore dicatur aut respondeatur, tentatio & diaboli infestatio abscedat. Diserte id asserit Cassianus: *Tam diu*, inquit, *suggestiones Diaboli noxiæ dominantur, in nobis, quam diu celantur in corde: illico enim vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confeßionis protractus ad lucem, ac traductus quodammodo ad dehonestatus*, abscedit, quia pater tenebrarum est, & ferre lucem nequit. Adhæc, quoniam dæmon natura sua ita superbus & elatus est, indigne fert, fædas suas ineptias & vilitates manifestari & in lucem protrahi, & quæ est superbia tolerare penitus hanc infamiã nequit: vnde ilico fugit, vbi se detectum & proditum videt.

Vbi supra. c. 10.

Si tales in orbe inuenirentur medici, qui corporum morbos, simul ac eos declararemus, curarent, quanti quæso eos faceremus? Iam quod in corporibus esse & locum habere non potest, quotidie id in anima videtur, & vsu venit nimirũ tentationes si solum Superiori declarentur, non raro ante euanescere, quam vllum ab eo remedium suggeratur: imo vero vel per solum Superiori, vel Patri Spirituali eas dicendi propositum, sæpe easdem abire & dispelli. Ibas videlicet vt eam aperires, & ecce ante quam ostium eius pulses omnem à te Deus autem dispulit, & à qua pulsabaris, tentationem & vexationem abstulit.

Egregium huius rei exemplum habemus in vitis Patrũ illorum Ægypti. Quidam sexaginta continenter hebdomadis ieiunarat, deumque incessanter oraret, vt sibi dubium quod habebat, declararet. Sed cum incassum laborasset, statuit alium Monachum, eodem in deserto commorantem adire, & eum super dubio consulere. At ecce dum cella egreditur, obuium habuit Angelum, qui dubitationem resoluit, dicens hac eum humilitate magis dubij huius declarationem, quam omnibus tum precibus tum ieiunijs promeruisse. Aliud præclarum huius rei exemplum refert Euangelista Lucas. Cum enim decem leprosi Christo Iesu, in Ierusalem abeunti, ciuitatẽ Luc. 17.13.

occurrerent clamantes, *Iesu præceptor miserere nostri*, & Iesus illis diceret, *Ite & ostendite vos Sacerdotibus*, ecce *dum irent mundati sunt*, etiam ante quam se Sacerdotibus stitissent.

Adeo scilicet gratum est Deo, nos humiliari, hominibusque, quos suum supplere locum voluit, subiici, vt ostensurus, quantopere hoc sibi placeat, miraculis id confirmare non sit dedignatus. Imo vero non raro fit, vt te vel solum comminante, Superiori te rem & suggestionem declaraturum, tanto dæmon timore percellatur, vt te relicto ilico fugiat. Quocirca bonum est hac in parte pueros imitari, qui si quis ipsis molestus est, & iniuriam facit, statim patri se id suo dicturos dictitant & comminantur.

CAPVT IV.

Non idcirco minus suas quis Patri spirituali tentationes patefacere debet, quod quæ illis aduersus illas suggesturus est remedia, iam se nosse putet.

DIcet fortasse quis, iam sæpe de tentationum remediis inaudiui sed ex iis, quæ tum vidi, tum in libris spiritualibus legi scio, quid mihi Superior vel pater Spiritualis legis respondere queat, ad quid ergo ad eum recurrere opus? Timendum sane est, ne isthæc nobis tentatio hic oboriatur, & eo timendum magis, quo se quis in isthac scientia promotiorem & versatiorem putabit. Val-
S. Doroth. serm. 5. de quidem ab ea diu vexabatur S. Dorotheus, egregie tamen eam eludebat. Refert enim, sibi dum tentationem suam Superiori patefactum abire volebat statim occurrere solitum, Quid frustra tempus consumere vis? Hoc & istud ille tibi responsurus est; id iam tum ipse nosti: desine ergo Superiori hoc aditu molestus esse. Ego, vero inquit tentationi, iudicio sensuique meo non parum succensebam, ac dicebam, *Apage Sathana, Anathema tibi, & iudicio tuo, & intelligentiæ ac prudentiæ tuæ, cogitationi ac scientiæ tuæ*? Et tentationem & tentantem parum moratus, Superiorem adiens, quidquid mihi in animo suggerebatur haud dissimulanter declarabam. Si quando vero fiebat, vt superior id mihi remedium suggereret, quod ante mihi priuatim occurrebat, statim mihi cormeum, nescio qua inquietudine & turbatione dicebat: Numquid bene dicebam, isthuc tibi ab eo respondendum? quid ergo illuc opus erat recurrere? Cui ergo e contra replicabam, Nunc bonum est remedium, nunc à Spiritu Sancto est, sed cum à te proficiscebatur, suspectum mihi id erat, & parum tutum, videbatur. Hoc scilicet clypeo hanc à se S. Dorotheus tentationem repellebat, nec eam vnquam in animum suum irripere sinebat, at confestim in omni suggestione ad Superiorem, velut ad sacram anchoram confugiebat. Nostrum id est imitari, nec proprio iudicio vel minimũ credere, vel inniti: est namque communis, Sapientum & Sanctorum Patrum sententia, nullum in propria causa & negotio bonum iudicem esse. Quod, si ergo iam verum est tum, cum nullius, homo tentationibus pulsatur verius longe id erit, quando etiam adsunt, quæ animæ oculos excæcant, vt quod consentaneum est, minime videant, iuxta illud Prophetæ, *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Psal. 39. 13.
Tunc quippe homo quod malo suo quadrat remedium, non perspicit: & esto forte specularie id nouerit, ipsum tamen in vtilitatem suam conuertere, & ad actum redigere nõ poterit, tentatio quippe vehemens animũ excæcat, mentem eripit ac turbat, vnde tunc magis eum Deus per vnum Superioris verbum, quam per quæcunque ipse nouit, iuuabit.

Scitum, ad id, casum adducit S. Augustinus.

Medicina medici manu porrecta sanat.

stinus. Quidam inquit, cum grauiter ægrotaret, medicum aduocauit: Qui veniens, eum medicamento adhibito, sanitati restituit. Paucis post diebus contingit, eodem eum languore laborare, verum, quod nupernum illud remedium ei mire profuisset, id ipsemet sibi, non aduocato medico (memoriæ quippe illius insculptum id manserat) applicauit: Sumpsit & applicuit quidem, minime tamen id sibi sensit prodesse. Miratus ergo, aduocat medicum, & rem ex ordine narrans, rogat quid causæ sit, cur, cum idem ipse adhibuisset medicamentum, nullam inde iam vtilitatem caperet? Cui medicus lepide simul & acute respondit. Causa, cur modo te medicina hæc non iuuerit, fuit, quod meis ego manibus eam tibi minime propinaui. Idipsum porro & nos in hac materia dicere possumus.

Quod ipse nosti, ac sæpenumero inaudisti remedium, ideo nequaquam tibi conducet, quod superior vel Confessarius, qui medicus tuus spiritualis est, id tibi non suggessit. nam vt aliam vim & energiam habet, potio per medici manum porrecta, vt pote qui mali capiet, vim, & circumstantias, nouit, ita & in medicamentis & remediis spiritualibus vsu venit.

Bonæ quidem erant aquæ fluuiorum Damasci & salubriores multo quam aquæ Iordanis: Naaman tamen ipsum à lepra expurgare non potuere, sed illæ solæ, in quibus eum Elisæus Propheta lauari iussit. Deus quippe eum verbis, quæ tibi profert superior, & cum eo quod is tibi suggerit remedio singulari modo concurrit, Deus enim ille locum supplet, Quocirca perfacile & commune remedium, per manum superioris porrectum longe erit tibi conducibilius, quam quidquid ipse demum nosti, esto multo plura noris

4. Reg. 5. 10

CAPVT V.

Nemo ideo sua Præposito reuelare omittat, quod tenuia ea & exilia sibi esse videantur.

SOlet & alium quendam diabolus nōnullis excusationis prætextum suggere quo minus se suaque superiori manifestent, nimirum dicendo, nullius ea momenti esse, ac proinde opus non esse, & inconueniēs videri eum puerilibus ineptiis ad eum recurrere, turpe & vile esse, cum id genus recula eum adire. Adhoc itaque respondeo primo, eum qui perfectioni acquirendæ studet, non tam respicere debere, an grauis res sit, an necessaria, num obligationis, quam semper procurare id quod melius est & perfectius. Proinde rem quamcunq; quantumuis paruam, magni ei faciendam & rationem eius superiori reddendam videri Hoc namque est perfectioni studere. Interea autem quæ alios valde ædificant, non postremum esse, ad superiorem res, etiā paruas, referre, & quo quis ꝓfessione veteranior & sciētia celebrior, eo magis ædificare, hoc enim est propter Christum repuerascere & infantē fieri.

Res tenues aperire superiori, est perfectioni studere.

Dico secundo, sæpe quid reuera non tam paruum esse ac cuiquam videatur, sed pudorem & quam in eo declarando sentit repugnantiam ad ipsum diminuendum, credendumque quod parum referat id subticere, rationes ei suggerere. Non secus ac in confessione fieri solet; quando enim quis præ pudore rem aliquam vilem & exilem fateri negligit, ilico Diabolus, verecundiam hanc & naturalem quam homo sentit repugnantiam vt aptum adhibens instrumentum, ei persuadeat, nullum in hoc peccatum esse, vel saltem non letale ac proinde ad ipsum confitendum minime obligari. Quam multos hac via & techna Diabolus supplantauit & subticere fecit, quod necessario confitendum erat, itaque malas confessiones & sacrilegas communiones instituere. Vel ho solū, quod in re aliqua superiori declarāda aperiēdaq; repugnantiam ac difficultatē experiatur,

Trac. 4. c. 4.

ſſatis eſſe homini debebat, ad ſe vt ſuſpe-
ctum habendum, intelligendumque i-
pſum aperiri ei debere. Vnde Caſſia-
nus id vnum, ait è certiſſimis ſignis eſſe,
è quibus intelligatur id vere malum, &
meram Diaboli tentationem eſſe, addit-
que eam communem priſcorum illo
l. 4. de inſt. renunc. rum Patrum opinionem fuiſſe, *Genera-*
le, inquit, *& euidens diabolica cogitationis*
eſſe pronunciant, ſi eam ſeniori confunda-
mur aperire.

Quod enim malum eſt, ſtatim id oc-
cultare ſatagimus. *Omnis iniquitas oppila-*
Pſ. 106. 42. *bit os ſuum.* Vnde, cum quis quid reticet
ac ſupprimit, ſatis ad oculum oſtendit,
animæ ſuæ negotia non bene procede-
Ioan. 3. 20. re. *Omnis qui male agit, odit lucem.*

Dico tertio tametſi res modo parua
ſit, cum tamen occultatur & abſcondi-
tur, magnam fieri & grandeſcere ſolere.
Vnde par eſt, eam, dum adhuc puſilla
eſt, manifeſtari, vt in tempore illi queat
remedium adhiberi: tunc quippe facile
ei occurri poteſt, poſtea non niſi quam
ægerrime.

Simile. Quemadmodum, inquit Climacus, a-
nium oua ſi ab alis maternis vel à ſter-
core foueantur, conteganturque & in cale-
ſcant, paulatim pullulant, animantur, vi-
talia fiunt, & aues alias emittunt, ſimili
ratione nefariæ cogitationes, cum cor-
de occultantur & ſincere non aperiun-
tuur ei à quo diſpelli & curari valent, vt
plurimum in lucem prodeunt, & execu-
tioni mandantur.

Solet Diabolus & alio quodam præte-
xtu nonnullos, quo minus ad ſuperio-
rem recurrant, auertere, quod nimirum
ſibi perſuadent, ſe, per id genus reculas &
ineptias ſuperiori graues & moleſtos
futuros: vnde, ne quam ei moleſtiam cre-
ent & oneroſi ſint, ab illo adeundo ab-
ſtinent. Inſignis ſane id impoſtura eſt &
illuſio. Hoc ſiquidem ſuperioris officiū
eſt, & vnum è præcipuis quæ illi agenda
ſunt, eſt hoc: vnde non mediocrem ei in-
iuriam facis, quod eum in re tam prima-
ria officioq; ſuo ita neceſſaria, exequen-
da, moleſtia affici ac faſtidioſe turbari
cenſeas. Imo vero non parum gaudet,
quod rei tam ſubſtantiali, vti hæc eſt, &
à qua ſpiritualis ſubditorum ſuorū pro-
fectus (vti ſupra ſimili in caſu oſtendi- *Trac. 6. c. 8*
mus) ita dependet, vacare ſibi liceat.

Refert Caſſianus exemplum quod Se- *Coll. 2. Ab-*
rapioni Abbati contigit adhuc puero, & *batis Moy-*
quod ipſemet poſtea Religioſis ſuis id- *ſis c. 11.*
entidem commemorare ſolebat, vt eos
ad omnia ſua ſuperiori reuelanda ani-
maret. Cum inquit, adhuc nouitius eſ-
ſem, vſque eo ab ingluuie & gula tenta-
bar, vt nullo viderer cibo poſſe repleri.
Inde fiebat, vt poſtquam eum Abbate
Theona, qui meus ſuperior erat, come-
diſſem, menſa ſublata, quotidie paxima-
cium in ſinu meo latenter abſconderem,
quod illa veſpera, ſene ignorante, clan-
culo comedebam. Quod furtum licet
gula irritante & inoliti deſiderii in con-
tinentia aſſidue committerem, expleta
tamen concupiſcentia, ita me conſcien-
tia arguens, remordebat, vt maius deſ-
ſet tormentum & crux, quam quæ è cibo
à me percipiebatur voluptas. Nihilomi-
nus ita mihi hæc gula dominabatur, vt
etiam poſtridie rurſus panem ſuffurirer
& in abſcondito comederem. Superiori
vero meo tentationem hanc patefacere
non audebam, quoaduſque me Domi-
nus miſericordia ſua è ſeruitute hac &
tyrannica captiuitate, in qua agebam, e-
ripere dignatus eſt. Hoc porro modo res
contigit. Venerant neſcio quo caſu duo
deforis monachi ad Abbatem Theonam,
qui iam refectione ſumpta, de rebus ſpi-
ritualibus inter ſe conferre, prout moris
apud illos erat, cœperunt. Senex vero ad
eorum poſtulata reſpondens & interro-
gata de gaſtrimargiæ & occultatarum
cogitationum vi & imperio diſſerere cæ-
pit. Ego vero punctus, & remordente
me conſcientia ſolicitus, vniuerſa hæc
mei cauſa ab eo dici, meamque tenta-
tionem & occultum peccatum cælitus
ei reuelatum fuiſſe credebam: Vnde
perterritus & verborum eius efficacia
permotus, apud me clanculo lachryma-
ri cœpi: deinde, cordis compunctio-
ne cre-

ne creſcente, in apertos ſingultus lacrimaſque prorumpens, paximacium, quod & illo die furtim ſubtraxeram & & abſconderam, de ſinu coram omnibus protuli, & in terram proſtratus: veniamque & pro commiſſo pœnas poſtulans, meam publice ſum tentationem confeſſus, & quod ab ea victus & ſubactus huiuſmodi quotidie furtum admitterem.

Tum Sanctus ſenex conſolari me cœpit & animare dicẽs: Confide puer: confeſſio tua & heroicum illud opus, quod coram omnib. tentationem tuam & errorem aperire & detegere hoc loco, haud dubitaris, ab huius te captiuitatis vinculis & ſeruitute abſoluit. Hodie diabolũ debellaſti & maiorem de eo triumphum & victoriam retuliſti, quam ille ante de te. Ideo vero te Dominus à tentatione hac captiuum & vinctum detineri voluit, quod eam ſuperiorem tuum celaſti. Iam vero poſtquam illam detexiſti, nihil amplius dæmoni in te iuris & domonii erit: ſed ſtatim à te ſerpens ille antiquus, vt pote fere lucem non valens, aufugiet. Vix dũ verba hæc ſenex ompleuerat, & ecce lampas aut fax accenſa, de meo ſinu prorumpens, ita cellam vniuerſam ſulphureo fœtore compleuit, vt præ illius vehementia vix in ea quiſquam permanere poſſet. Tum admonitionem ſuam Abbas reſumens, Ecce inquit Dominus veritatem ſermonũ meorum re ipſa approbauit, vt paſſionis incẽtorem de corde tuo confeſſione ſalubri fugatum, tuis ipſe oculis peruideres, qui lucem & technarum ſuarum detectionem ferre non potuit. vnde non eſt, quod verearis illum vlterius in te locum habiturum, aut ad te denuo reuerſurum. Vti promiſit, ita & contigit, nunquam enim poſtea ab hac fuit tentatione pulſatus, imo ne eius quidem illa memoriæ recordatio aut imago diſcurſabat.

Capvt VI.

Difficultatibus, quæ claritatem hanc impedire ſolent, iam ordine ſatisfit.

HActenus oſtendimus quanti referat, quamque neceſſarium ſit, ſuperiori ſe mentiſq; omnes latebras detegere. Verũ quo quid maioris eſt momenti, maioremq; perfectionẽ includit, eo maiorem in eo natura noſtra per peccatum deprauata, ſentire repugnantiam ac luctam ſolet: ad quam etiam cacodæmon, omnis boni noſtri aduerſarius, ope ſua concurrere ſolet, maiores nobis difficultates, ad eam impediendam repræſentãs. Vnde nos iis conueniens erit occurrere & diſſoluere. Et ſane operæ ſumus prætium facturi, ſi in re tam primaria & neceſſaria, quam eſt hæc, viam omnem iis ſublatis complanemus. Eſto vero, cum Religionem profeſſis hominibus potiſſimum hic nobis ſit ſermo, quilibet tamẽ doctrinam hanc ſibi poteſt applicare: eſt enim res hæc huiuſmodi, vt ad omne ſpectare queat hominum genus. Vnde Gerſon de confeſſione loquens eam tractat generaliter vti mox videbimus.

Et primo quidem, quia natura ita facti ſumus, vt laborem omnem ac difficultatem fugiremus, & quia id, de quo in præſens tractamus, nobis veluti difficile & laborioſum ſolet videri; ideo ab hoc capite initium ducemus, oſtenſuri videlicet ac declaraturi longe homini futurum laborioſius ac difficilius, quod ſe occultet & tegat, quam quod patenter ac nude omnia ſuperiori manifeſtet & videndã proponat.

Eſt hoc imprimis notandum, vtpote quod eos, qui ſui ipſorum amantes ſunt, & quæ virtutis & perfectionis ſunt, difficultatis ac laboris in eius exercitio ſubeundi metu deterriti exequi negligunt, potenter iugulat & confutat. Fateor equidem

quidem aliquam in omnibus tentationi-
bus, proprensionibus naturalibus, & de-
fectibus suis superiori patefaciendis, dif-
ficultatem & mortificationem contine-
ri: maior nihilominus, me auctore, la-
bor & crux est illa, quam super se homo
hæc contiendo & abscondendo, aduo-
cabit, quam quæ plana sui retectione &
manifestatione accedere ei valeat. Quo-
tidiana id nobis satis commonstrat ex-
perientia & nemo non certissimus rei
huius esse poterit tectis, siquid forte ali-
quando superiorem suum celare & late-
re voluerit: Quos ille angores, quos re-
morsus, quam animi inquietudinē sen-
tit, qui sua cooperire & reticere gestat?
Colligata est iniquitas Ephraim, absconditū
Osea, 13.12. *peccatum eius, Dolores parturientis venient*
ei: Semper quippe velut in partus dolori-
bus agit secum reputans, Dicamne, an
reticebo? modo quidem aperire se pro-
ponit, modo propositi huius eum piget,
& pœnitet iam superioris ostio vicinus
erat tentationem declaraturus, & mox
inde se, quod non ausit, subducit, re in-
dicta (:*Venerunt filii vsque ad partum, &*
Isa. 27.3. *virtus non est pariendi*:) iam in proximo e-
rat, vt tentationem hanc & sinistrū co-
gitatum, quem è diabolo patre tenebra-
rum in animo conceperat, in lucem eni-
teretur, at sufficiens ei ad pariendum
virtus non fuit nec robur: hinc iugiter
in partus doloribus manet, & quo ea
diutius celat, eo maiora tormina experi-
tur, quia maiorem postea in iis dicendis
difficultatem ac verecundiam sentit:
Inde quoque nouus ei accedit dolor,
quod ea initio minime detexerit: maxi-
ma autē, quam sentit difficultas ex hac
ratiocinationn prouenit: Quid? iamne
post tantum temporis lapsum superio-
rem adibo dicerem & declararem si iam
primum tentationem sentirem: at qua
fronte iam coram illo cum ea compara-
re præsumam, qui tanto hanc eum tem-
pore celaui? quid dicet, quod illi me non
crediderim, quandoquidem iam inde
ab initio illi me aperire nolui?

Nullam ergo homo quietem, nullam
animi tranquillitatem sentiet, quam-
diu animum suum candide non pate-
faciet: Semper enim eum remordebit,
torquebit, & lancinabit conscientia, (r
quod tanti momenti ac ponderis rem
faecere detrectet. Mox vero vt se aperiet
& manifestabit omnis illa tempestas
detumescet, animusque optata mala-
cia & quiete gaudebit. Perinde, ac dum
quis pudore præpeditus aliquod pec-
catum confiteri non audet, semper ti-
moribus, inquietudine, & internis
mentis tumultibus concutietur, cum
autem illud aperit, tantam animi con-
solationem & lætitiam sentit, vt vastàm
quandam turrim dorso impendentem,
à se abiecesse videatur: vnde præcla-
re Sanct. Gregorius: *Vulnera clausa plus*
eruciant: quia cum putredo, quæ intrinse-
cus feruet, eiicitur ad salutem, dolor aperi-
tur: Ita & omnis animi dolor pellitur,
dum quis peccatum suum confitetur,
& tentationes & infirmitates patefa-
cit.

Quid est enim peccatorum confeßio, &
& tentationum manifestatio, nisi quædam
vulnerum ruptio? nisi enim hæc eru-
ptio fiat, grauiter homo cruciatur, per-
inde ac dum stomachus vitiato humore
cibisque oppletus est, hinc eos ru tibus
& iugi ad vomitum conatu studet ege-
rere: quia nisi eos eiiciat, nullam habere
quietem potest: illis autem eiectis, quie-
tus est & sibi constans. Hinc ergo ad o-
culum patebit, eum, qui animum ab-
scondit, longe magis hac duplicitate
cruciari & affligi, quam cum se aperit &
manifestat: hic namque non nisi exi-
guus quidam est pudor, & mortificatio,
quæ statim pertransit, postea vero mul-
ta animi pace & quiete gaudet, propter-
ea quod se releuauit.

Vnde ei, qui difficultatis & laboris fu-
giendi ergo, societa sui pectoris non a-
perit respondere possumus, ob hanc ipsā
molestiarum fugiendarū causam, potius
eadem reuelanda videri. Quia si celet
longe maiorem laborem senties, inter-
noque eruciatu; velut putido quo-
dam

dam & purulento carcinomate sensim contabescet & consumetur (: *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea:*) declarando se autem multa introrsum pace & gaudio perfundetur.

Psal. 31. 3.

Capvt VII.

Primariæ difficultati, quæ sinceram hanc retectionem impedit, satisfit.

VNa ex præcipuis difficultatibus, aut certe omnium, ob quas nonnulli à se ipsis & animo suo apud superiorem detegendo deterrentur, præcipua est, quod hoc pacto se confundendos, bonũ, quod fortasse apud eum habebant, nomen auctoritatemque amissuros, imposterum se ab eo vt suspectos habendos, ac nihil sibi posthac credendum, neve diligendos se, vti solebant, arbitrentur. Hac diabolus fraude multos decipit, eosque vt se vel omnino non, vel saltem non perfecte declarent, inducit: At si longe secus se omnia hæc habere ostendamus, & ita quidem, vt ex hac sui detectione & apertione honorem sibi potius, & nomen & maiorem amorem comparent, ex celatione vero omnia hæc amittant; difficultas hæc penitus ablata & complanata videbitur: Porro Dei iuuante gratia, id hoc loco cōmonstrabimus, vt appareat, quam aliter longe se res habeat, quam illam nobis dæmon, quo nos decipiat, repræsentat; quod & in omnibus ipsius tentationibus vsuuenit, ipse quippe pater mendacii est. Dico ergo nulla re magis, quēpiam suum apud Superiorem nomen & æstimationem amittere, quam se non reuelando, ab eo se subducendo, eique occasionem dando, vt se seu duplicem fictum & fucatum habere incipiat, Nulla, quam deteget, imperfectione tantum sui nominis amittet, quam hac celatione: nam imperfectio quælibet non nisi vna est, sed aliquem vt tacentem & duplicem habere, multum simul complectitur; nam de multis imperfectionibus eum suspectum reddit: Dicetur quippe de eo: Hic se candide non aperit, vnde noui, an non, sicut hoc celauit, ita alia multa celaturus sit? Vnum hoc superiorem magis grauat & cruciat, quam quicquid ille de se dicere poterat; contra, quando totum animum suum superiori quis detegit, omnes tentationes, propensiones & defectus aperit, non modo nomen quod apud eum habebat non amittit, sed ipsum etiam mire adauget; habet namque eum & virum humilem, mortificatum, manifestum & sincerum, non aliud in animi recessu occultantem, aliud extima facie prodentem.

Ex detectione cōparat sibi quis apud superiorē maius nomen, honorem &c.

Altius porro rem hanc repetemus, & iam inde à prima radice declarabimus; est enim è præcipuis, quæ in hac materia sunt, punctis. Dico ergo Primo, nullo quemquam medio ad superioris amorem, beneuolentiam, & voluntatem sibi conciliandam efficaciori vti posse, quam vniuersum animum suum illi retegendo, nihil vt ipsum celet, sed limpide in lucem proferat omnia; Nam vt passim Philosophi & sacri Scriptores docent, nulla re quis ad amandum prouocatur quam dum ante amari se videt, vnde etiam hoc nos argumento Euangelista Iohannes vt Deum amemus prouocat: *Quoniam, inquit, ipse prior dilexit nos.* Nulla ergo re magis ostendere quis poterit ardenti se in superiorem suum amore ferri, quam quod animum illi suum omniaque arcana, magna æque ac parua liquido patefaciat; Nam dum amicorum duorum amor ita syncerus est, & eo procedit, vt nihil inuicem celent, id magnæ & extremæ cuiusdā amicitiæ indicium est, vnde discipulis suis redemptor ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis: Et vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis:* Cum ergo superior subditum vniuersa pectoris arcana syncere sibi detegere, & nihil eo clausum retinere cernit, tunc demum intelligit, verè ab eo se diligi ac Patris & Dei loco haberi, eo, quod

Manifestatio, amorē superioris conciliat.

1. Ioh. 4. 10.

Ioan. 15. 15.

Luc. 8. 10.

quod totam animam & honorem suum illi concredat, omniaque in manus eius consignet; hoc illius animum rapit, & suffuratur hoc ipsum ad magis amãdum, maioremque illius rationem habendam, prouocat. At si eum videt syncere mentem non detegere, sed dupliciter agere tortuosis anfractibus & conuolutionibus vti, & in parabolis loqui, *vt audiendo rem non intelligat*: sufficiens hoc causa est, vt bonam de eo opinionem non habeat, & minus diligat; Videt enim se ab ipso minime diligi, parui fieri, vt patrem non haberi, cum sibi nec fidat, nec illi se detegere audeat; hoc quippe naturaliter quandam auersionem & animi alienationem causat; Quomodo tu à Superiore te vis diligi vt filium, si eum tu non diligas vt patrem? tu eum ama vt patrem illi te filialiter fidendo, & syncere candideque cum illo agendo, & ipse te complectetur ceu filium: Idem dicemus postea superioribus erga subditos esse obseruandum: Cum enim superior clare sincereque cum subdito agit, quodcunque demum illi dicat, & sic eum alloquitur: Ecce hunc & illum defectum habes, ob hoc passim notaris, ob hoc omnes te carpunt, da operam ergo, vt te emendes, tunc subditus eum diligit, agnoscit enim id è vero amore proficisci. At quando superior contortis & anfractuosis ambagibus cum subdito agit, & errata, quæ in eo notantur, quæque corrigi vellet, candide non aperit, sed aliud de foris ostendit, aliud animo fouet; hoc non est veri syncerique amoris, sed duplicis & ficti indicium. Cum ergo claritas hac & candor vtrimque elucescet, tunc demum verus erit superiorum in subditos, & horum in superiores amor, vera quoque inter vtrosque animorum vnio; & bene omnia se habebunt; sin minus omnia inanis quædam erunt species & mera fictio. Quamobrem adeo non per synceram sui apud superiores declarationem amor deperditur, vt etiam augeatur.

Luc. 8.10.

Tract. 8. c. 1.

Hinc sequitur secundum, nimirum quod hac ratione, ne bonum quidem nomen & existimatio, quam de aliquo superior habebat, amittenda sit: Nam vbi amor est, semper est æstimatio, & nihil amat voluntas, quam quod illi ab intellectu, vt bonum & amatu dignum, repræsentatur. Vnde duo hæc, amor & æstimatio, ordinave iuncta sunt, & simul incedunt. Sed his omissis, vt magis ad particularia descẽdam, certum est hominem, esto quam fœdissimas & spurcissimas tentationes habeat, nullam prorsus per eas quo ad primum iacturam facere: tentari quippe, hominum est Deo seruientium, & de in spiritu proficiendo solicitorum potius proprium: Nam alii peccatores sæpe quid sit tentatio nesciunt, nec ad eas animum reflectũt, nec diabolum illis tentandis multũ temporis opus est impendere, eo quod eum sponte & sine vllo impulsu haud inuiti sequantur: cum illi quibus Deo serio seruire propositum est, quique virtutis & perfectionis studiosi sunt, à tentationibus assidue soleant impeti & pulsari, iuxta illud Sapientis: *Fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.*

Manifestatione æstimatio non perditur.

Tẽtari proprium est Dei seruorum.

Eccles. 2.1

Nonnullis sua solet tentatio probrosa admodum & pudenda videri, eamque ipsi & singulare quid atque extra ordinarium esse, & nemini quid vnquam simile contigisse opinantur: Itaque superiori se declarare non audent rati hoc illi nouum & peregrinum maxime visum iri. Est autem hæc tentatio nouitiorum propria; qui vbi rerum experientiam non habent, nec tentationum notitiam nouum id esse credunt, quod antiquum inprimis & communissimum est. Itaque certus esto nihil dicturum te quod superiori Confessario tuo nouum sit, quantumlibet id tibi extraordinarium, peregrinum, & nouum appareat. Iam in alios multos inciderit qui ab hac tentatione pulsati fuerint, forsitan & ipse per eandem transierit. Ait & Sapiens, *Nihil sub sole nouum*, Omnia sunt antiqua nulla ergo tibi videantur noua.

Tentationes suas n[...] uitii fals[...] putant e[...] nouas & insolitas

Nulla t[...] tatio no[...]

Eccle. 1.

Tentationum manifestatio nullũ boni nominis iacturam facit.

Ad hęc ne quidem quod suos defectus & imperfectiones superiori patefaciat quidquam quis de nomine apud eum suo amittet; quod tamen quam ęgerrime homo facere solet. Ratio est: quia hominum est labi: constamus quippe è luto, quod facile frangitur & dissoluitur. Et si vel seipsum in tuebitur superior, satis subditi fragilitatem agnoscit, omnes quippe ex eadem massa ficti sumus. Vnde non miratur nec nouum ducit, dum suos sic defectus & imperfectiones declarat. Gerson iunioribus & adolescentibus persuadens, vt nihil præ pudore confiteri omittant (quia alioquin error in id genus hominibus frequens esse solet:) ait, Ideone me minus tibi beneuolum fore, aut minoris æstimaturum putas, quod tua peccata & imperfectiones norim? falleris: quia potius tũc te ceu filium charissimum, & sicut eum qui mihi syncere confisus est, & detexit quod ne proprio quidem patri ausus esset detegere complectar. Nouit Deus, inquit, quo amoris affectu, & dilectionis visceribus in illum ferar, qui suas mihi miserias aperit, quæ quo viliores & fœdiores sunt, eo magis viscera & cor meum erga eum commouentur.

Tract. de paruulis ad Christum trahendis, p. 2.

Superior subditum tentationes suas manifestantem magis diligit, & fouet.

Sane illa subditi in culpa sua declaranda humilitas & candor, illud eius in spiritu proficiendi, & vt curetur iuueturque desiderium naturaliter superiorem mouet, & in causa est vt eum intra viscera recondere & animum in eum suum totum velit effundere. Cum vel externus quis nos adit, suaque nobis grauamina mala & miserias aperit, magnum in nobis ipsis ad eum iuuandum amorem & desiderium concipimus, eumque consolari & amare qua licet procuramus: quid ergo filio fiet? Permagni vero interest, hanc vt veritatem omnes quotquot sunt intelligant, animoque imprimant; nimirum se imperfectiones & infirmitates suas patri spirituali declarando, nihil de amore & æstimatione amissuros, imo vero magis ab eo propterea diligendos, & pluris faciendos, ne quis tanti momenti negotium, quanti hoc est, per diaboli repręsentationes in contrarium quę falsæ sunt & mendaces, vsurpare negligat.

Peccare corã Deo, & hominibus est res digna pudore, nõ item peccatum fateri.

Porro, ad maiorem huius rei confirmationem, notãdum hoc loco est, ipsum male agere, & male agendi voluntatem ac propositum, pudendum quid esse, & indignum quod ante oculos tum Dei tum hominum appareat: at è contra male factum & peccatum ex animo detestari, ob id pœnitere & erubescere, lapsus lachrymis plangere & confiteri coram Deo non tam probrosum est, quam honorificum: vnde etiam tale coram hominibus, qui Dei locum occupant videri & esse debet. Quærunt & disputant in scholis Theologi, num quæ sancti & beatitudine donandi alias in vita mortali admiserunt peccata, in die vniuersalis iudicii palam & in apertum proferenda sint? Variæ sunt quo ad hoc opiniones, sed hoc vnum quod ad propositum nostrum faciat, vt certum hac in re dicere possumus, videlicet, si modo ea publicanda sint, non tam in eorum qui ea admisere probrum & confusionem, quam in eorum laudem & gloriam cessura: nam vna cum illis talis apparebit pœnitentia & satisfactio, vt non confundendi & aliquo pudore replendi, sed potius honorandi & pluris propterea faciendi sint, quod facere Deo & facile & solemne est, & etiamnum hodie in multis sanctorum id eum facere videmus; quotidie namque Mariæ Magdalenæ peccata publicantur & celebrantur, eaque in die eius festo in Euangelio magno eius cum honore & celebratione, & ad insignem Dei gloriam & honorem vtpote qui etiam è peccatis tantum pro licere potest bonum: *Qui sugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Id ipsum quoque in Apostolorum Petri, Pauli, Matthæi, & Dauidis prophetæ, peccatis videre licet. Adeo vt ob illa peccata, quæ per talem sunt pœnitentiam & satisfactionem expiata, nullam

Peccata Sanctorũ in die iudicii cum eorum gloria manifestabãtur.

E peccatis Sanctorum Deus maiorẽ eorum gloriam elicit.

honoris sui æstimationisve iacturam faciant, sed potius quid lucrentur. Egregia id solet similitudine declarari: Sicut dum noua vestis pretioso è panno confecta, & corpori vndequaque apta & bene concinna, nescio quo casu ad clauum aut paxillum adhærescens laceratur, & iam prope est, vt velut inutilis abiiciatur; fracturæ & hiatui limbus aliquis pretiosus vel aurea filamina, vel acu elaborata parerga superimponuntur. Itaque ipsa vestis pulchrior ac spectabilior apparet quam ante: Adeo vt non nisi studio, ad maiorem ei parandam elegantiam hæc fractura facta videatur. Sic sanctorum peccata, si modo manifestanda sint, ita in die iudicii extremi omnium oculis exponentur, vt nullam illis hæ infamiam aut confusionem, sed gloriam potius & honorem sint allatura, quod tam potenter beneque illa à se abdicarint, superassuerunt videlicet fracturæ suæ limbum aureum vel arte phrygionica elaboratum, qui magnum ipsis honorem & decus conciliauit. Hoc ergo pacto se res habet hic: vt dum quis suas confessario vel superiori infirmitates & miserias, magna sui cum confusione, pœnitentia, & vero remedii curationisque obtinendæ desiderio manifestat, adeo nihil apud eum deperdat, vt etiam magis ab eo honoretur, æstimetur, & ametur. Nam vt ait Sapiens, *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Confusio illa & erubescentia, qua impellente quis culpas aperit, magnum honorem adfert & gloriam: at ea qua mouente culpas occulit, non nisi peccatum.

Peccati cõfessio est limbus aureus lacera vesti assutus.

Eccl. 4.25.

Peccati manifestatio est confusio adducens gloriam.

Lib. 5. cap. 10. vitæ.

S.P.N. Ignatius cum sacerdotem Religiosis quidem votis obstrictum, sed vitæ solutioris & profanæ, sibique per omnia aduersantem, in viam salutis reuocare vellet, sed frustra tentatis omnibus, operam & oleum perdidisset, statuit tandem veluti vltimum tentaturus, apud illum peccatorum confessionem instituere. Cum ergo culpas suas quotidianas iam aperuisset, se etiam superioris vitæ peccata quædam, quæ præ aliis eum remorderent & augerent ait aperire velle. Incepit ergo adolescentiæ suæ infirmitates, & ignorantias iuuentutis tanto doloris & pœnitentiæ sensu tantisque cum lachrymis confiteri, vt inde confessor plane sit immutatus & amare ac reuereri illum cœperit, quem antea summopere horrebat, eumque in vitæ nouæ ducem & magistrum assumere. Exercitia spiritualia ergo instructore S.P. Nostro, obiuit, vitæque rationem in melius, magna omnium, qui prius eum nouerant, admiratione commutauit. Vnde facile apparebit, quam nullum sit homo per hanc sui detectionem, honoris & reputationis suæ amittendæ discrimen aditurus. Nam per quod in oculis Dei fit melior, & plus sibi comparat, per hoc etiam apud homines, qui Dei ministri sunt, eiusq; mores ac conditionem imitari debent, nihil deperdere, lucrari autem potius debet.

Peccatoris manifestatio homini perdito causa salutis & conuersionis fuit.

Tentationum manifestatio Deo, & hominibus placet.

Atque hinc veritatem quandam satis experientia probatam, quæque etiam consideratu dignissima est, infero, nimirum quando quis sui arcana cordis liquido non aperit, sed ea quæ potis est celat, colligi hinc euidenter eum vitam in melius emendare nolle, ac de emendatione sui ne hilum laborare, sed pertinaciter in delictis suis manere & ex iisdem emergere nolle: si enim delictorum vere eum pigeret & pœniteret, & firmum vitæ posthac prout oporteret ducendæ propositum conciperet; ad oculum videt, nihil apud superiorem sibi per culpæ declaratione necnõ dolorem hunc & emendationis propositũ de nomine suo decessurum, sed accessurum potius. Vnde efficitur, hoc inter alia causam esse cur de fama sua multum deperdant, qui se candide non declarant; quia per hoc satis ostendunt, nondum se mores correxisse, & eosdem corrigere nolle.

Qui tentationes celãt, parum de emendatione mor sunt soliciti.

CA-

CAPVT. VIII.

Difficultati Superiori etiam alia ratione & modo respondetur.

POterimus & alia quadam via difficultatem hanc dissoluere: nempe, si planè humiles essemus, vel verè desideraremus, humilitatique comparandæ seriò nos daremus gaudere nos debere, quod superior nos totos perspectos haberet, & quales verè sumus, tales existimaret, atq; ideo, vel ob hoc solum, omnes ei propensiones prauas & defectus nostros patefacere nos oportere, nefas enim est me teneri velle pro eo qui re ipsa non sum: Vera quippe humilitas facit vt non solum homo semetipsum cognoscat & parui faciat, verum etiam quod ab aliis cognoscatur & vili pendatur gaudeat. Hæc porro sui declaratio, & conscientiæ apertio, ob aliosquidem fines in Religione, vti supra diximus, instituta est; quamuis tamen aliud nullum in hoc lateret bonum, quam vnum hoc, quo de loquimur, satis id nobis esse deberet, si modò verè ad humilitatem aspiraremus: hoc namque insignis est eius exercendæ modus. At si hæc humilitas desit, si æstimari quis ac magni fieri velit, si functiones & officia sublimia, si locum & gradum altiorem ambiat; mirum profectò non est si vano quodam concutiatur timore, qui huiusmodi personas perterrere, vel potius decipere solet, vt dicant: Si defectus meos superior resciat, nunquam altius euehar, caput non efferam, sed semper obscurus & inglorius delitescam, & nullo numero ero. Constat porro Sanctos & Dei seruos, defectus in se quosdam imò & peccata nonnulla finxisse, ne ad dignitates & functiones honorabiles assumerentur, sed in angulo suo & cella inglorii ignotique latitarent. Et ex aduersum qui errata quæ reuera habet, tegere ac dissimulare procurat, vt æstimetur, eleuetur, ac pluris fiat, quam re ipsa est, nimis quàm procul à virtute se remotum esse, euidenter ostendit.

Humilitas ad tentationes manifestandas inducit.

Cap. 1.

Ambitio ad tentationes celandas incitat.

Notandum autem hic quoddam magni momenti punctum, quod & alio loco pertractamus; scilicet sicubi humilitatem, mortificationem & reliquas virtutes Religiosus exercere & ostendere debet, in hoc certè inprimis eas illi exercendas videri, quod ad perfectam regularum obseruantiam necessarium est: in hoc enim omnis noster profectus & perfectio consistit, vnde si sat virtutis non habeat, ad ea humilitatis & mortificationis opera, ad quæ per regulam & institutum obligatur, exercenda, nihil omnino habere se existimet. Ad quid enim virtus & mortificatio iuuat, si, dum naturalis aliqua confusio vel modica suæ æstimationis iactura ipsi subeunda est, regulam tam primariam, qualis est hæc, transgredi & violare non dubitat? Si veram humilitatem, veram culpæ suæ cognitionem ac dolorem haberet, eam quæ ex eius declaratione resultat, confusionem & verecundiam æquanimiter deberet, in eiusdem satisfactionem & expiationem accipere; imò vel ob hoc solum ad superiorem recurrere eum oportebat, sicut fecit Imperator Theodosius (quod exemplum dignum est vt omnes imitentur) nam cum Rufinus ei suaderet, ne ad Ecclesiam se conferret, Episcopum Ambrosium enim eum eodem haud admissurum; magna qua erat submissione, religione, & humilitate respondit, Equidem Ecclesiam adire volo, & ibi ex Episcopo coram audire quod mereor. Ita porro & te dicere oportet, superiorem vel Confessarium meum adire cupio, & ex eo quod promereor audire; ipse me cognoscat & talem me habeat qualis verè sum; hanc vero Dominus confusionem & ignominiam in peccatorum meorum satisfactionem & compensationem computare dignetur. Hæc bona humilitas & confessio, & bonum pœnitentiæ signum est, non autem quod quis fortasse grauius ducat, homini culpam declarare, quam eam aduersus Deum opt. max. commisisse. Hoc nimis

par. 2. tract. 3. c. 25.

Inprimis suscipienda est humilitas & mortificatio, quæ regulis præscribitur.

Humilitatis ergò peccata manifestanda sunt.

Anno Christi. 390.

Manifestatio culpæ magna humilitatis est signum.

quam est à vera humilitate alienum, Quod si, vti regula præscribente facere iubemur, iniurias pati, falsa testimonia subire, imò & stulti haberi (nulla tamen ad hoc à nobis occasione data) velle debemus; quanto hæc ipsa magis optanda nobis sunt, vt aliquem virtutis, obedientiæ, religionis actum exercitemus, & tanti momenti regulam, vti hæc ipsa est obseruemus? Verum ne omnia spirituali solum viæ conducere videamur; ecce vt totum hoc negotium & planius & facilius reddamus, aliud illud iter quod superiori capite indicauimus, quod etiam bonum & verum est, rursus resumamus; ostendentes hominem superiori se declarando & patefaciendo, non modo nihil deperdere, verum etiam hoc pacto sibi honorem æstimationem imò & maiorem eius amorem comparare; se autem occultando omnia hæc apud eum amittere. Cui addo, & aliud quod hinc consequitur nimirum, cum hæc synceritas & perspicacitas locum habet, Superiorem huic sui detectori permultum fidere & iure merito: nouit enim omnia quæ in ipso sunt, & præscit eum cum quæcunq; illi superuenerit difficultate ad se ilico recursurum. At cum liquidò se quis non aperit (quod facile videre est; tunc nihil illi fidere superior potest; quia eam ignorat, & quid illo lateat nescit, vnde necesse eum erit cautè, restrictè & timide cum subdito procedere, eum semper vt suspectũ habendo.

Subito se manifestãti multum fidit superior.

Est id inprimis notandum, est enim de præcipuis radicibus, è quibus multæ in subditis animorum auersiones & amaritudines enasci possunt, quæ omnes indubiè euanescerent & cessarent, si syncerè quis superiori se reuelaret. Sic videmus quotidie per hunc procedendi modum & communicationem sui multas vmbraticas apprehensiones & imaginarias suspiciones, quas de inferioribus superiores, & contra de superioribus nonnunquam subditi conceperant, effugari & finem habere, siquidem suspiciones hæ & temores perinde sunt ac phantasmata de nocte apparentia; quæ si eminus videantur vel audiantur, perterrent & consternant; si autem propius, vt ea tangas accesseris, non aliud esse comperies, id quod mirum & peregrinum tibi videbatur, quàm arboris ramusculum ita fit in hisce rebus nimirum vt id quod te percellebat, terrefaciebat, & aliquid esse videbatur, vbi ipsum tangis, id-est, te aperis & ipsum cum Superiore communicas ilico euanescat, & non nisi merũ phantasma esse comperias: Vnde prȩclarè Seneca, de constantia & animi robore quo res ipsas aggredi debemus, loquens, ait. *Non quia difficilia sunt non audemus; sed quia nõ audemus, difficilia sunt.* Si enim seriò huc animũ adiungeremus, & ea aggredi auderemus videremus haud dubiè, nõ tantam iis, quanta forte prima fronte apparet, difficultatem contineri: Et ad hoc declarandũ adfert illam, quam paulo ante obiter attigi, similitudinem de phantasmatis nec non aliud Poeta. *Torribiles visu formæ* Et notat nõ dixisse Poetam, eas verè terribiles fuisse, sed tales tantum apparuisse: quare accede & manu palpa, & vide bis eas non nisi merũ nihil esse. Taliter se res habet in eo quod in prȩsens tractam9.

Per manifestationem vitantur alienatio subditi à superiori.

Tentationes sunt velut somniorum terriculamẽta.

Audendi nihil difficile Epist. 104. post medium.

Aeneid. 6.

CAPVT IX.

Multum Deo debemus, quod ipsam conscientiæ retectionem in societate adeò nobis facilem & suauem reddiderit: & quænam facilitatis huius & suauitatis sint causæ.

IMmensas largitori Deo ob singulare adeò, quod in societatem confert beneficium & fauorem, gratias referamus oportet, quod videlicet, isthæc subditorum apud superiores declaratio talem eo dante locũ in ipsa habeat, tantaque suauitate & animi alacritate vsurpetur: hoc namq; ex se longe difficilius est, quàm quælibet pœnitentiæ & mortificationes exteriores. Satis porro quã res hæc ex se habet difficultas intelligetur ex ea quæ in sacramentalis confessionis Præcepto continetur in quo maiorem fideles vt plurimum sentire difficultatem solẽt, quàm adeò in reliquis omnibus præceptis, Hinc vt minor ipsa foret, & tolerabilior,

bilior, neceſſe fuit, confeſſionis ſigillum & ſecretum, quod adeo inuiolatè integreq; ſeruandũ eſt longe diuina præſcribi: ipſum nihilominus quibusdam adeo videtur difficile, vt, ne ſe animumque aperiant, infernũ quendam inchoatum ob aſſiduos conſcientiæ remorſus, anxitudines & inquietudines, quas iugiter quocumq; pergunt circumferunt, in hac vita pate malint, quàm poſtea in altera vita perfectum in ſempiternum patiantur. Longe verò minus tute facis, dum vniuerſum animum tuum limpidè in ſuperioris ſinum effundis: quia non ſolum aperis peccata, & quod confeſſionis materia eſt, verum etiam quod nec peccatum eſt, nec confeſſionis materia: Et non raro ſolet maiorem homo in aliqua ſua fragilitate ineptia & parua imperfectione, quam in aliis peccatis grauioribus declarandis repugnantiam ſentire. Huc accedit, quod omnia hæc etiam extra confeſſionem aperiantũr; quod profectò longe maius eſt. Cum ergo rem quæ ex natura ſua tam difficilis, ſimul tamen tã fructuoſa eſt, adeò nobis Dominus facilem & ſuauem reddiderit, magni ſanè beneficium hoc faciendũ eſt, & infinitæ propterea ei gratiæ agendæ.

Manifeſtatio ſui difficilior, quã peccatorũ confeſſio in ſacramento pœnitentiæ.

At videamus iam, quænam tantæ hac in re facilitatis & ſuauitatis in ſocietate ſit cauſa, Prima & præcipua eſt ipſa gratia Religionis, Deus quippe vnicuique Religioni particularia quædam media ad profectum ſuum proportionata & prout finis & inſtitutum quod ipſa profitetur, id videtur exigere ſuggerit. Atque hoc eſt quod gratiam Religionis vocamus. Et quoniam ad finem quem Societas profitetur, qui eſt, vt ſimus ad quocunq; terrarum diſcurrendum, ad animabus opem qua poſſumus ferendam, & eum omni hominum genere conuerſandum parati, tanti momenti tamq; neceſſarium medium eſt, vt nos à capite ad calcem vsque, & intus & foris ſuperior perſpectos habeat, ob eas quas ante diximus rationes, hinc eſt quod particulare quoddam auxilium & gratiam ad hoc nobis Deus opt. max concedat.

Manifeſtatio ſui in ſocietate facilis per gratiam religiones.

Tract, 1, c. 7

Secunda huius facilitatis ac ſuauitatis cauſa eſt; benigna bonaque ſuperiorum ſuſceptio, paterna quæ ſubditi in illis reperiunt viſcera, benignitas & amor, quo ipſos recipiunt, adeò vt aliam ob cauſam ibi non eſſe videantur, quàm vt aures tibi præbeant, & conſolentur. Eſt hoc permagni momenti negotium: vnde neceſſe ſibi eſt, ſubditos perſuadere ac credere, ſe amicam hanc in ſuperioribus ſuſceptionem & beneuolentiam certò inuenturos omnes vt fiducialiter ad ipſos recurrant, & tanti ponderis rem quanti hæc eſt, exercere ideo non omittant, quod ſibi à ſuperioribus metuant, eosq; vt auſteriores & duriores exhorreſcant. Huc vero non parum conferet cogitare ipſorum etiam ſuperiorum permultum intereſſe, ſic beneuolè amanterque ſubditos venientes excipere; hoc namq; ipſorum officium eſt; quod niſi facerent partibus ipſi ſuis minimè ſatisfacerent.

Manifeſtatio ſui facilis propter paternum ſuperiorum in ſuos animum.

S. Bernhardus, ſuper illa cantici canticorum verba, *Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum*; ſcribens ſuperiores ſic commonet, dicens: *Audiant hoc prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati raro, erudimini qui iudicatis terram, diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos, ſtudete magis amari, quam metui, & ſi interdum ſeueritate opus ſit, paterna ſit, non tyrannica: matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis: manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant.* Et huius rei occaſione adducit illud Apoſtoli Pauli: *Fratres & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris:* nec non illud Ezechielis: *Ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Væ, inquit, ſuperioribus, qui ſubditos, tentationum atq; infirmitatum ſuarum detegendarum cauſa, ad ſe accedentes benignè & amanter non ſuſcipiunt, Væ illis, ſi eos exaſperatos à ſe dimittunt, paterna viſcera iis non exhibent: nam ſi propterea ſubitum vel mori, vel deteriorari contingat, vti non raro ſolet contingere, id Deus à ſuperiore repoſcet. Adeò vt eſto non tua cauſa, propter ſe ipſum ſaltem benè ſuos ſuperior fungi officio debeat, vt tu benè fungaris tuo.

Serm. 23. in Cant. cantic. 1 3.

Superiores ſubditis potius vbera, quam verbera, admoveant.

Gal. 61.

Ezech. 3. 18

A ſuperioribus ii, qui ſuamq; detegerint, benignè audiendi, & inſtruendi.

Tertia, quæ hoc in ſocietate facile & ſuaue reddit, cauſa, eſt exemplum & rei huius tam frequens & communis vſus, vt pote quam quotidie à fratribus noſtris, vſurpari videmus. Vnde benè quoad hoc dicere poſſumus, quod olim Auguſtinus, cum ad orthodoxam Religionem tranſire proponeret, ac caſtè viuere difficile illi videretur, atque adeo hoc à ſe ipſe impetrare non poſſet, eueniſſe ſibi ſcribit. Apparuiſſe itaque ſibi dicit continentiam in honeſtæ cuiusdam matronæ ſpecie, ac multos ei pueros & puellas, quos capacis cuiuſdam pallii ſyrmate tegebat, nec non alios plurimos varii ſtatus, ſexus & ætatis, eosque omnes mirè caſtos & honeſtos oſtendiſſe, ac ſubridendo, quaſi illi inertiam ac puſillanimitatem exprobraret, dixiſſet: *Quod iſti & iſtæ, tu non poteris? An vero iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo?* Quo viſo & audito mirè fuit Sanctus ille vir animatus. Pari modo ipſe, cum aliquam tibi quo ad hoc cacodæmon difficultatem repræſentabit, dicere potes, Quid? té non poſſe, quod poſſunt omnes? Te non facere quod facit,

Lib. 8. Confeſſ. c. 11.

Facilis ſui manifeſtatio in ſocietate propter multorum exemplum.

alius ille, qui te & antiquior & doctior, & prudentior, & cordatior est? Ita porro hoc cogitatu negotium isthuc complanatur, vt non modo ipsum reddat facilius, verum etiam efficiat, vti in non faciendo difficultatem sentiamus, dum & cæteros offensuri, & notam aliquam incursuri videmur, si quod faciunt reliqui, ipsi soli facere negligamus. Quocirca omnes quotquot sumus, eniti debemus, vt salutaris hic vsus & bona consuetudo longius se extendat, quo bono huius exemplo animetur ille, ac deinde alii. Veteranorum inprimis & doctiorum est, hanc aliasque id genus res tum exemplo suo, tum sermone, colloquiis & conversationibus conseruare & stabilire, nam vti per hæc multum aliis prodesse, ita etiam obesse & mali multum causare possunt. Reliqui quippe singula ipsorum opera verbaq; notant & intuentur, eaque magni faciunt & sequuntur, quæ ipsos æstimare & sequi conspiciunt. His addo, permultum vniuscuiusq; interesse rem hanc vsurpare & exercere; ita namq; hæc illis facilis fiet: Si vero vsurpare negligat, paucis post diebus magnam in in eo difficultatem reperiet: Sicut & in aliis humilitatis & mortificationis exercitiis vsu venit, & in confessionis præcepto fieri videmus, nimirum qui semel duntaxat per annum confitentur, iis ipsum perdifficile, qui autem sæpius, facile & suave reddi.

Ad inducendam sui manifestationem multum valet exemplum seniorum, & doctiorum virorum.

Quartò, huc etiam non parum iuuat, quod norit homo, quod superiori vel rerum spiritualium præfecto dicitur, dum conscientiæ status ratio redditur, id non tanquam Iudici, sed velut patri dici, vt subditum consoletur, ei consilium det & remedium suggerat: Proinde non potest quis vllatenus ob id quod eo in foro deponit, castigari, etsi alioquin res ex se castigationem promereatur; vti nec ob ea quæ in Sacramento confessionis depromuntur: quia fori hi distincti sunt ab aliis foris, nec quod de illis dicitur, his accommodari potest.

Superior in suorum delictis manifestatis non iudex, sed pater & magister est.

Quintò, hanc conscientiæ claritatem maximè facilitat, nec non superiora magis confirmat summum dictorum silentium (quod etiam ipsis in Constitutionibus nostris indicatur) ita vt superior vniuersa, quæ dicuntur, nulli prorsus mortalium sit reuelaturus, Adeo vt securus & tutus esse queas, id, quod ei, conscientiæ rationem reddendo, dices, illius in corde clausum & obseruatum fore, ac nulli hominum aperiendum aut declarandum, nec vllum inde tibi damnum vel infamiam secuturam. Hoc, præterquam quod omne secretum natura sua ad peccatum & quidem mortale obligat, R.P.N. Generalis, Claudius Aquauiua grauibus & seueris decretis confirmauit & stabiliuit, nec non pœnis & castigationibus statutis in eos, qui secus facerent, vsq; eò vt etiam ab officio illos suo deponi & in ordinem redigi velit; & non modò subditis hoc suum decretum innotescere & constare, verum etiam scire illos vult, quod superiores, cum in huius obseruantia & executione delinquent, certò pœnas dabunt: sicuti ne homines à Confessione Sacramentali deterrerentur, etiam necesse fuit, sacerdotes ad illius sigillum & secretum seruandum lege lata strictè obstringere, ita ne quis se à conscientiæ ratione reddenda excusaret, visum est R.P. Nostro, illius secretum tam operose & signanter inculcare, vt ne tanti momenti negotium aut refrigescat aut vilipendatur. Quia nescio, inquit, num bono Societatis regimini dari quidpossit perniciosius, vt pote quæ ad perfectionem suos magis per culturæ internæ, & directionis spiritualis viam, quam per alias quaslibet leges & pœnitentias exteriores, conducere cupit. Vnde satis intelligent superiores, quantum Religioni ipsi sint damnum, harum rerum secretum infringendo, illaturi.

Cap. 4. exam. §. 35.

Facilis sui manifestatio ob secretum superioribus seruandum.

Instruct. de paternè exigenda ratione conscientiæ à subditis, & secreti fide seruanda.

Sui manifestatio præcipuum societatis præsidium.

CAPVT. X.

Quis in conscientiæ ratione reddenda nobis seruandus modus.

Effunde

Therm. 2. 9.

Ratio conscientiæ candidè reddenda.

Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Hac quam Ieremias Propheta adhibet, comparatione satis declaratur quo cor nostrum modo aperiendum sit ei, qui Dei locum occupat. Cum ergo conscientiæ rationem reddimus, non secus ea redditio fieri debet, ac dum quis aquam è vase effundit. Siquidem dum oleum vel mel è vase effunditur, aliquid semper vasi adhærescit, dum vinum vel acetum, odor saltem in vase permanet. At dum aqua effunditur nihil penitus eius vasi adhæret, nullus eius superest odor, sapor nullus, imo ne vestigium quidem & signum, è quo aliquando ibi aquam fuisse colligas, perinde ac si nihil ei infusisset, Hoc porro modo tuum te coram superiore cor, cum conscientiæ rationem reddis, effundere & reuelare oportet, nihil vt ei adhærescat, nullus in eo odor, nullus sapor, nullum deniq; vestigium supersit.

Ratio conscientiæ bis in anno reddenda in societate.

Reg. 4. communium.

Quod vero tanti hæc res momenti, tamq; primarium atq; efficax sit ad spiritualem animarum nostrarum profectum comparandum medium, ideo voluit S. P. Noster, vt præter illas conscientiæ declarationes, quæ toto anno fiunt, isthæc redditio peculiari quodam modo fiat singulis semestribus, quibus totius illius temporis quod interfluxit, ratio reddatur, eaq; semper ipsam votorum renouationem antecederet, sic semper id est in societate vsurpatum, & iam inde à quartæ congregationis generalis tempore in Regulas communes relatum. Ac sicuti vult, vt præter confessiones ordinarias, quæ sæpius in anno instituuntur, generalis quædam tunc temporis de intermedio semestri confessio fiat; Ita & decernit, vt præter redditionem conscientiæ ordinariam, quæ frequenter instituitur, tunc temporis generalem quandam de toto tempore quod ab vltima intercurrit, rationem vnusquisque reddat, vtpote qua nullum se putauit vnicuiq; ad interiorem spiritus renouationem faciendum, medium dare posse melius & conuenientius; vnde & R. P. N. Generalis Claudius Aquauiua medii huius vsum, in instructione visitatoribus data, singulari quodam modo commendans, ait: *Si sicut oportet, à subditis conscientiæ ratio reddatur, atq; à superioribus accipiatur, magnum procul dubio momentum habebit ad spiritus renouationem & augmentum* virtutis & perfectionis in societate. Quibus consonant & consentiunt illa S. Basilii verba: *Debet vnusquisq; eorum qui inferiores sunt (siquidem memorabilem vllam facere progressionem studet, & ad perfectionem peruenire) nullum animi sui motum apud se ipsum retinere:* Sicut in aqua lympida lapilli & arenulæ minutulæ in fundo iacentes apparent; ita subditus ita se liquido & transparenter suo se superiori declarare debet, vt is omnes animæ eius festucas & imperfectiones perspectas habeat: *Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur, & quod minus probandum, congruo remedio sanetur; atq; ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine, per modicas accessiones ad perfectionem peruenietur.*

Reddita conscientiæ ratio ad spiritus renouationem & augmẽtum virtutis proficit.

In quæst. fusius disput. respons. 26.

Vt autem melius maioriq; cum facilitate hoc facere possimus, insignem quandam in societate habemus instructionem, circa quam hoc solum à lectore notari volo, ex duabus quas ea habet partibus principalibus, primam, quæ eius proœmium est vel caput, præcipuam esse, quod in ea vniuersa Regula quadragesimæ summarii constitutionum (quæ de conscientiæ ratione reddenda loquitur, & quo ipsa modo reddi oporteat declarat) substantia contineatur. Itaq; postquam cogitare vnumquemq; debere ostendit, quanti rem hanc B. P. in Constitutionibus faciat; ait: *Quapropter vnusquisq; magna synceritate vel in confessione,*

Instructio & regula

de reddenda conscientiæ ratione.

sione, vel in secreto, prout ei magis placuerit, & prout maior eius consolatio fuerit, integrè & totaliter totam animam suam patefaciat, re nulla qua vniuersorum Dominum offenderit celata, ab vltima conscientiæ ratione quam dedit, incipiendo; aut eos saltem aperiat defectus, qui iam inde ab illo tempore, animam suam maximè aggrauant. Dico ergo in hoc præcipuum rei huius momentum versari, & eum qui quod in proœmio hoc dicitur omitteret, bonum integramq; conscientiæ suæ rationem neutiquam redditurum, & si alioqui secundum partem, quæ quatuordecim puncta particularia complectitur totam percurreret & obseruaret.

Et vero vt hoc liquidò clarescat, opus non erit per omnia reliqua puncta discurrere, sed duntaxat in vno de præcipuis exemplum ponere, sit id tertium, quo tentationem, passionum ac malarum inclinationum suarum rationem quis reddere iubetur. Hoc quippe vnum de præcipuis est, quorum homini est danda ratio. Quas nimirum tentationes habeat, an eæ sibi sint molestæ & importunæ; quam iis facilè difficilè & quomodo resistat? Idem esto de passionibus & prauis motibus & propensionibus iudicium. Aliud præterea nihil in hac interrogatione dicitur, nec in tota secunda huius instructionis parte, quid amplius circa hoc additur: Rogo ergo, num fucturum sit satis vt bonam & perspicuam quis conscientiæ suæ rationem apud Patrem suum spiritualem reddat, ita vt hic animæ illius statum quo ad hoc punctum exploratum habeat, omnes suas tentationes omnesque propensiones vitiosas illi declarare? Equidem satis id esse nego, sed requiritur præterea vt lapsus, si qui in iis interuenerint, indicet: Aliud quippe est dicere; Inclinatus sum ad superbiam; aliud, Adeo in superbiam sunt pronus, vt tale quid fecerim, vel facere voluerim, quo ab aliis magni fierem, & æstimaret; vel ægerrimè tuli, hoc vel illud mihi demandari, & tali excusatione illud à me amoliri sum conatus, idoque id eo tantum, quia satis mihi ad illud faciendum virtutis non fuit, nec humilitatis; etsi alioquin facilè id facere potuissem. Aliud item est, dicere, Sum cholericus, & impatiens, aliud verò, Adeo sum impatiens & cholericus, vt extra limites me ira obripuerit, & fecerim, vel dixerim, quod proximum offenderit, Aliud denique est, dicere, Tentationibus pulsor inhonestis; aliud; In obscænis tentationibus ita ignaue me gessi, vt diutius iis sim immoratus, vel delectationem inde hauserim, &c. Certum namque est, aliud & diuersum iudicium formari de eo, qui in tentatione lapsus est, aliud de eo, qui ab illa quidem fuit impetitus, sed validè animo seque est reluctatus: Vnde etiam alia medicina & cura adhibenda est illi, alia huic: Est perinde ac febris in forti valentique subiecto, aut in alio debili & infirmo, quod nosse permultum medici interest, vt & ipsius febricitantis; aliter quippe febris in debilis, aliter in validæ complexionis ægro curanda est; Sic, tum medici spiritualis, tum tui permagni referet, vt illa tuum vel robur, vel infirmitatem explorantam habeat, quò norit, quô te modo curare, quodnam tibi adhibere remedium debeat. Satis proinde non est, tuas ille te tentationes & prauos habitus declarare, nisi simul & lapsus, si qui interuenerint, aperias. Hinc quippe liquet quanta tua sit in spiritu infirmitas, quanta potentia & fortitudo. Propterea prima post quadragesimam, Summarii Constitutionum Regula, quæ etiam de hac re loquitur, sic habet: *Nul-*

De tentationibus molestiis, passionibus, & malis inclinationibus præcipua ratio conscientiæ reddenda.

Medicina debet esse proptionata inpto: ita & remedium peccanti.

Manifestatio sui quomodo fieri debeat.

Reg. 41. Summarii. *Nullum debent noſtri celare tentationem, quam ſuperiori non aperiant, vti nec defectus.*

Atqui hoc in Inſtructionis huius proæmio declaratur, in quo vnusquisque ita liquide vniuerſum animum ſuum ſuperiori manifeſtare ſignanter Iubetur, nihil vt ipſum celet, in quo diuinam Maieſtatem offenderit, aut eos ſaltem aperire defectus, qui animam eius maximè grauant, Quod ipſum in quatuordecim punctis quæ ſequuntur, amplius non, vt oportet, exprimitur nec pluribus declaratur, Quare ſi quis hoc non obſeruaret, is profecto tanti momenti negotium, & quod tanti in religione fieri ſolet, non niſi ſpecie tenus, imò ne vix quidem exequi videretur. In genere omnibus hæc Doctrina prodeſſe poteſt, vt norint videlicet, quo Patribus ſuis ſpiritualibus modo animæ ſibi ſit ratio reddenda.

Integra ſui manifeſtatio facienda.

Vt autem maiori hac in re claritate procedatur, ſatis eſſe homini non debet, errata & defectus ſuos in genere dicere, ſed ad particularia ei eſt deſcendendum: Hoc namque modo claram ſui dat notitiam, at non alio illo. Quod etiam imprimis vtile eſt, quo ad confeſſionem ſacramentalem, documentum & monitum: etiam minimè ſufficere tibi debet, generalibus quibusdam in terminis vti, dicendo, V. G. à malis quibusdam cogitationibus me ſum paſſus abripi; ſed quousque te abripuerint, dicas oportet.

Defectus etiam in particulari aperiendi ſunt.

Et licet defectus in iis admiſſio culpam venialem non tranſcendat, & veniales culpæ neceſſaria confeſſionis materia non ſint; nihilominus, dato eas nos confiteri (vti ſane confiteri par eſt) non ſunt eæ generalibus quibusdam terminis exponendæ; vt rota, qui culpam mirè inobſcurant, & derogant; ſed ad particularietates veniendum eſt, quæ culpæ grauitatem magis ſignificant: Neque enim culpam is pro vt oportet, declarat, qui dicit: Protuli verba, quæ alios mortificare poſſent; verba impatientiæ; denique verba quibus aliorum honorem læſi, tum verba fuere huiuſmodi, vt culpa maior appariturae eſſet, ſi ea planè, pro vt dicta ſunt, dicærentur, quàm generali hac locutione vtendo. Si quis item ſua inobedientia peculiari quodam modo malo aliis exemplo fuerit, ſatis ei eſſe non debet, dicere, Dico meam culpam quod inobedientia deliquerim; ſed res illa, & modus, in quo deliquit, ei in ſpecie eſt exponendus: nam hic culpam eius amplius & euidentius declarat, aliumque de ea confeſſarium formare conceptum facit: ſic & in conſcientiæ ratione reddenda generalibus non eſt terminis, & inuolutis circuitionibus vtendum, ſed ſyncere, purè candide, perſpicuè procedendum, nullus vt angelus in excuſſus, nulla ruga & plica non explicata maneat, iuxta id, quod Apoſtolus Paulus ait, de Eccleſia loquens: *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquod huiusmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* In rugis quippe latere ſolent ſordes, & illuuies, Vnde nulla in animo noſtro eſſe debet ruga, nulla duplicitas, ſed omnia plana, læuia & aperta.

In manifeſtatione conſcientiæ omnia in particulari aperienda. Epheſ. 5. 17.

B. P. Noſter tam claram, limpidam, & integram conſcientiæ dari rationem ab vnoquoque vult, cùm primum Religioni nomen dat, vt non ſolum malos inclinationes, quas iam habet, & vitia, & peccata, in quæ modò magis propendet, aperiat, Verum & iam in quas olim pronior fuit, & quæ illum alias diuexa-

Cap. 4. exam. §. 35. Ad ſui manifeſtationẽ pertinet, etiã inclinationes veteres aperire.

uexarunt, & oppugnarunt vitia: Nam, ſicuti ingens medico ad curandum ſubſidium eſt, cum æger illi non infirmitatem ſolum, à qua in præſentiarum affligatur, verum & illas, quibus eſt alias conflictatus, patefacit; vt hinc ipſe colligat, num inde talis morbus originem trahat, & taliter morbo præſente remedium præſcribat, vt infirmitates, quæ antè fuere non reuiuiſcant; ita ſi claram, & integram animæ tuæ notitiam ſpirituali medico dare velis, non habitus mali, & pronitates, quas iam in te ſentis, duntaxat declarandæ tibi ſunt, ſed & præteritæ: Propterea confeſſionem generalem facere volenti conſulere ſolemus, vt eam apud illum confeſſarium inſtituat, apud quem deinceps ordinariè confiteri cogitat, quo hic animam confeſſuri hoc pacto magis exploratam habeat, itaq; illum melius iuuare queat. Etenim ſæpe fit, vt tentationes, & ſiniſtri motus, quos in præſens quis ſentit, partim antiquarum infirmitatum veſtigia ſint, & reliquiæ, partim malæ vitæ ante ductæ pœna & caſtigatio. Vnde, eſto modò quam poteſt maximè ſuper actiones, & verba ſua aduigilet, valdeq; reſtrictus & circumſpectus ambulet, ſæpe tamen patietur inuitus, quod pati nollet, idq; in libertatis & prauæ conſuetudinis ſuperioris pœnam & caſtigationem. Quocirca non eſt quod propterea aut miretur, aut percellatur; at potius patientem ſe oſtendat, & humiliet, detq; operam, vt non ſolum è præſentibus, verum etiam præteritis, dolorem & confuſionem ſui excitet: ita fiet, vt nihil hæc illi ſint nocitura.

Tentationes à priore vita malè acta naſcuntur.

Notandum poſtremò hic, ipſam conſcientiæ declarationem, & generalem confeſſionem diſtinctum quid in ſocietate eſſe, vt è diuerſis quibus vtrumq; præcipitur, Regulis videre eſt; & quia vtriusq; finis, & materia diuerſa eſt: Quamuis quoq; certum ſit, hanc conſcientiæ declarationem vel in confeſſione, vel extra eam fieri poſſe, prout declaranti magis expedire videbitur, ſeu pro maiori eius conſolatione: ita quippe expreſsè Conſtitutiones id ſignificant. Verum aduertenda, quo ad hoc, res eſt, quam R. P. Generalis Claudius Aquauiua, in Inſtructione, qua viſitatores inſtruit, aduertendam cenſuit; quæ quoniam tam grauis & tanti momenti eſt, viſum mihi eſt formalia & ipſiſſima eius verba adſcribere. Poſtquam ergo oſtendiſſet, quod ſit inter conſcientiæ declarationem & ipſam confeſſionem diſcrimen, dixiſſetq; poſſe quem, ſi velit, rationem conſcientiæ ſuæ inter confitendum reddere, addit: Quare vt non ſunt cogendi noſtri ad rationem conſcientiæ reddendam extra confeſſionem, cum conſtitutio id liberum relinquat, pro cuiusq; conſolatione; ita laudandi, qui ſemotis his, quæ ad confeſſionem propriè ſpectant (quæ in confeſſione manifeſtari potuerunt) extra confeſſionem eam reddunt, totosq; ſe ipſos patefaciunt, quo liberius, & absq; vllo reſpectu, ſuperiores ad illorum directionem, & vtiliorem gubernationem, ea notitia ad maius Dei obſequium vti poſſint: Adeò vt melius, & conſultius ſit, ipſam conſcientiæ rationem extra confeſſionem reddere; quod qui facit, næ ille ſuperiori fidit, perinde ac, qui precioſum aliquod monile amico ab eo aſſeruandum, patenter in manus conſignat, magis ei fidit quamſi arcæ ſigillatæ incluſum id ei traderet.

Diſtincta ſunt, confeſſio generalis, & manifeſtatio conſcientiæ.

Cap. 4. Exam. §. 36. & 38. & 6. par. Conſtit. c. 1. §. 2. Reg. 40. ſummarii:

Idem habetur in inſtruction. reſultantibus ex congregatione 6. generali, inſtruct. 1. c. 2. num. 2.

Extra confeſſionem conſcientiam aperire eſt melius.

CAPVT XI.

In quo nonnullis reſpondetur dubiis, quæ ex antedictis reſultant.

EX iis quæ dicta ſunt quædam oriuntur dubia, quæ alicui forſan aliquando occurrerint. Primum eſt, diximus hinc

hinc quidem melius esse conscientiæ rationem extra confessionem dare; illinc vero in hac conscientiæ ratione non solum esse tentationes & in malum pronitates; verum etiam, si qui interuenere defectus & lapsus, aperiendos; ac nisi hi declarentur, bene conscientiæ rationem non reddi. Peto itaq; nũ, si quem (quod Deus auertat) à vehementia tentationis superatum in graue & pudendum crimen incidere contingat, huius Regulæ velit superiori extra confessionem rationem reddi? Videtur id namque perdifficile & arduum inprimis, & onus ita graue, vt vix quisquam id tolerare posse videatur. Respondeo, hoc in casu nec Regulæ nec S. P. N. intẽtionem esse, vt extra confessionem tale crimen aperiatur; imo vnam declarationibus præcipuis, cur Regulæ disiunctiuam hãc posuerit, dicendo hoc vel sub sigillo confessionis vel secreti facere fas esse, ad maiorem cuiusque consolationem fuisse hanc, vti id etiam expresse & in Regulis prouincialis declaratum: vbi S. P. de conscientiæ rationis dandæ vel in fine accipiendę modo agẽs, cum dixisset, quod postquam quisq; dixerit, quę dicere voluit, possit prouincialis, sique existimauerit amplius interroganda, id etiam facere, hanc restrictionem addidit: Quamuis quæ hominem pudore multum afficerent ea extra confessionem interroganda non essent, quæ autem huiusmodi sunt, adeo à superiore & patre spirituali extra confessionem roganda non sunt, vt ne velle quidem debeant hęc à subdito sibi extra eam reserari: Piæ aures talia extra confessionem audire non sustinent, vnde satius ea est in tempus confessionis reseruare: Atque hoc sibi vult R. P. N. generalis, verbis illis superiori capite allatis; quando satius eos facere docens, qui extra cõfessionem conscientiæ arcana pandunt, addit, *semotis his, quæ ad confessionem proprie spectant.*

Cap.4. Exam. §.36. & 38. & 6. par. Constit. c.1. §.2. Reg. 40. summarii: Idem habetur in instruction. resultantibus ex congregatione 6. generali, instruct. 1. c.1. num.1.

Extra confessionem graue crimen aperire in Societate nullus cogitur.

Dubium secundum grauius est & implexius. Diximus hinc quidem (quod & S. P. signanter & diserte in Constitutionibus consulit:) ideo superioribus conscientiam vniuersam aperiri, vt sic subditos suos melius regere & gubernare, vt pote omnia ipsorum arcana & abdita explorata habentes, commodius quoque ordinare & decernere queant, quicquid tum ad vniuscuiusq; priuati, tum ad totius corporis Societatis regimen expedire censebunt. Illinc vero iuxta ipsarum met constitutionum præscriptum, licitum cuique est, in confessione conscientię statum patefacere, Ergo Societatis totius & eiusdem Præpositorum regimen secundum notitiam est è confessione acceptam. Multos hæc difficultas non parum torsit, quod ignorarent, quis quo ad hoc Societatis sit vsus & consuetudo. Vt autem is intelligatur, dico primo, Adeo non Societatem ex notitia è confessione parta suos regere, vt esto Theologi nonnulli doceant, confessarium sine vllo sigilli detrimẽto, interdum iuxta id quod per confessionem accepit, pœnitentes dirigere posse; R. P. N. Generalis tamen strictissime vetet, ne quis Theologorum nostrorum hanc doctrinam verbo scriptove doceat, illave vllatenus vtatur, sed ita se in rebus auditis confessarii gerant, perinde ac si nihil in confessione inaudissent. Quod eius statutum cõforme & consonum est cuidam diplomati ac decreto, quod quadriennio post Clemẽs Papa VIII. circa hanc ipsam materiam tulit, cuius cum P. Franciscus Suarius, tum alii meminere. Quin etiam amplius quid Societas facit, nam etiam ipsius declarationis conscientiæ, quæ extra confessionem redditur sigillum quam strictissime vti supra diximus seruari iubet. Si ergo in rebus, quæ extra confessionem cognoscuntur, tam caute & secretè procedat, quàm circumspecte procedat oportet, in iis quæ ad confessionem pertinent, ne vel ipsa odiosa reddatur, vel aliquod contra sigillum eius sacrilegium admittatur.

Cap.1.

Societas per notitiã è cõfessione habitã suos nõ dirigt, & passim docet id fieri non debere.

In ordinat. impress.

Tom.4 de pœnit. disp. 33. sect.7. Thom. Sanchez. tom. 1. de matrimon. lib.3. disp.16. qu. 1.

Verum, vt ipsi puncto, in quo versatur difficultas, respondeam, dico secundo, nullum in eo malum esse vt spirituale & interius animarum regimen, secundum confes-

Animas regere secun-

dum confessionis scientiã licitũ & bonum. confessionis scientiam fiat, immo vero id vnum de fructibus & magnis commodis esse, quæ ex ea consequuntur: Ex eo enim quod quis omnia sua vulnera, morbositates & infirmitates clare manifestat, potest confessarius, vt animæ eius medicus melius illic medicamentum adhibere, quod magis illi expedit remedium applicare, denique eam instruere quomodo se gerere debeat imposterum. Adeoque id verum est, vt Alexander III. Pontifex in iure Canonico duntaxat ob hunc animarum in viam salutis conducendarum & dirigendarum, conuenienter ipsis consulendi finem iubeat, vt aliquorum hominum, ita malorum & nefariorum, vt absolutionis non sint capaces, quia se continere & à peccando abstinere se posse negant (ac proinde verum emendandæ vitæ propositum non habent:) confessiones etiam excipiantur. His ergo etsi alioquin absolutio illis danda non sit, consulit eo loco, Pontifex vt salrem Confessarium adeuntes omnia peccata confiteantur, totiusque vitæ suæ mala nec non exiguæ, quam ad confessionem illam adferunt, dispositionis rationem ei reddant, simul confessario mandat, vt eos qui tam desperatæ sunt salutis, benigne admittat & audiat, quo salutare illis consilium & remedium suggerere queat, fore enim fortasse, vt hoc pacto cor eorum emolliatur, ipsi quoque peccandi occasiones à se amoliantur, & Deus Opt. Max. hoc humilitatis & bonorum aliquot, quę exercita re iubebuntur operum exercitio mediante, oculos illis aperiat, quo peccatis tandem penitus valedicant, bonamque eorum confessionem instituant. Adeo vt nouum minime sit, sed perantiquum & in Ecclesia Dei satis vsitatum & approbatum, animas iuxta scientiam è confessione acceptam conducere & gubernare.

Cap. quod quidam, de pœnit. & remiss.

Lib. 3. c. 1. vita.

S. P. N. Ignatius cum in generalem Societatis quam ipse fundarat præpositum ab omnibus primis patribus semel & iterum delectus esset, ipse autem electioni suæ qua poterat refragaretur, ad id se munus idoneum esse negans; ab omnibus tamen identidem premeretur, vt hoc ipse onus susciperet, dicentibus, Ipsum excutere velle, Dei esse volũtati obsistere, vtpote quam per tam conforma suffragia facta electio satis innueret: ad quoddam tandem eos medium quod ipsemet delegit, (cum nihil tum quidem ab ipso impetrari potuisset) cõdescendere fecit. Nimirum ego inquit vniuersum hoc negotium in Confessarii mei manus consignabo, ei vniuersa totius vitæ meæ peccata declarabo, vitiososque animæ habitus & inclinationes, necnon infirmitates & miserias, tam præteritas quam præsentes, spirituales æque ac corporales patefaciam, etsi ipse his non obstantibus, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI mihi præcipiat vel consulat, vt ingens hoc onus in humeros suscipiam, ei haud reluctans morem geram. Dictum, factum: cumque ad aliquot dies se in solitudine recollegisset, generalem vitæ totius confessionem apud virum quendam sanctimonia conspicuum nomine Theophilum, ex ordine D. Francisci instituit; Qua facta petiit ex eo, num Præpositura onus suscipere suaderet. Ille nihil cunctatus ipsum & susciperet suasor & auctor extitit: nam huic suæ electioni si resisteret, fore vt Spiritui Sancto obsisteret. Cuius consilio acquiescens Ignatius, demum impositi sibi muneris, prouinciam adiit. Peto itaque hoc loco num quis, esto liuido maleuolentiæ veneno totus suffusus sit, de hocce Beati Patris facto loqui audeat, vt vel ei detrahat, vel aliquem in eo interuenisse dictitet dolum & neminem sane futurum existimo, qui de eo loqui possit, nisi forte ad ipsum dilandandum: vnde id etiam in vitæ eius historia, ceu honorificum & gloriosum inprimis, refertur. Qua ergo via B. P. nostrum, vt caput & fundatorem Religionis huius dominus, conduxit, ea etiam ipsum docuit, vt nos quotquot eius filii & sequaces, sumus con-

S. Ignatius nisi conscientia Confessario aperta Præposituram refugit.

conducerer. Vnde etiam ipse hoc superiori sub sigillo confessionis vel secreti omnes prauos habitus, pronitates, vitia, passiones, omnesque denique defectus & imperfectiones nostras detegendi medium, nobis assignat, vt nos Superior per virtutis & perfectionis, quam profitemur, viam melius hac ratione conducere queat.

Vnde dico politicum & exterius Societatis regimen *nec esse, nec esse posse*, secundum scientiam è confessione acceptam, at spiritualis & interior animarum directio, vt per viam confessionis eo quo diximus modo fiat, & conuenientissimum est & persæpe necessarium. Sic in vniuersa Dei Ecclesia moris esse & seruari videmus, vt quando quis dubitat & incertus est, quomodo in hoc vel illo negotio gerere se debeat prudentem aliquem doctumque Confessarium eligat, cui in confessione, vel extra eam sub secreti sigillo (prout id ad maiorem sui consolationem facere putabit) totius illius rei rationem reddat, vt ab illo quoad eiusdem conductionem consilium recipiat & iuuetur. Hoc ergo sibi vult Sanctus Pater noster & intelligit, cum hanc conscientia, retectionem dixit in confessione facere posse eum, qui maiorem in illa hoc pacto facienda consolationem sentiet: Adeo vt in Societate, nec Rectores, nec Professi, nec Professores scholares, nec vlli demum Officiales *constituantur vel deponantur*, ex scientia quæ per confessionem capitur: hoc namque error & insignis quidem foret, imo vero si quis id vel solum cogitaret.

Confessarius potest imponere vt se aperiat superiori pœnitens si ita expediat.

Notandum autem hic (quod sane notatione dignum) fieri posse talis vt in quopiam sit dispositio, ac tales concurrant circumstantiæ, vt eum Confessarius qualiscunque demum is sit in conscientia & sub pœna peccati obliget, superiorem vt candide præmoueat, ne se tali officio applicet, talem ne sibi missionem iniungat, ne denique tali peccandi occasioni se exponat, tum huius causam, tum euidens, quod inde sibi (pro ratione fragilitatis) imminere videt periculum declarando. Rogo itaque ecquod hoc in casu ei qui huiusmodi est melius & cum honore eius coniunctius dari potuerit medium, quam suadere vt superiorem adeat, eique rem hanc in confessione exponat? tunc quippe potest eum superior magno tum priuato, tum Religionis totius honore, occasioni præsenti subducere, nec maioribus periculis exponere, quam eius vires ferant, atque ita fiet vt per remedium & præsenti periculo infamiæ occurratur. Hæc autem superior tum facit tubido non modo permittente & annuente, verum etiam vt ita fiat rogante, quod per magni hoc eius intersit. Alias quoque cum quis plane certus non est periculose se exponat, an secus, de eo tamen quadantenus dubitat, ac metuit; non mediocri quieti & consolationi ei tum erit, suam superiori dubitationem & difficultatem detegere, inquam manus eius totum se consignare: Si enim tunc nihilominus rei huic tractandæ applicatur, quod hinc sequitur, periculum illius rationibus non asscribetur; vbi asscriptum fuisset, si minime se declarasset; sed in caput superioris omnia recident. Deus autem cum eius obedientia concurret, viresq; ei suppeditabit, ad debite defungendum exequendumque, id quod ei erit iniunctum; propterea quod præstitit quidquid à parte sua præstari oportuit.

Dico tertio quamuis in ipsa confessione conscientiæ ratio dari queat prout Regula præscribitur, melius tamen ac laudabilius esse, vt extra confessionem reddatur, vti ante monuimus. Quod autem omnes iam ad norint hinc etiam communiter id eligere volunt quod melius est, eam videlicet extra confessionem dare. Quod cum fit omnibus quicunque alicui suboriri possent scrupulis murmurationibus & suspicionibus, quasi supe-

Melius extra qua intra confessionem rationē conscientiæ reddere. Cap.10.

superiores ex illis, quæ in confessione audiunt, subditos gubernent via præcluditur; quia omnes vt plurimum extra eam hanc conscientiæ rationem reddunt. Immo vero nullus est, quantumlibet imperfectus, quin etiam in eo casu de quo dubio loquebamur, quod nimirum quis in confessione conscientiæ dare rationem velit; gaudeat & etiam vltro petat, vt, quo bene animæ suæ consulatur, peccandi sibi occasiones auferantur, ac nullis periculis exponatur, superior ergo se scientia quam è confessione acceperit, vtatur. ita tamen vt nullum inde sibi damnum, sed bonum dumtaxat, sequi possit, ac suum alii defectum vel imperfectionem non cognoscant: ita namque adeo nihil illi decedit, multum vt accedat potius; superioremque quodammodo obstringat, vt etiam eo maiorem de honore illius solicitudinem & curam gerat. Inde est, vt ne quidem spirituale & internum animarum regimen, quod sancte liciteque alioquin iuxta solam notitiam è confessione partam fieri posse diximus, societas vsurpet; sed eas duntaxat iuxta id quod extra eam nouit, dirigatur: Omnes quippe eius sectatores extra confessionis forum, omnium quæ ad hoc sunt necessaria rationem dare gaudent & malunt, vt sic eos liberius & sine vllo ad confessionem intuitu, superior in via perfectionis conducere, dirigere & iuuare queat.

Doctrinam hanc S. Bonauentura signanter tradit inprimis, docetque expedire vt singulorum subditorum suorum conscientias, necnon inclinationes & mores superior perspectos habeat, ad hęc vniuscuiusq; vires tam corporales quam spirituales, vt sic omnes melius regere & gubernare queat, singulis pro virium modulo onera officiaque dispertiendo & iniungendo: neque enim omnes æqualiter & indiscriminati possunt omnia. Atque ad hunc sensum adoptat illud quod in Scriptura legitur: *Aaron & filii eius intrabunt in sanctuarium ipsique disponent opera singulorum, & diuident quid portare quis debeat.* Aaronem quippe eiusque filios figuram esse ait prælatorum & superiorum tam maiorum quam minorum, quos in subditorum interiora intrare oportet, vniuscuiusque eorum virtutem, robur, vires, peculium perspiciendo, vt hoc pacto officia, munia, onera, Ministeria Religionis *vnicuique secundum propriam virtutem,* distribuere & deferre queant.

Tract. de sex alis Seraphim c. 7.

TRA-

TRACTATVS OCTAVVS.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

CAPVT I.

Correctio signum amoris est, & quantum ea boni contineat.

Serm. 42. in Cantic.

EVidens juxta D. Bernardum signum est, à Deo nos & filios diligi, si ab eo reprehendamur, & castigemur. Pluribus id locis sacra Scriptura contestatur. Ait quippe Sapiens: *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi:* & S. Ioannes in Apocalypsi, *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et Apostolus Paulus: *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem filium quem recipit: quis enim filius, quem non corripit Pater?* Vnde è maximis quæ Deus in animam aliquam conferre solet, beneficijs & gratijs esse SS. Patres docent, si ab eo interdum corripiatur, & interiori quodam in conscientiæ fibris remorsu, dum peccat, vel ad imperfectionem aliquam exorbitat, exagitatur. Est hoc haud obscurum Dei in te amoris argumentum, & è quo facilè colligas, esse te de electorum numero, ꝑpterea, quod ex toto te non deserat, sed per remorsum hunc interiorem, ad se vocet & inuitet. At vbi intimam hanc reprehensionem & lancinationem non sentis, nec vllo in te Deus flagello animaduertit, manifestè hinc erui volunt, ipsum à te esse auersiorem, tibi irasci, hocque de acerrimis & maximis flagellis esse, quæ quidem in hac vita homini Deus queat infligere. In cujus propositi confirmationem adfert

Deus quem amat, castigat.
Prov. 3. 12.
Apoc. 3. 19.
Heb. 12. 6.

S. Bernardus illud Ezechielis: *Vt requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Quod idem est cum eo, quod per Isaiam Dominus velut grauissimam comminationem intentans, ait, *Iuravi, vt non irascar tibi, & non increpem te.* Super quę sic Bernardus scribit, *vides, quia tunc magis irascitur Deus cum non irascitur. Si ergo te zelus deseruit, & amor: neq; eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris:* quid hoc beneuolentiæ & fauoris genus exhibere solet Deus eis, quos amat. Sicut ergo correptio signum est Deum nos amare ceu filios, ita etiam nihil est, in quo magis suum, quo in subditum fertur amorem Superior patefaciat, quàm quod eum ex caritate corrigat, & defectuum, q in eo notantur commoneat, vt eos exuat & deponat: Ait siquidem Sapiens: *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.* Caritas quidem latens & amor interior, quo me prosequeris, fateor; bonus est; verum tibi vni bonus est, quia mihi parum is prodest, nisi mihi de foris eum opere ipso ostendas.

Bernardus Ezech. 6. 42.
Isaia 54. 9.
Prov. 27. 5.

At cum Superioris amor eò peruenit, vt me erroris quem ipse non videbam vel errore inesse non credebam, commonefaciat, vt eum ipse emendem, major haud dubio ille amor est, mihiq; summe fructuosus, quia amor est, qui opere ostenditur, & verus amor Patris, de bono filii sui sollicitè laborantis. Nisi enim Superior te amaret, vt filium bonumque, & profectum tuum spiritualem desideraret, non te corriperet, nec erroris defectusq; te admoneret. Sic videmus Patrem dum

filium peccantem, & reprehensibile aliquid facientem conspicit; ilico in eum animaduertere & castigare; eò quod ejus sit filius, eum vt filium complectatur, & in bonum probumque virum euadere cupiat: at eum, qui filius non est, esto peccare videat, impunè habere sinit, non reprehendit, non objurgat, & parum noxam eius moratur; propterea quod suus non sit filius, dicens de eo curam gerat pater, benè is eum instituat, ad me equidem istuc non spectat.

Adhæc non solum in hoc Superior ostendit, quod te ceu filium diligat, verum etiam quod persuasum habeat, se vicissim seu Patrem diligi à te; simul te persuasum habere, te ab ipso diligi; hæcq; tibi visceribus & dilectione quadam paterna, & magno erga bonum & salutem tuam affectu insinuari demonstrat in hoc præterea credere, se ea te virtute & humilitate esse præditum, ejus vt commonitionem & correctionem in bonam sis partem accepturus, alias namq; te non corriperet. Econtra dum hac decum Superior claritate, candore, & sinceritate non vtitur, nec defectuum, qui tibi insunt; & eorum quę in te alii notant & reprehendunt, admonet, id fit, vel quod te non diligat, vt filium, vel, quod se à te, vt Patrem non amari norit; vel deniq; quod satis tibi virtutis inesse non credat, ad correptionem suam & admonitionem æquo animo accipiendum. Hæc omnia autem vni amoris & æstimationis defectui sunt ascribenda; neque enim ibi verus est amor. Fortasse quidem talis esse exterius apparebit, sed reuera verus amor non erit, at duntaxat simulatus & fictus: Quid enim tibi profuerit, quod exterius amorem & æstimationem erga te ostendet, si intus & in animo hac illaue in re te imperfectum vitiosumque ducat, & hujus rei te commonere non audiat? Hoc est, cum duplicate & fictè procedere, aliud in cordis recessu occultando, aliud extima fronte prodendo; aliud exterius, aliud interius declarando. Hæc agendi & loquendi ratio ꝓpria mundanorum est, sic in mundo procedi solet, quia non audent ibi homines, quod sentiunt apertè ꝓdere, itaque aliud de foris ostentant, aliud corde fouent. Sæpè namq; abblandiendo te laudabunt, benè amiceq; erga res tuas se affici commonstrantes, intrinsecus verò longè secus sentiunt: ad imitationem eorum, de quibus ait Propheta: *Molliti sunt sermones eius super Deum, & ipsi sunt iacula. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Linguis suis dolosè agebant. Venenum aspidum in labiis eorum.* At nullæ in Religione ejusmodi esse, duplicitates debent; sed omnia sincera, candida, & plana sint, oportet: quia caritas & quam profitemur vnio aliud non patitur. Habebo verbi g. defectum vnum, vel plures, quos fortasse ipse nec aduerto, nec vt defectus duco, nec ab alijs notari puto; Superior verò illos videbit, & alios propterea offendi & murmurare sciet: nemo verò erit, q eorum me commoneat. Illa profecto non est caritas. Vnde præclarè R.P. N. Franciscus de Borgia: si pallium inverso modo induisses, si vultum fuligine inquinatum haberes, certum est, gratam tibi rem facturum eum, qui te rei leuius moneret, eiq; fore, vt gratias ageres; & è contra ęgrè laturum te, & vt injuriam irrogatam interpretaturum, si alius hoc animaduersum tibi non significaret. Porrò in defectibus virtutis & animæ maculis, q bus fratres nostri offenduntur, magis id locum habeat par est.

Quod à superioribus non corrigamur sapè virtutis defectus est causa.

Ps. 54. 22. *Psal. 61. 5.* *Psal. 5. 11.* *Ps. 139. 4.*

Epistol. ad Societatem.

Proinde magni cujusdam beneficii loco ducere debemus, ꝙ aliquis ex amore & caritate eorum nos commoneat; quod enim nos ipsos nimioperè diligamus frequenter eos ipsi non videmus, nec verè eos defectus esse existimamus: noster quippe nos affectus & philautia excęcat. Nam sicut nimius, quo filium mater prosequitur amor efficit, vt id quod deforme est, pulchrum, & quod furuum est, benè coloratum ei appareat: ita nec nobis argumenta coloratæque rationes desunt ad defectus nostros colorandos, & obtegendos. Hac de causa benè Philosophi censent, nunq̃ hominem sui ipsius bonum judicem.

Nemo sibi bonus iudex.

judicem esse. Si enim jura ciuilia eum judicem, vt suspectum habent, qui alterutri litigantium plus æquo fauet & amicus est, quanto magis in causa propria homo est suspectus habendus, qui tantoperè sui ipsius amans est? At aliquis quislibet q̃ res nostras oculis omnis passionis expertibus conspicit, siue defectus nostros defæcatius intuetur, meliorque eorundem censor est. Vt omittam, quod quatuor oculi (vti vulgò dicitur) plus videant quam duo.

Lib. de vtilit. capiend. ex inimic. tractat. 19. tom. 1. moral. Plutarch. etiam multo auro inimicum aliquem nobis ait comparandum; soli siquidem inimici nobis vera dicunt. Hodierna siquidem die, quid aliud amici tui agunt, q̃ adulari, blandiri & dicere; nihil in te penitus desiderari, omnia absoluta videri, cum tamen nihil sit, q̃ ipsis satis faciat. Hodiè sanè in mundo id adulationis genus admodum frequens est: auertat v. Deus, ne etiam in religiosas domos ipsum irrepat. Tanta verò nostra hominum est vanitas, vt q̃ libentissimè audiamus, imò etiam præ philautia, q̃ deterius est, credamus; cum tamen Regium nos Prophetam imitari hac in re oporteret, q̃ *Ps. 104. 5.* de se dicebat: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Per lenem hanc peccatoris vnctionem vult S. *Epist. 147. ad Proculian. Episc.* Augustin. adulationem, & blanditias intelligi. Has autem Propheta detestatur, mavultque à justo corripi in seruitute & misericordia, quàm blandis adulantium sermonibus laudari, & deliniri: hæ namque ad nihil aliud valent, quàm vt laudatum magis dementent ac decipiant, magisq; rationis lumine priuent. Et adducit *Isaia 3. 16.* ad hunc sensum illud Isaiæ Prophetæ: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt, & perniciem tibi creant.* Ediuerso, q̃ *Prov. 27. 6.* nos corripiunt & monent, ingenti dubiè nos beneficio afficiunt. *Nam meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta* *Eccles. 7. 6.* *oscula odientis. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Quod enim mordet & pungit, hoc persanat; adulatoria verò manus curationem difficiliorem reddit; credimus quippe nullum defectum subesse, itaq; de correctione nostri nihilum laboramus.

Ajebat Diogenes, vt suos defectus & vitia quis emendet, debere vel fidum q̃rere amicum, à quo commoneatur, vel acrem & durum inimicum, à quo reprehens⁹, vitium seu defectum, quem habet, corrigat. Postremum hoc in mundo jam communiter locum habet: vbi nulli sua vitia, indicantur, quàm ab inimico & aduersario quem habet: in inimicitia veritates quippe aperiuntur. *Laert. l. 6.*

At hic in Religione dum vel vitia dicuntur, vel quis peccans reprehenditur, vel commonetur, id fit non ex odio, rancore, contentione, æmulatione, aut auersione à te; sed ex vero amore, & sincero erga bonum tuum affectu. Primum ergo q̃ Philosophus ille dicebat, hic reperire est: in Superiore siquidem fidum verumque experimur amicum, qui magno quodam amore nostrorum nos defectuum commonefaciat. Quam sanè rem permagni nos facere oportet, atque existimare ingentem quendam ab illo nobis retegi thesaurum, tum cum alicujus nos defectus admonet, quem quia nobis perspectus & notatus non erat, hinc etiam de eo corrigendo non laborabamus.

Caput II.

Causa, cur correctio non æquo animo admittatur, vnica est superbia.

Intolerabilis hominis superbia nulla in re magis apparet, quam quod dum errorum ac defectuum notatur ac monetur, non ꝑut oportet, ipsum accipit; quæ q̃dem adeo jam passim inualuit, & communis est, vix vt sit, qui eorum notari monerive velit. Apertè id declarat Sanctus Augustinus: *Quis facile inveniet, qui velit reprehendi? & vbi est ille sapiens, de quo dictum est Proverbiorum nono: Argue* *Epist. ad Felicitatem & Rusticum.*

[Prov. 9. 8.] *sapientem, & diliget te.* Næ ille verè sapiens est; cum tam eximium illud correctionis beneficium compensare, seq; ideò gratum exhibere norit. Verùm vbinam locorum id genus viros, ita sapientes reperiemus? [Eccl. 31. 9.] *Quis est hic, & laudabimus eum?*

Vnde S. Gregorius, Tam pleni sumus, inquit, superbia, adeoque illa profundè cordis nostri libris infixa est, vt vestros ipsi errores ab alijs repeti non sustineamus, nec salutarem illorum correptionem æqua mente excipere possimus, credimus enim hoc pacto æstimationi nostræ quidquam decedere, aut propterea nos minoris apud alios fieri; & quoniam in cute, quodammodo tangimur, honor inquam noster & æstimatio nostri periclitatur, hinc quamprimum indignantes exsilimus, & tantum abest, vt propterea corripienti gratias agamus, vt nobis etiam insignem injuriam, contumeliam, imò etiam persecutionem irrogari arbitremur. [Lib. 10. Moral. cap. 3.] *Isti,* inquit, *cùm se impeti redargutione conspiciunt, gladium persecutionis credunt.* Vnde etiam nonnulli, dum identidem errorum defectuumque corripiuntur ac monentur, dicere apertè solent, ac non verentur, sibi persecutionem à monentibus intentari, sibi illos esse exosos, illosq; ex rancore quodã id facere sunt, [Lib. 22. Moral. cap. 14. & l. 24. cap. 12.] præterea, inquit idem alio in loco, nonnulli, qui suos quidem ipsi defectus libenter apud alios enarrant ac produnt; si quando tamen hos ex alijs audiunt, aut propter eos coarguuntur, quamprimum indignantes efferuescunt, eos ꝓpugnant, & excusant: neque enim tales credi, haberique volunt. Et hujusmodi, verè humiles non sunt, nec suos cum vera cognitione sui defectus edicunt; si namq; humiles forent, seque verè defectibus plenos agnoscerent, taliaque non fictè, sed sincerè, de se dicerent & sentirent, non tantoperè concitarentur, si quando ea ex alio quopiam audiunt, neque etiam in tantum sese purgare, existimationemque tueri suam tàm præfractè contenderent. Vera quippe humilitas in eo sita, vt primo se quis cognoscat, parui faciat, prò nihilo ducat, deinde etiam alijs patere suos defectus, & nullo se in numero haberi apud eos velit ac gaudeat. Qui tales sunt, inquit Gregorius, satis commonstrant, suos se defectus non ideò aperuisse, vt propterea parui ducerentur, sed quoddam bonitatis & humilitatis nomen aucuparentur, bonique & humiles mundo apparerent, scriptum quippe est, *Iustus prior est accusator sui,* [Prov. 18. 17.] suaque errata haud inuitus confitetur. Honorem scilicet aliquem comparare tibi gestis, & haberi ab alijs humilis: ad quod, quoniam optima tibi ratio videtur culpas tuas, & defectus aperire, idcircò eas declaras, dispar verò & inepta eas ab alio enarrari, teque corripi, imò verò, ne in dedecus aliquod tuum infamiam & contumeliam id redundet, hinc est, quòd correptionem ipse æquanimiter ferre non queas. Tàm hoc, quàm illud superbiam redolet. Inde est, quod, esto quis ad oculum videat & agnoscat, vera esse, quæ sibi ab alijs oggeruntur, illosq; efficacissimis quibusdam ad hoc monendum rationibus impelli, nihilominus propterea turbetur, & indignans concitetur.

Adeò etiam dicere non liceat, *Argue sapientem, & diliget te*: [Prov. 9. 8.] (neq; enim hodierna die tales sapientes reperire est, qui nimirum corripi, reprehendiq; gaudeant, & corripienti monentique gratos se exhibeant, gratiasq; agant) sed illud, quod eodem loco immediatè antè idem sapiens posuit, *Noli arguere derisorem, aut superbum, ne oderit te,* [Ibid.] à te is fiat alienior, & tu ipse ei exosus. Ita quippe hodie in mundo passim fit, talis hæc ætate mos communiter inualuit. *Non amat pestilens eum,* [Prov. 15.] imò verò detestatur & abhorret, *qui se ob defectus notatos corripit*, veritatemque ei aperit, *nec ad sapientes graditur.* Nam verè veritas odium parit Vnde non inscitè id genus hominum SS. Patres [Aug. Epist. 87. ad Felicitatem & Rustic. & epist. 167.] ægrotis phreneticis, cerebrumque turbatum habentibus, qui & medicum nullum ad se adire sinunt, sed longè longius ab eo fugitant, & omnia, quæ sibi applicantur, me-

tur, medicamenta expellunt, abhorrent, & à se reiiciunt: tum ex ipsa morbi vi & vehementer, tum quod male te habere nesciant. Quę eo comparatio melior est, quod illam & Spiritus Sanctus adhibuit. *Qui*, inquit, *odit increpationes*, & correctionem abhorret, non solum à virtute & humilitate parum instructus est, verũ etiam iudicij, prudentięque indigus; ac verbo vt dicam, *insipiens est*, quod medicinam repudiat, & medico medicari & iuuare enixe cupienti indignetur ac succenseat. *Prov.12.1.*

Capvt III.

Quæ sequi incommoda & damna nata sint ex eo, quod correptio in bonam partem non accipiatur.

Hæc quidem superbia & hominum dementia eatenus pertingit & excreuit, vix vt sit hodie, qui alium defectuum notare aut monere ausus sit, nemo enim amici sui gratia vult excidere, nemo iurgium aut alienationem suo, vt dicitur, ære mercari. Iuste autem ac pro merito fit, vt qui huiusmodi est, derelinquatur, nec à quoquam postea curetur: Quid enim æger, curari detrectans, ac medicos repellens meretur? vt non curetur, deseratur, mori sinatur. Idem porro promeretur, qui corrigi refugit, & cõmonitionem correptionemq; in deteriorem partem interpretatur. Vnde Sapiens: *Qui incropationes odit, morietur, & qui abiicit disciplinam, despicit animam suam.* *Prov.15. 10.& 32.* Promeretur inquam, vt à nemine deinceps corripiatur, sed in grauia aliqua scelera prolabatur, eaque publica sint, in aliorum omnium oculos incurrant, passim ob illa murmuretur, interim vero nemo sit qui ea ipsi aperiat vel manifestet. Ita plerumque id genus hominibus contingere solet: quod sane vnum de maximis grauissimisque, quæ in eis infligi queant, flagellis est & castigationibus.

Curauimus, inquit Propheta, *Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* *Ierem.15.9* Cum vinea amplius non pastinatur, nec putatur prorsus emori sinitur, & de feracitate eius desperatur: pari modo perdita ac desperatæ salutis vulgo habetur homo tum, cum nemo eum propterea, quod bona consilia monitionesq; in bonam partem non accipit, curare sustinet.

Medicamenta & curaionem admittere non vult, ergo eum deseramus.

Quare grauiter R.P.N. Franciscus de Borgia, de incommodis & dispendiis, è correctione animo iniquo accepta sequi solitis, loquens, sic scribit: *Ita fiet, vt in duorum grauium inconuenientium alterutrum simus prolapsuri. Vel enim, eo quod desit correptio, defectus constabilientur, firmabuntur, solidabunturque in iis qui eos habebunt, quod non sit, qui infirmo tam moroso impatientique adhibere medicinam velit. Vel si forte monetur reprehenditurq; qui vere reprehendi opus habet, adeo se gratum non exhibet, vt inde amaricetur, turbetur, atque auersionem animi à bene monente cõcipiat. Vnde fiet, vt vniuersa domus breui quadam sit fellis & amaritudinis colluuies futura, inde ortum sumentis, quod imperfectiores seipsos nõ agnoscant, vt qui monitionem correctionemque alienam non prout oportet excipiant, sed velut iniuriam interpretantur id, quod in summi beneficii coro reponendum erat: & inde offendi iniuriaque se putant affici, quod gratitudinis esse debebat occasio, antipharmacum conuertentes in venenum.* *Epistol. ad Societatē.* Quocirca non parum timere quisque deberet, atque ita secum ratiocinari: Quid scio, an non idcirco non monear, quod desperatæ sim salutis? ideo errorum ac defectuum nõ coarguat, quod correctionem reprehensionemque alias datam secus atque oportuit excepi? Vult autem eo in loco P. Borgia, vt illam principiorum (quando videlicet correctio & defectus reprehensio nullam animorum amaritudinem, at visceralem potius amorem & insignem gratitudinem causabat) illam inquam simplicitatem, caritatem ac candorem non modo integram conseruemns, sed & ad posteros committamus.

Inde est quod grauis quidam Doctor eos qui corrigi detrectant, dæmoni assimilet, propterea quod hac ratione se ipsi incorrigibiles reddant. *Qui non vult corripi, non vult*, inquit, *corrigi.* Nam ex eo quod quis corrigibilis sit, vel incorrigibilis, apparet, peccatorne homo sit an cacodæmon. Homo enim, quantumlibet enormis peccator, quamdiu in hac vita mortali agit, correctionis capax est, at diabolus incapax. Et ad hoc propositum, adfert illud sapientis, *Qui odit correptionē, vestigium est peccatoris*, id est diaboli: hic enim antonomastice peccator nuncupatur. Adeo vt sicuti vestigium & nota pedis, simile pedi est, ita qui correctionem abominatur, dæmonio non sit absimilis, quia se reddit incorrigibilem: quod enim ad vitam emendandam medium est conuenientissimum & efficacissimum, huic is ianuam occludit.

Eccles. 21. 7

De quo hominum genere rem S. Basilius scribit consideratione dignissimam: *Qui huiusmodi*, inquit, *est*, id est, qui non vult corrigi, correptionēq; in malā partē sumit, *huius conuersatio inter reliquos fratres perniciosa est: siquidem exemplo suo à suscepto certamine ceteros abducit*: id est, ab illo & alij discunt bene monentibus obstrepere, & correctionem auersari, itaq; eos ipsos auocat ab eo, cuius gratia Religionem iniere, vitæ scilicet, emendatione & reformatione. Quocirca hosce à reliquorum fratrum commercio conuictuque ꝓscribi & excludi suadet, ne ad illos pestilens hæc contagio proserpat.

Basil. in regul. Breuior. n. 159.

In animaduers. aduersus Canonicos delinquentes §. 2

Capvt IV.

Quanti referat, correctioni monitionique auscultare.

Salutare bonumq; adeo hac in re consilium suggerit Galenus, vt aliud hac in materia requiri non posse videatur: satis ei quippe nō fuit, quosdam corporibus medicandis curandisq; aphorismos scribere, sed præterea alium de animi morbis cognoscendis & curandis commentariū edidit. In quo hæc inter alia habet: Quisquis suos emendare defectus, & in virtute progressionem facere volet, is probū prudentemq; ante omnia conquirat virum, à quo, si quos obseruet, eorum moneatur. Postquam ad hoc munus idoneū aliquem repererit, eum priuatim & clam aliis, quam potest instantissime roget, vt hoc erga se munus obeat, & quoscumq; in se notabit defectus libere significet & coarguat. Simul etiam asserat & spondeat, id sibi futurum quam gratissimum se vt verum amicum eum habiturum, & maiori hoc pacto ab eo, beneficio afficiendum, quam si ab infirmitate aliqua corporali ipsum liberaret: eo quod anima corpore sit potior & antiquior. Si vero, inquit, altero hoc quidem se facturum spondente, aliquot videas elabi dies, quibus nullius defectus monearis, serio cum illo expostula, & longe quam ante contentius roga, id ne facere negligat, sed mox vt aliquem in te defectum videbit, ob eum te coarguat. Illi porro respondenti, se quidem promissi immemorem non fuisse, sed nihil interea occurrisse, cuius te commonitum oporteret, minime credas; sed commonitionis omissæ causam putato fuisse, non, quod nihil correptione dignum admissum sit; sed vnam è tribus sequentibus. Primo, monituri negligentiam & incuriam, quod videlicet ad defectus tuos non reflexerit; & compromissi postea non sit recordatus: paucos quippe reperire est, qui hac in se prouinciam suscipere velint, itaque studiose profectui tuo inuigilare. Vel secundo, si quos in te defectus notauit & aduertit (forte enim notauit aliquos) credas, eum vel è verecundia, vel nescio quo impedimento, vel denique quod amicitiam dissoluere, tuoq; amore & gratia excidere noluit, indicare neglexisse, nouit quippe vt plurimum hunc prolatæ veritatis, hodie fructum esse. Vel tertio, quod subinde te vidit correctionem admonitionemq; alienā, nō prout oportebat excepisse: itaque à se ipse impetrare non potest, vt credat, vere te, esto id verbis proloquaris, & asseras, ab aliis corripi & commonefieri velle;

Lib. de cognoscend. curandisq; animi morbis.

velle: plus nãq; credit rebꝰ ipsis q̃ verbis.

Addit præterea & caue, inquit, ne, esto te nonnunq̃ alter falso insimulet, aut crimen in immensum augeat, ipsum vel inficieris, vel excuses. Primo namq; fieri potest, vt melius id aduerterit admonitor quã tu: melius quippe quis defectus in alio, quã in seipso aduertit. Secundo, licet falso reprehensus sis, id tibi nihilominus occasioni erit, vt posthac incedas circumspectius, ad agenda quælibet magis reflectas, atq; imposterum diligentia maiore caueas, ne quã cuipiam tale quid de te suspicandi, ne dum dicendi occasionem præbeas.

Hæc quidem Galenus, & sane omnia isthac necessario obseruanda sunt, quo aliquem inueniamus, qui libenter & non inuite hoc erga nos officium obeat. Maxima quippe in hoc est, sita difficultas, quam per se quisque satis perspicere poterit non solũ ex eo quod in se sentit, tum cum ab alio quolibet monetur & reprehenditur, verum ẽt ex eo ꝙ sentit, dum ipse alios, si quando illi iniunctũ est, huius vel illius defectus castigat & coarguit. Imo ipsi quoq; superiori id quã molestissimum est & durissimum, cũ presertim parum virtutis & humilitatis subditi præferunt. Quod enim, ex vna parte, ratione officii, se ad eos coarguendos & dirigendos teneri norit: ex altera vero metuat, vt commonitionem correptionemq; parum æquis auribus & animis nõ excipiant, perinde se habet, ac nõ minus angitur & sudat, quam si aliquod eis inurendum esset cauteriũ: interdum quoq; anceps restitit & perplexus, dicturusne rem sit, nec ne? Modo quidem, non inutile futurum putat eos commonere, commodam ad hoc oportunitatẽ & occasionẽ captans, molli aliquo futurę monitioni specimine viam præparans, verbisq; aliquibus mellitis eam dulcorans, ne adeo amaricet. Modo autem in subdito videt & experitur repugnantiam, & satius existimet, illam omittere, licet alioquin suo is in errore ac vitio perseueret. Timet n. ne cõmonitio adeo illi non sit profutura, vt noxam sit potius allatura, ac nullum ex illa alius secuturus fructus, quã quod inferiori à superiore sit futurus auersior, & alienior, suoq; posthac officio & ministeriis forsitan nõ tam libenter feruenterq; functurus. Vt Sol ceram emollit & liquefacit, lutũ vero & argillam exsiccat & indurat: sicut frutices & arbores terræ profundius irradicatas, aqua, ventus, aer, simul & sol vt lętius crescant, & feraciores sint, adiuuat; eas vero quæ nõnisi summo inhærent solo, nec filias introrsum transmisere, hæ ipsæ causæ & influentiæ arefaciunt; & vt citius computrescãt in causa sunt: ita humilẽ, in propria sui cognitione ꝓfundius radicatũ, correctio emollit, lenit, & vt ampliorẽ progressionẽ faciat, inducit; q vero humilis non est, nec profundas in propriæ cognitionis terra radices egit, inde putrefiendi, arescendi, & indurandi sui occasionẽ accipiet. Ob hanc igitur causam superiores subditos nonnullos defectuũ suorum commonere verentur, propterea ꝙ medicina ipsis obsit potius quã prosit, & theriacum ipsis in venenũ transeat, ex animi quadam auersione, odio, & rancore fieri existimantibus, ꝙ è mero amore, & summo erga salutẽ bonumq; ipsorũ affectu fieri in confesso est. Vnde digni sunt, qui deserantur.

Si ergo nolis, vt incorrigibilis & incurabilis ab iis derelinqui, commonitionem & redargutionem in bonam partem accipias necesse est. *Quam bonum*, inquit *Eccle.20.3*
Ecclesiasticus, *correptũ* culpaq; reprehensum, eam agnoscere, *manifestare pœnitentiam*, emendandiq; sui propositũ concipere! Vt demus vero, eum, ob quẽ reprehenderis, defectũ te nõ admisisse, esto nõ eo is contigerit modo, nec tam grauis sit, ac dictũ est, exterius tamẽ id non est vultu verbisq; ostendendũ, sed alteri debes ob affectum, propensam erga te voluntatem, beneficiumque quo te cumulat, gratias agere, atq; emendationem aliq̃ spondere, dicẽs, diligentius te posthac quo ad hoc aduigilaturũ, magnoq; te abs illo beneficio affectũ videri: hoc nãq; pacto eũ at te postea rursus cõmonẽdũ, excitabis.

At, si

At, si quamprimum ad te purgandum & excusandum descendas, fiet, vt postea eius te rei nō commonefaciat, cuius fortasse quam maxime necesse habeas moneri. Sunt siquidem nonnulli, qui mox vt errati alicuius coarguuntur, ipsum excusant, si autem prorsus id excusari nequeat, aliquot saltē ad imminuendum, eleuandum, & tam graue id non fuisse, ostendendum, argumenta conquirunt. Quod nihil est aliud, quam ianuam occludere & impedire, ne te quis alias postea redarguat. Videns quippe monitor, te, aliquoties ante iam monitum, numquam culpā agnoscere voluisse, sed semper ad tui purgationem, effugiumque, ratiunculas aliquas adferre & ad inueniendum, statuit, exinde te non amplius vllius rei commonere. Hoc scilicet excusationibus tuis, quas tute specioso satisfactionū nomine vocas, lucrifacis, quod te iam nemo monere & notare velit. Vt taceam, hanc agendi rationem malo cæteris exemplo esse, & quotquot eam vident, offendere.

Etiam in ipsis Superioribus & præsidibus vitiosum imprimis, & summe illaudabile habetur, quod commonitiones & consilia aliorum non pro eo atque oportet excipiant, & bene monentibus nō auscultēt: ita quidem, vt vulgo aptior ad regendum & gubernandum censeatur is, qui pauciora quidem nouit, sed seipsum cognoscit, & commonitionem ac consilia prudentium æquissimo animo excipit, quam alius quispiam, qui plura scit, qui multum de se præsumit, solum se scire omnia credens, qui deniq; nullius reprehensionem fert, & data ab alio consilia non libenter amplexatur.

Pluribus quidem in locis id testatur Scriptura, maxime tamen in libris Sapientialibus, in quibus legere est: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Ego sapientia habito in consilio. Salus autem vbi multa consilia.* Vnde etiam inter alias sapientiæ de cœlo descendentis

Prou. 16. 12

Prou. 12. 15

Prou. 8. 12.

Prou. 11. 24

conditiones à S. Iacobo recēsetur, quod non sit peruicax, non contentiosa, sed pacifica, & facile persuasibilis: *Quæ autē de sursum est sapientia, primū quidē pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.* Si ergo, etiam in superioribus, tantopere laudetur, quod priuatorum monita consiliaque placide excipiant, & sequantur, & contra vituperetur ac reprehendatur, cū secus fit; quanto æquiori iure illi sugillabuntur subditi, qui ne superiorum quidem suorum monitionem correctionemque æquo animo accipere sustinent?

Iacob. 3. 17.

Vt autem pluris hoc faciamus, magisque huc animemur, non inutile fuerit, ingens quoddam, quod in eo latet bonū, intelligere nos & considerare, nimirum, quando quis monentem & corripientē libenter audit, superior id sciens & perpendens, de defectibus visis non adeo laborat: esto enim hi appareant, simul tamen apparet, quod iis adhiberi queat remedium & medicina, sed, vbi nullus apparet admittendę medicinæ locus, mire eum visa errata cruciant & lancinant: videt enim vitium, sed, qua via ipsum amari, quo tolli medio & arte queat, non videt. Hæ scilicet summæ superiorum angustię sunt & cruces. Vnde salutare inprimis, & consultum est, hominem in particulari proposito declarare, quam sibi gratum & volupte sit ab eo moneri, quam bonam ad hoc in se dispositionem & desiderium sentiat: simul etiam ex animo enixeque eum rogare, vt omnes quos in se notabit defectus, patris ad instar, magna cum sinceritate candideque libereque coarguat & reprehendat, nec respiciat aut curet, quod forte interdum, vti homo, correptionem non pro eo atque oportebat, exceperit, beneque monentibus succensuerit. Satis quoque ei esse non debet, semel duntaxat id eum rogare, vel pro forma duntaxat & in speciem dicere, sed sæpius, & ex animo, nō ficte. Et sane omnia hæc tibi facienda sunt, quo superior tibi credat, & monitoris hoc munus, pro difficultate quæ in eo con-

eo continetur, bene & diligenter erga te obeat. Quocirca, etsi in aliis rebus, quo Superior imperfectos & parum mortificatos nos haberi, gaudere debeamus; (quæ sane sunt plurimæ) in hac tamẽ minime ferendum est, vt adeo te Superior superbum, præfractum, & immortificatũ censeat, vt vereatur, ne qua te corripiet, monitionem & reprehensionem, in malã sis partem accepturus. Quin imo, enitere vt quam optime is, quoad hanc partem de te præsumat, quatenus tam eximio te beneficio, medioq; ad tuũ in spiritu profectum tantopere facienti non priuet.

In regul. breuior. nu. 158. & in regul. fusiorib. nu. 52. Vnde præclare S. Basilius: Quemadmodũ, inquit, æger, de salute recuperãda sollicitus, applicita à medico medicamenta æquissimo animo tolerat, esto etiam acerba sit & aspera curationis ratio, nec in medicum insurgit indignans, imò ne animumquidem inducit, vt cogitet, sinistra hæc intentione ab eo applicari: pari modo vir humilis, quiq; reuera proficere in spiritu cupit, monita consiliaque corripientium æquissima mente complectitur, ne cogitans quidem ab animo maleuolo, & à passione aliqua effreni transuersim abrepto, ea proficisci. Si, salutis corporalis recuperandæ ergo, catapotia, quantumlibet amaricantia, nõ repudiamus, atq; adeo gratanter permittimus, vt medicus aut chirurgus, vbicumq; & quomodocumq; collubitũ fuerit, secet & adurat, quin etiam gratias ei propterea agimus, & in summi beneficij loco incisionem hanc reponimus; quanto idem nos, ait Basilius, erit æquius, ob spiritualem animæ nostræ valetudinem, & ad vniuersale Religionis totius bonũ, præstare, etsi correctionis Medicina plus æquo sit asperior & amarulentior?

CAPVT V.

In quo supra dicta, aliquibus confirmantur exemplis.

Hom. 1. super 1. Epist. ad Corinth. S. Iohannes Chrysostomuus exhortans nos, vt bene monẽtes benignis auribus audiamus, eisq; nõ obstrepamus, adfert in rei confirmationẽ exemplũ illud, quod de Mose cõmemorat Exodus. Hic namque cum tanta esset sapientia & auctoritate vir, vt eũ in populi sui ductorẽ rectoremq; Deus elegerit, multaq; tam in Ægypto, quã in deserto per eum prodigia patrarit, nihilominus, quod ei Iethro socer, vir priuatus, quoad populi regimen directionemq; consilium ac monitum dabat, in bonam partem accepit, ne videlicet vniuersum hoc populi regendi onus in sui solius humeros tolleret, sed eius partem aliquam in alios, qui sui, secundaria potestate accepta, adiutores essent, deriuaret: *Nõ bonam*, inquit, *rem facis, stulto labore consumeris.* *Exod. 1. 8. 17.* Notat autem eo loco Chrysostomus, quamprimum eum non intulisse. Videte, quæso, quis hic nobis consulere velit, (vti respõdere solent hodie nõnulli, qui quantumlibet salutare & bonum consilium sit, ipsum tamen à tali vel tali suggeri inique ferunt) sed magna cum humilitate consilium accipiens, ilico executioni id mandauit.

Epist. 15 ad quintũ, lib. 2. contra Donatist. c. 1. Eadem occasione ponderãt & expendunt SS. Cyprianus & Augustinus exemplum principis Apostolorum Petri, dum est à S. Paulo, occasione circumcisionis, cui eos qui è Gentibus ad Christi fidẽ recens conuertebantur, subiicere tunc ille volebat, reprehensus. Ecce, vt Apostolus Petrus, inquiunt, nihil sublime de se præsumpsit, nihil altum sapuit, non se vltra quam par erat extulit, dicẽs, Ego sum Ecclesiæ totius princeps, & supremus hierarchia, plus mihi auctoritatis est quã aliis attribuendum, meæ fideles omnes sentẽtiæ accedere, & voci obedire oportet: Vide vt Paulum idcirco non sit aspernatus, vel minoris duxerit, quod Ecclesiã nuper fuisset persecutus, nec etiam ab eo sit corrigi moneriq; dedignatus, sed bene consulenti haud inuitus obsecutus, & rationi ac veritati quamprimum, succumbentis instar, manus dederit.

Dignissimum item memoria est exemplum, quod hac in re nobis dedit Imperator

rator Theodosius, S. Ambrosii correptionem monitionemque æquo animo summaque humilitate excipiens: tam, cum eum sacris, ob iniquam & atrocē in innoxios Thessalonicenses exterminii latam sententiam, interdixit, & Ecclesia exclusit, quam cum ei, oblato ad altare donario suo, intra sacrarium & aditum manere volenti, nuntio misso, significauit, vt inde ad commune & laicorū templum transiret; quod locus prior solis esset sacerdotibus ac presbyteris deputatus, & purpura Imperatores faceret, non sacerdotes: vt pluribus in Ecclesiastica historia refertur, quo loco, non sine ratione, disquirendum proponitur, magisne laudanda sit sancti præsulis constantia & fortitudo, quam admirabilis religiosissimi principis obedientia & humilitas.

Histor. 1. tripart. p. 2. l. 7. c. 6. & historia Ecclesiast.

Quin etiam hic ipse Ambrosius, vti in eius vita refertur, si quando ab aliis defectuum commonefiebat, magnas eis gratias agebat, singularique se beneficio affici credebat.

In vita eius Paulinus.

Monachus quidam Clarauallensis, vt in Cisterciensis instituti Annalibus refertur, quoties corripiebatur vel reprehendebatur, ad minimum Orationē Dominicam, pro sui monitore, in gratiarū actionem recitabat. Atque exinde sanctam hanc consuetudinem illo in monasterio inoleuisse, & legis cuiusdam inuiolabilis vim obtinuisse eo in libro scribitur. Abbas Arsenius, vti apud Simeonem Metaphrasten legitur, qui inter omnes suæ ætatis monachos sanctimoniæ fama & nomine notissimus erat, & in sęculo vir primarius & illustris fuerat, vtpote Theodosij senioris Imperatoris filiorum, Arcadii videlicet & Honorii (qui patri deinde in Imperio successere) præceptor aliquot nihilominus defectus, etsi leues, habebat, qui sanctitati illius nequidq̄ derogabant. Nam, quoniam in sæculo vir inclytus fuerat, & delicatiori vitæ generi assuetus, aliquæ ei iam tum conuerso libertatis illius Palatinæ & Aulicæ, in qua hactenus egerat, reliquiæ adhæsere: hinc fiebat, vt dum cū aliis fratribus sedebat, sæpe pedem vnū alteri superimponeret. Qui pedum situs, vtpote parum decorus & modestiæ non conueniens sanctis illis Patribus, non parū displicebat. Omnes quidem eum rei huius commonitum volebāt: at nemo ei audebat proponere. Graue namq; & perdifficile ipsis videbatur, rei tam paruę ac friuolę Patrē tam grauem ac venerabilē notare. Quocirca quid opus facto sit, inter se deliberant: ac tum Abbas (pastor, qui magna vir erat prudentia & sanctitate, commodū quoddam, cui mox Patres reliqui assensi sunt, cōsilium suggessit. Proxima, inquit, vice cum omnes conueniemus, eodem ego situ pedes meos collocabo, vobis vero eius me rei admonentibus quā primum dimittā: Vnde ille se in hoc reprehendi arbitratus, etiā mox dimittet suos. Placuit omnibus bonū pii senis cōsilium: quare, cum proxime ad spiritualē suam collationē Patres congregati essēt, eo Abbas pastor pedes suos posuit modo, quo suos posuerat Arsenius. Patres ergo, hoc viso, eum ob indecorum hunc situm & malum omnibus datū exemplum acriter coarguunt, ipse vero, ilico se ad modestiam composuit. Arsenius, audito visoque, quid in vicino fieret, velut aliud agens, suū sensim pedē dimisit. Tam benigne autē teste historia, correptionem hanc accepit, vt numquā exinde amplius eo pedes modo composuerit. Sic quisq; reprehensionem & correptionē, quæ in genere & aliis fit, velut sibi vni factā existimet. Simul etiam hinc liquebit ea, quā in alio corrigendo monendoq; sitam esse diximus, difficultas.

CAPVT VI.

De Regula & Constitutione, quam in Societate habemus, de fratrum nostrorum defectibus immediate ipsi Superiori aperiendis.

Cap. 4. Exam. §. 8. Regul. 9. summarii.

Nona summarii Constitutionū Regula hac de re sic loquitur: *Ad maiorem in*

rem in spiritu profectum, & præcipue ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint, superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.

In eorum quæ dicturi sumus, fundamentũ norint oportet omnes, quod, esto omnes ad vnam Constitutiones nostræ à summis sint Pontificibus approbatæ & confirmatæ, & illarum initio præfixa sit clausula motus proprii Gregorii XIII. quo eędem approbantur; hæc tamen de fraterna correctione Regula & constitutio, speciatim est ab eodem Pontifice, & in iudicio contradictorio (quod est peculiaris quædã qualitas) approbata. Cum enim sacerdos quidã, qui olim de Societate fuerat, sed, ob inquietum & turbulentum ingenium, ab eadẽ dimissus erat, quamdã Summę Cardinalis Toleti partẽ Romę pręlo subiecisset, & suppositititium ei de suo caput addidisset, in quo quandã esse aiebat Religionem, erga quam ipse afficeretur (quod viros ea doctos aleret) quæ Regulam haberet, directe Euangelicæ doctrinæ repugnantẽ, iubentem videlicet, vt visi notatique in aliquo defectus, non monito ante eo, immediate ad Superiorem deferrentur: è quo plurima sequi posse aiebat incommoda: R. P. Euerardus Mercurianus, qui tum Generalẽ Societatis præpositũ agebat, summum Pontificẽ adiit, & super hac iniuria expostulauit. Hic ergo tam librum hunc, quam Regulã nostram videre voluit, &, quæ Societatis, quoad hoc esset praxis, accurate inquisiuit. Quo cognito palam declarauit, Regulam hanc non modo Euangelio non aduersari, verum etiam cuiuis aperte patere nulli penitus calumnię eam obnoxiam esse, quin imo Euangelicam & Apostolicam quãdam ea perfectionem contineri simul edixit, vt spurium hoc libri assumentum, & partus suppositititius proscriberetur: vti eum re ipsa Cardinalis Sirletus, cuius eæ ex officio partes erant, proscripsit ac damnauit.

Matt. 8. 15.

Refert id P. Ægidius Gonsalinus in suis serm. spirit. Vtpote testis oculatus: erat enim eo tempore Romæ Assistens.

Satis quidem per hoc testimoniũ hęce Regula iustificata & propugnata videatur; verumtamen, ad maiorem satisfactionem & consolationẽ nostram, duo potissimum hoc loco, disputationibus & argumentis scholasticis, ad scholas amãdatis, tractabimus: Primo, Regulę huius momentum & necessitatem declarabimus: secundo, rationes aliquot producemus, è quibus clareat, quam ea sit rationi consentanea. Quod ad primum attinet, sanè Regulæ huius momentum, & necessitas satis ex alia quadam magni etiam momenti Regula, qua conscientiæ status Superiori patefieri iubetur, de quo tractatu superiori locuti sumus, perspicietur: omnes quippe rationes & cõuenientię, quas B. P. N. in Constitutionibus adducit, ad ostendendum, suam vnumquemque Superiori conscientiam retegere debere, etiam in hac Regula militant, eiusque momentum & necessitatem ad oculum ostendunt. Eas quidem illo loco ad longum deduximus; sed ad duo omnes reduci capita possunt. Primum est, vt suum Superior subditũ melius gubernare, dirigere ac curare queat. Alterum, vt quæ ad vniuersale Societatis corpus conueniunt ac necessaria sunt, hoc pacto melius prouideat & statuat. Ergo propter has ipsas rationes, permagni interesse B. P. N. existimauit, vt de defectibus & erratis tuis, per quemcumque, dummodo extra confessionem is ea norit, Superior certior reddatur. Quendam autem hac in re habere voluit veluti fideiussorem ac vicarium, si forte tu, ea quæ necessario facere teneris, quęque partim ad tui vnius priuatum, partim ad vniuersale Societatis totius bonum tantopere faciunt, ex incuria facere negligas. Vnde quod late ex instituti tui præscripto facere debebas & teneris, id præstat hic frater tuus. Cuncta vero ad maius cum tuum, tum totius Religionis bonum spectant, vtque nostris in ministeriis maiori cum securitate procedamus, Superiores vero neminem naufragii periculo exponant.

Tract. 7. c. 1.

Quod ad secundum spectat, multæ, ad Regulã hanc confirmandam, & æquissimam censendã, adferri rationes possunt. Prima sit ipse rei huius, etiam in aliis Religionibus perantiquus vsus. In Franciscano siquidẽ Ordine idem prorsus quoadhoc seruatur, quod in Societate Iesu, vt nimirum superiori immediate errata aperiantur, non præmonito delinquente; vti videre est in libro, cui nomen est *serena conscientia*, quæstione CIV. Adhæc in statutis quibusdam generalibus, quæ Barcinonensia vocantur (eo quod in Capitulo quodam Generali Barcinone anno partæ salutis M.CCCCLI. indicto decreta sint) dicitur, vt, quando fratres aliqui foras prodeunt, domũ iam reuersi, superiorem certiorem reddant, si quid maioris momenti, & grauius in via sociis suis acciderit: qui vero id facere negligit, in pane & aqua ieiunare, nec non aliis pœnis, ex arbitrio præpositi iniungendis, castigari iubetur. Idipsum & iam olim in antiquioribus Religionis statutis, in Capitulo quinto conceptis, decernitur. Denique in Capitulo quodam generali, cum S. Bonauentura generalis Ordinis totius esset Magister id vniuerso totius Capituli consensu & suffragio confirmatum & approbatum est; ac statutum, vt omnis in contrarium doctrina, velut pestilens, & totius disciplinæ Religiosę destructrix, à Religione nimis quam procul proscriberetur; qui autem docere eam præsumserit, libris exinde peteretur incumbere, suffragio adhæc tũ actiuo, tum passiuo priuaretur, deniq; etiam in custodiam compingeretur.

Vt autem appareat, quam hæc doctrina sit antiqua, quamque semper ab iis, qui perfectioni incumberent, accepta fuerit, & approbata, ecce tibi priscum quoddam Stephani & Pauli Abbatum antiquorum decretum, quod ab Abbate Smaragdo citatur: in quo inter alia sic legitur: *Si quis alterum in quacumque parte viderit illicitum quid operari vel sermonem facientem, & distulerit Priori publicare, cognoscat se esse nutritorem & fautorem huius peccati, & per omnia æqualem peccanti.* Suspectus quippe de criminis participio est is, qui, cum ipsum auferre & impedire valet, minime impedit. Norit autem, inquit, *quia & animæ suæ, & illius quem tegit, est durissimus inimicus*: etenim non amice, sed hostiliter erga eum se gerit. Adfert mox & aliud decretum, cuius hic est tenor: *Si quis autem alium, districtionem monasterii non ferentem, fugam meditari cognouerit, & non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tamdiu à conuentu fratrum sequestrandus est, quamdiu ille valeat reuocari.* Adeo vt id, non iam nouũ quid sit & nostræ Religioni proprium ac particulare, sed perantiquum, & aliis etiam Religionibus commune. Hic autem Religionum vsus in ipsiusmet, de correctione fraterna præcepti fine, ipsa inquam fratris mei correctione & emendatione, fundatur: Qui, vt plurimum superioris ipsius, non autem priuati alicuius opera & adminiculo consequendus speratur.

in Comment. super regul.

S. Benedicti c. 23.

Ibid. c. 24.

Secunda, per quam Regula hæc confirmatur, & non tantum rigorem, ac difficultatem, ac nonnulli sibi finxere, continere ostenditur ratio, est, quod aliud nihil illa nobis præcipiatur, nec etiam alius illius in Societate vsus sit, quam vt defectus fratrum Superiori aperiantur tamquam Patri spirituali, quatenus ipse, pro paterna sua caritate & amore, eos tollat, & qui lapsus est, vel lapsui iam proximus in pedes vegetus exurgat, & meliora respiciat. Vti id etiam Regula vigesima communium declaratur, quæ sic habet: *Qui grauem tentationem alicuius nouerit, superiorem admoneat, vt ei ipse pro paterna in suos cura ac prouidentia conueniendi remedio possit occurrere.*

Reg. 20. communium.

Adeo vt culpa aliena superiori nõ manifestetur tamquam iudici; neq; etiã ita, vt propter eam in delinquentem animaduertat; sed tanquam patri, qui prodesse reo queat, non obesse, vt, quod oportunũ

P. Francis. Suarez disput. 34. de pœnit. sect. 4. num. 2 tom. 4.

& conueniens fuerit remedium & adhibeat, & quę, nisi manifestaretur, & rememedium adhiberetur, sequi possent incommoda anteuertat.

Tertia. Egregia quadam prægnantique id ratione confirmare solebat, R. P. Hieronymus Natalis, vir doctrina, æque ac virtute eximius. Moris, inquit, esse videmus in Ecclesia Dei, tàm in regimine Ecclesiastico, quàm politico ac ciuili, vt, antequam ad dignitatem aliquam quis assumatur, rerum etiam abditissimarum, pro diuersa muniorum accipiendorum qualitate, inquisitio instituatur, hoc porrò non tam eò fit, vt delinquens pœnis, quibusdam subjaceat, (& si alioquin quid castigatione dignum occurrat ;) quàm quòd antè nosse velim, cui Ecclesiam, domum, familiam, rem domesticam, vel animam denique meam concredam. Iam in societate Iesu nemo est, qui non ad missiones cooptari possit, (sunt eę namq; instituto nostro propriæ :) ad has autem virtus quædam solida, non elanguida, nec elumbis, quę bonum Religionis nomen disperdat, & penitus destruat, requiritur. Potest ergo Superior, tum ꝑ se inquirere, tum per alios de rebus hisce secretis & abditis certior reddi, & ad hoc Regulam hanc vsurpare, quatenus tanti momenti negotio, quale hoc est, & cujus tantum cum tua, tùm Religionis totius interest, certò procedat, & non decipiatur.

Quartò, vt, quàm sit in ratione hæc Regula fundata, in vna bilancis lance damnum, quod tibi è defectu tuo, Superiori tanquam patri declarato sequitur; in altera verò damna & incommoda ex ipsius celatione enascentia ponamus : dein videamus vtra pars alteri pręponderet. Damnum profectò tuum, non est, nisi modicum, quædam infamia, aut exiguum honoris, quod subire te putas, detrimentum : sed quod ex harum rerum occultatione damnum sequi solet & potest, est primò, quòd malum tuum maneat incuratum : quod, cum non tollitur nec præsecatur, semper increscit, vlterius serpit, & demum alios inficit. Sequitur deinde hinc magna cum tua, tum Religiosi tui instituti infamia, probrum ac dedecus : *Quia nihil occultum, quod non tandem reueletur*, serius aut citius hac via, vel illa. Luc. 12. 2.
Et quod ante facillimo negotio, aqua lustrali, curari potuisset, si modò id initio Superiori (vti oportebat) dixisses ; postea non nisi cauterio & ferro adhibito tolli poterit. Longè sanè id grauius est, quàm modicus quidam pudor, & exigua honoris jactura, quam incurrere inde te arbitraris, quod Superior defectus alicujus tui reddatur conscius. Quocirca exertè tibi affirmo, dum quis erratum fratris præposito manifestat, adeò non eum in caritatem fraternam peccare, vt ipsum etiam instituti obligatione patefacere teneatur, & nisi patefaciat, vix à noxa eum immunem pronunciare audeam ; & tam graui quidem, fieri vt possit, vt interdum ad mortalem ascendat ; non quidem ex virtute Regulę (Regulę siquidem nostrę, *tract. 6. c. 3.*
vti ante dictum est, ad peccatum non obligant) sed ꝑter grauitatem materiæ, incommoda & damna, quæ hinc sequi & possunt & solent, (quorum causa est, qui cum præuenire & impedire illa, in tempore præmonendo potuit, minime impediuit, etsi alioquin ad id teneretur.

Vnde disertè & grauiter S. Basilius huc nos exhortans ait: *Peccatum fratris tui occultare*, & Superiori retegere nolle, *nihil aliud est, quam ægrum sua sponte ad mortem ruentem impellere, & procliuiorem reddere.* *In Regul. fusior. n. 46.*
Nam peccatum opertum & dissimulatum adinstar est vlceris cujusdam interioris, semper introrsum corruentis, donec ad vsque præcordia pertingat, & hominem enecet. Vnde, quemadmodum rem nobis gratissimam præstaret is, qui abscessum hunc nobis aperiret, & inclusam illam purulentiam, etsi cum aliquo nostro dolore, foras deriuaret ;ècontra, qui per speciem compassionis apostema incidere, & vitiosum illum humorem & putiscentem saniem ejicere nollet, hostiliter nobiscum ageret : pari modo, inquit Basilius, nō amici, sed inimici opus agit,

qui fratris sui erratum occultat, nec Superiori, & medico & patri, vt & medicinam faciat, & remedium applicet, ipsum patefacere vult: tantundem namque facit, ac si eum ad mortem sua sponte ruentem impelleret, eamq; quodammodo accelararet.

Reg. 3. cap. 13. tom. 1. in fine. Grauiter & exertè, de re hac scribit Augustinus: *Nec nos indicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cum timet secari, nonne crudeliter à te silenter, & misericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?*

Dissimulatio proinde hæc non est lex quędam charitatis: ideò quippe nonnulli in alienis culpis indicandis dissimulant, ne in legem virorum proborum & cordatorum (vt quidem id ipsi nominant) peccent. Sunt enim, qui sibi honori ducunt, & bene facere se credunt, quòd alienas culpas Superiori non indicent, magnamque in patefaciendis illis difficultatem sentiunt, quòd per hoc honori se suo existimationiq; detrimentum quoddam inferre putant; palamque dicunt, nolle se dissensionum zizania spargere, vlli damnum inferre, aut quemquam apud Superiorem in simulando traducere. Non est ille profecto spiritus Religiosus, ne dum societatis Iesu, sed leges quædam mundanæ, malæ consuetudines, nec non amicitiæ & confidentiæ sæculares, Religionique, quàm maximè detrimentosæ: non est hoc, schismata & diuisiones causare, non maleficio fratrem, sed beneficio singulari afficere, contrarium verò, tàm illi, quàm Religioni noxium esse. Quis porro ita erit à ratione alienus, & excors, vt religioni esse velit infidus, quò alteri cuipiam gratificetur? vtri magis obnoxius es, huic ne priuato an Religioni? Dissimulatorē esse, & vt talem vulgò haberi, vt ignominiosum & honori suo detrimentosum quis ducere debet; non autem, quod Religioni fidus sit, & serius Regularum suarum obseruator. Sic quoque rem hanc concludit S. Basilius: *Nemo sit ergo, inquit, qui peccato alterius latebras quærat; ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet.* Vbi supra. Nullas mali & infirmitatis fraternæ occultandæ rationes conquiras, sed eam medico, qui ei, antequam incurabilis fiat, & ignem & ferrum adhibere necesse sit, medicinam facere & mederi debet, quantocyus reuela. Et erit hoc veri in fratrem amoris, sinceræque caritatis indicium. Hac namque ratione fratrem tuum lucraberis, cui præsentem aliter faciendo, fortasse perniciem creabis.

Hæ aliæque id genus rationes, quas tum Theologi, tum sancti Patres passim adferunt, satis sufficienterque probant, regulam hanc justissimam esse & sanctissimam, etsi nullam sui quoad hoc, vti in aliis Religionibus fieri assolet, juris cessionem religiosus faciat. In societate tamen, alia quædam præter eas, quæ dictæ sūt, ad hoc nos impellere debet ratio, est autem hæc. Cum primùm, quis in eam admitti & cooptari postulat, ei Regulæ, & ipsum seruandarum Constitutionum summarium (in quo hæc Regula legitur inter alias) euoluenda traduntur, rogaturque, num paratus sit eas seruare; quia imò circa hanc ipsam Regulam singillatim consensus ejus exquiritur, num videlicet in id, quod illa præscribitur, assensum dare velit. Quod ipsum & postea, singulis semestribus, in primo Nouitiatus biennio, antequam ad votorum nuncupationem admittatur, ab eo quæritur. Adhęc ipse Nouitiorum magister, in Regula sua jubetur, Nouitiis enucleatius declarare ea, circa quę aliqua ipsis postea difficultas posset suboriri: inter quæ hoc ipsum, quo de agimus, speciatim nominatimque exprimitur. Regula 15. Magistri Nouitior. Ipse quidem Magister hæc ijs proponit, illi verò se ad hoc paratos spondent, tum ad magis in spiritu proficiendum, tum ad majorem sui humiliationem & submissionem, vt in ipsa Regula significatur: quod est, alia & noua cir- Regula 9. Summar.

ua circumstantia, ad hoc ipsum magis facilitandum, mirificè faciens. Certum autem est hominem, cùm primùm Religionem ingreditur posse ad majorem perfectionem comparandam, suo quoad hoc juri renunciare, ac plenam facultatem dare & permittere, vt omnes sui defectus Superiori immediatè, ita vt necesse se non sit antea præmoneri, manifestentur, vnusquisque enim sui honoris & famæ dominus est & dispensator; hinc, ad majus bonum suum, & spiritualem profectum, potest eum apud Superiorem, & alium quemcunque voluerit prodigere, dummodo particularis aliqua circumstantia (qualem hic non subesse certum est) eum tueri & conseruare, & non prodigere suadeat. Sicuti licitè suum peccatum, quantumlibet graue & occultum Superiori retegere & manifestare potest, ita potest & alteri ad ipsum manifestandum potestatem facere. Hanc porro quicunque Societatem ineunt, faciunt per eum ipsum, quem ab ijs exigi diximus, consensum, quoque paratos se dixere facere, quidquid hac Regula præscribitur. Quod re ipsa non est aliud, quàm juri suo cedere. Perinde ac si ab aliquo, in confessione, vel aliàs sub sigillo secreti, graue quoddam scelus suum mihi aperiente peterem, an velit, vel annuat, vt, quò melius sibi adhibeatur remedium, crimen hoc ejus cum Superiore meo, qui vir esset apprimè doctus æquè ac prudens, cōmunicem; & ille haud abnuere se significaret; certum est, eum juri suo, quod habebat, ne cui crimen ejus aperiretur, hoc dicendo cessisse, me verò eadem opera, jus ad ipsum cum Superiore meo communicandum acquisisse. Huc accedit præterea, ordinaria Societatis quoad regulæ hujus obseruationem praxis, quam biennio toto Tirones, antequam ad vota emittenda admittantur, vident: è qua notitia nimis, quàm satis intelligere possunt, juri se suo hac in parte tacitè & implicitè renuntiasse, etsi nominatim & expressè ei se renuntiare non profiteantur. Sicut & Monachus Carthusianus naturali, quod ad vitæ conseruationem, carnem comedendo, habet, juri per ordinariam quoad hoc Religionis suę praxim, cedere videtur: esto in particulari & nominatim ei se renuntiare non dicat; cum tamen jus vitæ majus sit, & prægnantius q̃ famæ conseruandæ. Ac sicut, qui Ordinibus sacris initiatur, implicitè juri quod ad nuptias ineundas habebat, renuntiat, & solenni castitatis seruandæ voto obstrictus manet, licet in forma & conceptis verbis ejus votum non emittat. Vnde etiam in hunc modum R. P. Franciscus de Borgia, cum Generalem Societatis Præpositum ageret, ad quorundam congregationum prouincialium in Hispania celebratarum postulata respondit, rogantium videlicet, an, qui in Societatem recens cooptabantur suo quo ad hoc juri renuntiarent? Ipse porro Societatis Iesu Præpositus Generalis, plenam ab Apostolica sede, quemadmodum de Bullis & Priuilegiis nostris liquet, Constitutionum nostrarum declarandarum facultatem accepit: Deniq; postquam hæc jam conscripsissemus, ipsum quod diximus, & in VI. Congregatione Generali absolutè constitutum, & vt Nouitiis ipsis ita declararetur, mandatum. Atqui, vt ibidem legere est, ipsa Generalis congregatio priuilegium à summo Pontifice accepit, ad ea, quæ in instituto suo dubia & obscuriora occurrunt, declaranda & euoluenda. Addit autem eo in loco congregatio, verba illa Regulæ (*per quemvis qui extra confessionem eas acceperit*) de ijs intelligi rebus oportere, quas alius, quis notabit & aduertet; non autem de ijs, quas ipsimet cum alio quopiam in secreto, & consilium ab eo, quo dirigantur & adjuuentur petendo communicabunt.

Refert id R. P. Ægidius Gonsaluius serm. spirit. 15. super hanc Reg.

Congregatio VI. Gen. Societ. Decr. 49. can. 10. & 11.

Decret. 35. can. 6.

Omnes ergo, quæ quoad suboriri possent, difficultates, & conquerendi murmurandique occasiones, per hoc penitus subactæ & complanatæ manent. Nam scienti & volenti non fit injuria. Iam inde ab initio, cum primum in Societatem adscribereris, dictum tibi fuit, talem in ea Regulam & consuetudinem obseruari, &

ri, & paratum te dixisti, ad collum tuum/ jugo huic subjiciendum; itaque si postea graue tibi accidat, injuriamque tibi irrogari credas, quòd delicta & errata tua, Superiori declarentur, ipsam Regulam & fratrem tuum, qui eam seruat, ne culpes, nec tàm de illo, quàm de teipso conqueraris, cùm plus virtutis & humilitatis p̄ferre te oporteret modò, quàm in principio, tamen præfers minus, quandoquidem eandem jam dispositionem non sentis, quàm sentiebas tunc. In hoc videlicet totus difficultatis, quàm in hujus Regulæ obseruatione nonnulli sentiunt, cardo versatur. Vnde etiam, quod ad eandem necessarium est, fundamentum B.P. N. signanter in ipsa expressit, humilitatem scilicet & ardens proficiendi in spiritu desiderium. Istuc si habebimus, gaudebimus, haud dubiè vnicuique culpas nostras notas esse, vt sic minoris fiamus, & magis vilipendamur; multo verò magis, vt ob easdem corripiamur & commonefiamus. Modicum sanè is humilitatis & virtutis habebit, qui ne ad hoc q̃dem cam habituius est.

Capvt VII.

Aliquot, quoad hanc materiam, permagni momenti monita præscribuntur.

Ex hactenus dictis quædam colligere possumus monita: alia quidem vsui futura ei, qui corripitur, alia ipsimet monitori & corripienti. Primò itaque, monitus & correptus, ante omnia aduertat, oportet, perinsignem sanè errorem esse, magnęq; imperfectionis indicium, quòd cum à Superiore defectus alicujus, quis notatur & commonefit, indignè id ferat, moxque apud se, cogitando inquirat, ecquis ad Superiorem hunc detulerit, an non plus æquo dixerit, remque nimium quantum adauxerit, ac deinde de eo querul⁹ apud alios expostulet, & modò apud hunc, modò apud alium dictitet, rem non ita vt delata est, peractam, neu tàm grauem reuera fuisse, quàm Superiori significatum est. Grauius proinde crimen est, ac non raró magis, quis alios hac importunius obtrusa sui purgatione offendit & scandalizat, quàm ipsomet facto. Scimus quippe omnes, esse te hominem, & defectibus obnoxium; at, dum quis hunc in modum frendet & ringitur, eum habemus, vt longè imperfectiorem: ostendit enim ad oculum valde se superbum esse, simul etiam alijs occasionem dat suspicandi, quod de sui emendatione & profectu ne hilum laboret, sed duntaxat sit de exteriori sui ostentatione, & opinione apud alios, & æstimatione sollicitus. Vnde benè D. Bern. *Qui procaciter etiam aperta defendit*, & fortasse etiam mendaciolo aliquo eadem subinde excusat, *quomodo occultas & malas cogitationes cordi suo advenientes humiliter revelaret Abbati?* Verus humilis, qui seipsum cognoscit, & quod reuera est, haberi vult, non percellitur, quodcunque demum de ipso dicitur, nihilque ei hic nouum & inexspectato accidit: semper namque majores in se defectus agnoscit, & pauca de se dici putat, respectu eorum, quæ dici possent. Tuus tibi defectus videtur minor esse, quàm reuera est, ac sæpè etiam ne defectus q̃dem appellandus, eò quòd eum oculis, ab amore proprio excæcatis, intueris; alteri verò suus, vtpote eum oculis omnis passionis expertibus intuenti multò apparet major, & talis, qualis in se reuera est. Demus vero, delatorem plus æquo rem propterea quod ita illi videtetur, exaggerasse; an non meminisit te, cum Religiosum institutum a... ecteres, interrogatum, paratusne fores, injurias pati, falsa testimonia excipere, & cōtumeliis atque infamia tàm à domesticis quàm ab externis affici, respondisse ad omnia te paratum esse? Quomodo ergo nunc ejus te promissi cepit obliuio? quomodo ejusdem ita jam pœnitet? Gaudendum tibi potius erat, quod alter recta intentione, & sine vlla sua culpa, plus dixerit, quàm verè à parte rei suberat. Imò vero

De gradib. humilitatis, grad. 8.

vero, esto id alter non bona intentione, at prauo affectu dixisset, tuiipsius tamen causa lætari debebas, vt nimirum hac ratione magis humilieris, ac Christo Iesu Redemptori fias similior: quanto ergo magis, cum id bona intentione factum est, & in hoc verum se dixisse putauit; ita enim rem se habere existimauit? Ita si feceris, plus tum apud Deum, tum apud homines lucraberis; sin minus, vnde tibi securum speras compendium, dispendium patieris.

Gravior autem & intolerabilior error foret, si quis, comperto, quis fuerit, qui se ad Superiorem detulit, ipsum adeat, & expostulet, petens, cur se detulerit, cur rem aliter & plus quàm actu narrarit; aut propter hoc aliquam ab ipso auersionem vultu factove præferat, evidenter ostendens, propter hanc se denuntiationem indignari & denuntianti succensere. Quisquis verè se emendare, & proficere in spiritu cupit, optare deberet potius, vt multi super se oculi excubarent, censoremque agerent, vt sibi in eo quem spectat scopo auxilio sint, ac quodammodo inuitum propellant. Ita id desiderabat S. Bernard. *Epist. 42.* quodam loco sic de seipso scribens: *Quis dabit, inquit, mihi centum in mei custodiam deputari pastores? quanto plures sentio mei curam gerere, tanto securior exeo in pascua. Stupenda insania! animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & vnum super propriam gravor habere custodem. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam pastoris.* Illi scilicet timendi sint: nam pastoris commonitio & sibilus non nisi exoptandus & desiderandus est.

Iam verò is, qui monitoris partes agit, aduertat primò, se fratris defectus immediatè ipsi Superiori, idque sine vllis ambagibus & circuitionibus, velut patri, & sub talis secreti sigillo, quale culpa ipsa exigit, aperire debere; vt ipse, tanquam pater, pro paterna sua cura ei remedium adhibeat, & quod inde consequi posset damnum, prudentia sua avertat. Quod est cumprimis notandum: fieri quippe aliquando posset, vt quis culpam alienam non ipsi Superiori, sed alicui priuato, qui medicinam ei facere non posset, aperire vellet. Quod profectò sine peccato non fieret; fratri quippe suo hac ratione detraheret, eiusque famam læderet.

Secundò, quo in hac culpæ manifestatione modo procedendum sit, in ipsa indicatur Regula; cum jubetur ea fieri *debito cum amore & charitate.* Quæ verba Pontificem Gregorium XIII. Regulas hasce examinantem, mirificè recrearunt, ac consolationi fuere. Qui ergo in hoc rectè & prout oportet, procedere volet, videat accuratè oportet, num quæ sinistra passione vel inuidentia ad hoc emoueatur, num indiscretus aliquis zelus eum præcipitem abripiat, vt præ festinatione de subitò à pede transuolet ad manum, vt coactè & violenter harum rerum narrationem obtrudat, & velut intorqueat, vt deniq; rem immensam augeat, faciendo è musca elephantum, vel è casu particulari & vno, generalem conclusionem & ordinarium quid eliciendo, vel deniq; id vt certum vendendo, quod non nisi mera suspicio est, & fortasse nonnisi nuda cerebelli sui imaginatio. Quod sanè multorum scrupulorum est occasio, & plurimarũ turbarum ac tumultuum seminarium. *Regula 10. Summar.*

Tertiò, notandum est, eum qui alium corripit & commonet, non propterea ab officio suo desistere, aut quę sui sunt muneris, omittere debere, quod alter non fungatur suo, & monitionem datam non pro eo atq; oportet, excipiat. S. Augustinus, eum, qui salutarem correctionem parum ęquo animo accipit, haud absimilem esse ostendēs equo phrenetico, cerebrumque emotum habenti, ac proinde medicum ejusq; medicamenta à se repellenti: *Quid ergo, inquit, ideone deserendus? ideone remedium ei non applicandum? minimè gentium. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, sed perseverat diligentia caritatis phreneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur, ambo molestantur, quàm diu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.* Sic & fratrem *Epist. 167. & 87. ad Felicitat. & Rustic.*

noſtrum facturum, ſperandum eſt: tametſi tum cum reprehenditur & coarguitur, fremat, ringatur & indignetur; poſtea tamen erit, vt, cùm, intra ſe rediens rem tacitus & coram Deo conſiderabit, rationem facti viſurus ſit, & ꝙ ſibi collatũ eſt beneficium agniturus, & gratiam propterea relaturus. Si bruta & animalia, *quibus non eſt intellectus*, quantumlibet recalcitrent, & refractaria ſint, homines nihilominus magno ſuo labore, ſæpè etiam cum aliquo ſuo periculo, curent, à quibus tamen nullam (eò quod ad hoc intellectu carent) gratiarum actionem, remunerationem nullam exſpectant; quanto inq̃t ille ſanctus, æquius erit, vt noſtrum ipſi fratrem curemus & corripiamus, *vt non pereat in æternum*? habetis porro intellectum, & poſtea beneficium ſibi collatum agnoſcere, & propter hoc gratias agere, ac viciſſim benefactoribus aliqua in re gratificari poterit, juxta illud Salomonis: *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Ad hoc propoſitum adfert S. Baſilius illud Apoſtoli, ad Corinthios ſcribentis: *Et quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?* id eſt, illa moleſtia & grauamen, quam è correctione mea jam capitis, mirè me recreat, quia video illam tandem felicem, lætumque exitum habituram. Et rurſum: *Ecce hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantum in vobis operatur ſolicitudinem:* id eſt, quod modo pũgit & cruciat, certa ſalutis & ſanitatis eſt occaſio, hoc quippe vos in poſterum cautos reddit, & circumſpectos: vnde & triſtitia ſecundum Deum eſt, quod vitę emendationem ipſa cauſetur. At dices, nonnullos correctione & correptione deteriores reddi & indurari. Benè tibi quoad hoc reſpondebit S. Auguſtinus, dicens: *Nunquid ideò negligenda eſt medicina, quia nonnullorum eſt inſanabilis peſtilentia?* nequaquam, ergo nec ideo eſt omittenda correctio & reprehenſio, ꝙ quidam ea non proficiant, nec meliora reſpectent; ſemper medicus, tàm ſpiritualis, quàm corporalis, faciat, quæ ſuarũ ſint partium, & quæ ars ſua adhibenda præſcribit, neve ſtatim ei eſt de ægroto deſperandum, ſed quæcunq; habet, remedia adhibenda & probanda.

Aug. epiſt. 50. ad Bonifacium.

Pſal. 31. 9.

Prov. 28. 13.

Reg. fuſior. num. 52.

2. Cor. 2. 2.

2. Cor. 7. 11.

Epiſt. 48. ad Vincentium.

De modo autem, q̃ in correctione ſervandus ſit, ſic definit S. Baſilius: Qui alium peccantem corrigere & commonere ſtudet, medicos corporales imitetur oportet, nam, vt hi non tam indignantur ægro, quàm infirmitati, & adverſus hanc irę & ſtomachi ſui vim conuertunt ac detorquent; & huic pellendo quaſcunque habent, artes & remedia adhibent; ita cui corripere ꝓpoſitum eſt, non tàm adverſus hominem lapſum inſurgere, & indignari debet, quàm omni quo valet conatu & diligentia in defectu vitioque, ꝙ notauit, ab fratris ſui anima diſpellendo incumbere. Quo autem in hoc ſit modo procedendum, mox ſimili quodam inſinuat: non ſecus, inquit, quàm procederet pater medicus, filium ſuum dilectiſſimum à letali grauiq; vulnere ſanare allaborans. Qua enim circumſpectione, q̃ leniter, blandè & ſuauiter eum curabit, vtpote, qui filii dolore non minus dolet, quàm proprio! Hoc ergo Superior modo, eadem circumſpectione, eadem ſuauitate & lenitate ſubditos ſuos, qui filij ejus ſpirituales ſunt, curare debet, nimirum (vt loquitur Apoſtolus) *in ſpiritu lenitatis*. Vnde ſcitè & grauiter S. Auguſtinus ſcribit: *Tyrannus & carnifex trucidans non conſiderat, quemadmodum laniet,* qua parte & quomodo commodius minorique cum dolore artus deartuet: *Qui autem curat, conſiderat* prius & deſpicit, *quemadmodum* & quo in loco *ſecandum ſit*, cauteque & circumſpectè procedit, ſanare enim vult, non occidere. Ad eum modum & Superior, qui inferiorem correctione, ac reprehenſione ſanare procurat, non autem exacerbare, vel torquere, procedat oportet. Eſt hoc permagni momenti conſilium, & plurimi ſemper à ſanctis Patribus habitum & commendatum. Caueat ante omnia, inquiunt, is qui alterum corrigere ſtudet, ne qua ſe paſſi one, iracundia, vel indignatione ad hoc agi

Reg. fuſior, nu. 50. & 51. & in brevio. c. 9.

Galat. 6. 1.

Epiſtol. 48. ad Vincentium.

2. pa. tract. 2. cap. 8.

Baſil. in regul. fuſior. num. 50.

moneriq;

monerique ostendat; quia sic totum rei successum euertet: neque erit id, alium curare & persanare, sed deteriorem reddere & indurare. Et ad hoc propositum adducunt illud Apostoli Timotheo suo scribentis: *Cum mansuetudine corripientem eos, qui resistunt veritati.* Etsi autem in vulgata nostra versione legatur, *cum modestia*, in idem tamen recidit sensus, vt enim cum modestia correptio fiat, omnis passionis & turbationis expers sit, monitor oportet. Correctio deniq; tàm amanter, ea verborum dulcedine, & tàm amicabili gratia fiat, correctus vt intelligat, eam non nisi è visceribus caritatis, & è magno erga bonum suum affectu proficisci. Hoc namque modo comprime prodesse & iuuare monitum solet.



F I N I S.







INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

Prior numerus tomum, secundus folium, litera a. vel b. primam aut secundam columnam designat.

A.

S. An-

B.

D.

Detractio.

Deus.

L.

M.

Nauta

P.

Q.

R.

Religio.

T.

V.



INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HAC PRIMA PARTE PAVLO PLVRIbus explicantur, omissis aliis multis, qui obiter indicantur.

a 16. Do-

PROVERBIA.

ECCLESIASTES.

CANTICA.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS.

5. Omnem

INDEX





INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ HAC SEDVNDA PARTE EXPONVNTVR, omissis multis aliis, quæ solum obiter attinguntur.

Tobias.

Esther.

Iob.

Psalmi.

Prouerbia.

Ecclesiastes.

Threni.

Oseas.

Ionas.

Habacuc.

Zacharias.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

FINIS.





INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HAC TERTIA PARTE PARTIcularius exponuntur, omissis multis aliis, quæ nonnisi in transcursu declarantur.

FINIS.

ego son

ap: Su



EXERCITIVM PERFECT
ET
VIRTVTVM
R. P. RODERIC[illegible]